Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Stephan Klotz

Pneumatice, sive Scientia Naturalis De Spiritibus Deo, Angelis, & Animis separatis, Per XII. Disputationes Publice [et] privatim In Celeberrima Rostochiensium Academia Propositas Nova Methodo Digesta Opera M. Stephani Clotzi.

Rostochi[i]: Pedanus, 1629

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0001
DFG

A- EEE

3 Rl.

A-Z. Aa-Zz. Aaa-Bbb

A-E.

1. a. 3.

Eb-1014.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729949087/phys_0002

DFG

PNEUMATICE,
sive

SCIENTIA NATURALIS De SPIRITIBUS DEO, ANGELIS, & ANIMIS separatis,

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

PER XII. DISPUTATIONES
Publice & privatim
IN CELEBERRIMA ROSTOCHIENSIUM ACADEMIA PROPOSITAS
NOVA METHODO DIGESTA
OPERA

M. STEPHANI CLOTZI.

Accedit Dissertatio sub finem Dæmonologica, quæ quid de Dæmonibus Platonis & DIIS SOCRATIS antiquitus sancitum sit, quid demum sanciendum exponit.

Seneca l. de brevit. vita c. 14.
Disputare licet cum Socrate, dubitare cum Carneade quiescere cum Epicuro, hominis naturam vincere cum Stoico, excedere cum Cynico.

ROSTOCHI
Expressa typis à Joachimo Pedano. Anno 1629.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0005
DFG

MAGNIFICO ACADEMIÆ MARPURGENSIS RECTORI

VIRO ADMODUM REVERENDO, CLARISSIMO, & Excellentissimo,

DN. JUSTO FEURBORNIO,

S.S. Theologiæ Doctori, ejusdemq; in inclita Marpurgensium Academia Professori primario, & Ecclesiæ Pastori,

Viris Item

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

DN. HENRICO STALMEISTERO,

ICto, Regiæ Majestatis Daniæ Consiliario, & Reverendissimi & Illustrissimi Principis Dn. Udalrici p. m. Episcopæ Suerinensis Administratoris &c. Cancellario,

DN. THOMÆ LINDEMANNO,

ICto, Rostochiensis Academiæ Antecessori, Senatus Amplissimi Syndico, & Illustrissimi Principis Dn. Alberti Friedlandiæ &c. Ducis, Consiliario,

DN. REINHOLDO von Gehren/

ICto, Illustrissimi Principis Dn. Udalrici p. m. Administratoris Suerinensis &c. Consiliario,

Favitoribus meis summis.

L. M. Q.

Offero

M. Stephan. Clotz.

Mei Mæcenates, favitores optimi.

VOs præfigo huic operæ, viros ab authoritatis, eruditionis, omniumq; virtutum censura vere magnos. Non quod sic vellet tractationis dignitas, sed argumenti quod tractatur: Spirituale illud est, & elevatum ultra sortem rerum materialium & ignobilium, cujus nobilitas intra difficultatem est, ideoq; & altum genium poscit, & humano altiorem, qui illam exacte evolvat, ponatq; in lucem: Quid Deo perfectius, quid unâ & difficilius? Hinc sacra Platonis, in De legibus, cautione sancitum erat, ne quis, quid Deus esset, investigaret; Quid Simonidi acciderit, noviſtis, qui ter quaterve ab Hierone tyranno interrogatus, quid Deus esset, cogitandi intervallum sibi prorogari & è die in diem duci petijt, donec tandem rei difficultate abactus, fassusq; est ingenue: se quo magis de Deo cogitaret, minus intelligere; Testatũ insuper faciunt hãc rem Philosophorũ qui extra Ecclesiam erant, decreta & consilia, qui dum innavigabilẽ hunc Oceanũ transire sæpiuscule decreverant, eadem tamen via, quâ ingressi sunt, revertebantur, in ultimo tandem confessi, se nihil invenire amplius quam quod Deus sit incognoscibilis: Ita est: Inaccessibile lucis divinæ jubar mentis sibi relictæ acumine penetrari non potuit, nisi per umbram & transennam, uti nitidissima solis imago non nisi per transennam aut in aqua hebetioribus oculis: Maneamis in circo spirituum creatorum, nec devolvamur ad infinitam infi-

niti Entis abyssum, nihilo tamen minus cognoscemus! Adeo verum hoc est, ut multis, essentne tales substantiæ Angelicæ, perdiu improbabile, aliis, quid essent, omnino incertum esset; Nec eos hæc res fefellit: Quod Angelus sit, infallibili ἀποδείξεως evidentia è solo rationis lumine (è sacra namq; scripturâ res hæc certa est,) monstrabit nemo, Quid itidem sit non facile quisquam exprimat, facilius dicat vel quid non sit, (quod v. g. non sit corpus, non sit quantus, non sit in loco &c.) vel quænam ejus opera & munia; Nil tamen territus ego rei difficultate, potius ratus τὸ χαλεπώτερον αἱρετώτερον του ῥᾳδίου spatium etiam concessi subcessivum his laboribus qui spiritus indagarent, quod me incitarant ad hanc in celebri hac Academia Viri-Juvenes eruditi quibus aliâs meam operam legendo disputandove consecraram! Apud vos autem viri verè Magni veniam merebor, si proletariâ & sequiori opera quam alias decuisset rem hanc absolverim! Quotidie hærere datur in rebus sensu undiquaq; pervijs, nec lambimus nisi φλοιώσεις accidentium, rerum naturas non attingimus: Quid igitur eveniet si rem à sensibus remotissimam ideoq; & difficilimam, nempe spiritualem cognoscere lubido est? Et quis carpat si titubantem alicubi impingere contingat, nec omnia, quod hæc nostri intellectus imperfectio sit, penetrare: Vos itaq; ut & intio dixi. hic præfigo, non quod sic poscat opera! Potius illa volet à vobis in sese splendorem derivare, ut Luna solet à sole, & contra mordentium ictus, quos varios habet, sese defendere: Jubeo alios intueri arcem hanc vestræ authoritatis, quam hic superimpono, sequius scio habebunt in tractationis operâ taxanda. Imitor ita illud Pompeij qui cum theatrum turpitudinum concinnasset, arcem Veneris superimposuit, ut censoriam animadversionẽ de facti turpitudine apud alios evitaret! Facietis vos quod par est, & stricturas vestri favoris derivabitis in hoc operis, & si sic voltis illuminabitis quoq; locum

hunc

hunc obscurum, Hoc unum! Indicinam quoq; extare volebam vestrorum beneficorum quæ abunde in me erant derivata: Cum apud vos essem Marpurgi, Magnifice Dn. Rector, magnos benevolentiæ affectus, beneficiorum cumulos, in me devolveras, hominem prorsus immeritum, de facie vitaq; ignotum! Susceperas tamen in victum & consuetudinem, ac per longam annorum seriem notißimum! Monstraveras insuper rectam herciscundi studij Theologici rationem, & viam qua eundum esset cum sapientibus, non quâ iretur cum vulgo: Ita sane non merueram, me ultra meritum excipi & duci quo vellem! Vos quoq; viri Amplißimi, Consultißimi Clarißimi, Mæcenates magni, quoad hic Rostochi vixi, favoris & benevolentiæ vestræ indicia magna mihi dedistis, immerentem quoq; quotidie fovetis & pendulum à vestris uberibus subinde elevatis ad altiora: Stimulos inde feciſtis, qui testatum facerent animum & affectum, si effectum dare non liceret, Alias plerumq;.

μετὰ τὴν δόσιν γηρύσκει χάρις,

Attamen, Quod bonis benefit, haud perit, Cogitant scilicet illi subinde, qui quot beneficiorum illis accedit, tot rependant gratiarum! Agite igitur, accipite hunc laborem tenuem, exigui muneris obsidem in aliquale affectus memoramentum: Aliter sane & altius eratis colendi mei Mæcenates, sed & Diis lactefit, quod aliter nequit, Nec Hecates cœnam frugalem Theseus aspernabatur: lacte itidem sacrifico, nec ad meritum debitumq; vestrum! voluntatis tamen inde cognoscetis ingenium & illud in pristino benevolentiæ affectu fovebitis, quod vestras M. & A. valere ex voto volet.

Scriptum Rostochi, è Musæo 6. Augusti Anno 629. Vestrarum M. & A. Observ.

M. Steph. Clotz.

Lector Benevole, duo te moneo:

CONsulto feci, quod materiam spiritualem & affinem Theologiæ φιλοσοφικώτερως expedivetim, neque facile ad præsens institutum subsidia citaverim è Theologicis præsidijs: Animus fuit Philosophicam scientiam conscribere, nec diversarum disciplinarum tractationes, uti alias fieri assolet, confundere, potius monstrare, quousque naturale rationis dictamen sine speciali revelatione in ignota & difficili hac materia spirituum conscenderet, Hoc unum: Operam proletariam & extemporaneam itidem vides hanc meam, stilo simplici & Philosophico magis quam concinno expeditam: Illud apud te deterget temporis injuria quæ me jubebat esse festinantem, nec penitius perficere hanc operam uti alias ipsa voluisset: *Nulla* enim *res* verbis Apulei *eadem est festinata simul & examinata, nec est quicquam omnium, quod habeat & laudem diligentiæ simul, & gratiam celeritatis.* Naturam imitatus, quæ initio φαυλόν 2a operatur, post perficit exactius; Umbram primum delineo rudi penicillo, & obtrudo imperfectum opus: Alias si Deus volet exactius & ad votum magis concinnandum: Stilo simplici sponte usus, alium concinnum & accuratum abdicavi, non nescius, *quod à philosopho non sit* Erasmi judicio, *requirenda oratio phalerata, sicuti à Medico ægrotus non facundiam petit sed sanandi peritiam* ! Et si alicubi termini non satis latini occurrerunt, qui non sunt ad palatum delicatulorum in latio virorum, illis veniam concedito, quod etiam Philosophiæ hoc jus sit ὀνοματοποιίας, ut civitate latina dictionem donare facile possit, præcipue si faciat ad rem ἐμφαλεκωτέρως & significantius exprimendam; Sunt sane termini illi, uti Picus Mirandul. in Apolog. loquitur Silenis Alcibiadis comparandi, quos extus quidem morticina & contorta facies turpet, intus autem gemmarum pleni & rerum prætiosarum. Sed sisto: Tu mihi fave pro candore B. L. & vale pro voto.

Ut

UT Jovis magni ministèr, imperator alitum
Scandit arduo volatu nubium canumina,
Et vagas means per auras usq; ad ætheris sinum,
Intuetur irretortis obstinatè pupulis
Aureum jubar faces q; flammeas Hyperionis:
Haut secus præclara Clotzi mens, & entheus vigor
Altius sese penetrans à telluris orbitâ
Aque rebus inquinatis mole durâ corporis,
Pervagatur spiritaleis Entium colonias;
Se-que Pneumatum coruscò fortis immiscens choro,
Haurit has sublimitates pertinace acumine.
CLOTZIUM, cui ipse Phœbus & Phœbi sororculæ
De suis nectar dedere delibandum vasculis,
Æviternâ laude dignum jam vetabunt emori
Laureatus ipse Phœbus & Phœbi sororculæ.

Petr: Lauremberg D. & Prof.

Viro Clarissimo amico meo charissimo,

QUos promittebat blandi indulgentia veris,
Jam volupe est avido decerpere pollice flo-
res,
Sive rosam veneris conspersam sanguine malis,
Sive in certamen surgentia lilia lactis,
Vel tunicæ floscum dulci ferrugine tinctum;
Quare rite tuos Et tu doctissime Klotzi
Jam rumpis calices, ac panso flore juventam

Spe-

Spe magnâ in ſummos Muſarũ pellicis hortos,
Mitis ubi ſonat aura, & ſuavia pneumata ſpirant;
Invide, dic quis non tam culta novalia amaret?

L. M. Q. ſcripſi
JOACHIMUS STOCMAN
Phyſ. Prof.

IN PNEUMATICEN
Clariſſimi & exercitatiſſimi Philoſophi,
DN. M. STEPHANI CLOTZII,
Fautoris & Amici inti colendi.

DEcertent alij ferro, tu diſſeris ore,
nec SOPHIAM *faciunt arma ſilere tuam.*
Conſeruiſſe manus alijs placet, at tibi verba;
Tu ſicca, aſt alij bella cruenta, paras.
Eſt qui Marte ſibi quærit furibundus honorem;
tu tibi, ſed majus, quæris ab arte decus.
Ima petit ferrum, calamus ſupereminet; ille
enſe cadit, doctum Muſa perire vetat.
Ferro PNEUMATICE *hæc erit atq; perennior ære,*
Cui par me in genere hoc non reperiſſe ſcio.
Hoc ſcio, quæ in medio eſt alijs ſita palma Sophorum,
quod dubiam ſtudio feceris hocce tuo.
Et ſi Diribitor quiſquam me judice vellet
uti, te STEPHANUM *ſola Corona manet.*

Scrib.
Joachimus Engelbertus
Eccleſ. Roſtoch. ad S. Jac. Paſtor.

COL-

COLLEGII PNEUMATICI

Disputatio Prima

DE

NATURA

ET CONSTITUTIONE, NEMPE DEFINITIONE, DIVISIONE ET CAUSIS PNEUMATICÆ.

Quam assistente summo Numine,

Ex permissu venerandi Philosophorum ordinis in inclyto Rostochiensium Lycæo

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Publicè in Auditorio Majori Examini subjiciet ad diem 24. Januarij, horis à matutinis,

HUBERTUS KOEN Lubecensis.

Justus Lipsius l. 1. manuduct. ad stoic. Phil. dissert. 15. *Satis triumphat veritas si apud paucos bonosq; accepta: nec indoles ejus est placere multis.*

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0013
DFG

Σῳ Θεῷ.

Disputatio prima

PROÆMIALIS DE NATURA PNEUMATICÆ.

THESIS I.

DIsciplinam aliquam tractaturi proœmium plerunq; ad auditoris docilitatem præmittunt, ut, ubi intellexerit, quid in eâ sive arte sive scientia expectare debeat, attentiorem se præbeat, Cornel. Martin. *comment. Log. ad V. Ram. part. propr. l. 1. c. 10. p. 481.* & sic totius disciplinæ artificiosam dispositionem, unitatem, & naturam, præ oculis habeat, cujus beneficio in ipsa deinceps tractatione eò felicius progredi queat, Conf. Zabarell. *de nat. scient. constit. c. 1.*

2. Quod ipsum & nobis Pneumaticen delineaturis consultum fore arbitramur, quando proœmij loco hujus disciplinæ constitutionem, ubi de Definitione, Divisione, & Causis ejusq; à Metaphysicâ distinctione agetur, præmittere animum nostrum inducimus.

3. Cum autem agnoscere τί ἐστι non possit, qui ignorat εἰ ἐστί Arist. *l. 2. poster. anal. c. 7. t. 39. & 10. eor. t. 44.* merito etiam, nisi & apud plerosque in confesso esset, præsupponendum, *Anne* ab intellectu humano per lumen naturæ *acquiri possit scientia quædam πνευματικὴ quæ inquirat spirituum naturas?* Si tamen alicubi reperire liceat dubitantem, illum, ut sic statuat, facilè movebis: Nam, dato scibili objecto per lumen naturæ cognoscibili, constitui quoque potest de illo scientia: Scibile enim (vi nominis) est id quod sciri vel scientiâ cognosci potest, unde etiam *causa* dicitur & mensura scientiæ Conf. Arist. *l. 10. Metaph. c. 6.* Atqui datur

 scibile

scibile objectum πνευματικὸν spiritus sc. qui, ut sic solo naturæ lumine cognoscibilis est: Nam ad minimum Deus, absque speciali revelatione per naturæ lumen cognosci potest (quicquid sit de reliquis, Angelis v. g. & Animis separatis) & quidem in illo *essentia spiritus*. Ergo etiam de illo ex lumine naturæ acquiri potest scientia.

4. *Pneumaticen illam appellamus* quia est περὶ τὸ πνεῦμα τος: Nec illud sine ratione! Scientiæ enim denominationem suam ab objecto sortiuntur, eò quod ab illo specificentur, per illud distinguantur, ad illud cognoscendum ordinentur! Sic Metaphysica dicta est quia est περὶ τῶν μετὰ τὰ Φυσικὰ, circa ea quæ sunt vel 1. *trans physica*, h. e. ultra naturas rerum in particulari propter suam latitudinem, vel 2. *post-physica*, h. e. post naturas rerum, propter res quas tractat universalissimas, quæ singularibus sunt posteriores, tam ordine existentiæ quam etiam cognitionis Conf. *l. a. Maj. Metaph. c. 2. l. 1 post an. c. 2. text. 5.*

4. Nec incommode hæc disciplina dici potest *Theologia naturalis* eo quod agat 1. *de rebus divinis* h. e. invisibilibus: Nam ita res divinas aliquando usurpari non est infrequens Conf. Damasc. *l. Dial. c. 3. 2.* quod *de Deo* objecto hujus disciplinæ potissimo tractet: Theologia enim vi vocis nihil aliud notat quam sermonem de Deo, unde etiam gentiles theologi dicti sunt apnd Cicer. *l. 3. de Nat. Deor.* Auguſt. *l.* 18 *de Civit. Dei c.* 14.

5. Dicitur autem cum addito Theologia *naturalis* quia de spiritu solum agit ut *naturâ* cognoscibilis est, ad differentiam theologiæ revelatæ, quæ de illo ut *scripturâ* sacra revelato tractat: Cui etiam hoc accedit discriminis, quod ibi spiritus cognitio mere sit speculativa, hic vero aliquo modo practica, refertur enim hic cognitio v. g. Dei ad ejus in vita beata visionem &c.

6. In *Generis* constitutione ne hallucinari detur distinctè procedimus Dicimus 1. *Pneumaticen esse habitum mentis:* Est enim Qualitas menti superaddita, quæ eam in naturis spirituū cognoscendis facilem reddit & expeditam! At faciles reddere potentias ad operationes habituum munus est.

7 Dicimus 2 *Pneumaticen esse habitum mentis* (non practicum sed) *speculativum*. Practicus enim omnem suam cognitionem dirigit

rigit ad operationem, quæ ipsius finis est Arist. *l. α. Minor. Metaph. c. 1. & l. 1. Eudem. cap. 1.* speculativus contra *ultimo* tendit ad cognitionem & in illa acquisitâ simpliciter acquiescit Aristot. *cit. l.* Et hanc indolem quia etiam habet Pneumatice, ut sc. simpliciter & nudè sui objecti cognitionem (sepositâ omni operatione) intendat, erit illa speculativa: Indeque porro *neq; Prudentiæ neq; Ars* (quæ species sunt habitus practici) dicenda.

8. Tres autem habitus speculativos Intelligentiam sapientiam & scientiam cum reperire liceat apud Arist. *l. 6. Ethic. Nicom. c. 3.* alterutrum ex his habitum illi assignes, necessum videtur! *Non* tamen illa (quod 3. dicimus) *erit Intelligentia*; quippe quæ habitus est primorum principiorum, sive ut loquitur Dn. Gutkius *tract. de habitu Intelligentiæ c. 1. theor. 8.* subtilitatis rerum quatenus ex eadem prima cognoscendi principia fluunt; Ejusmodi autem habitus, ut constat, Pneumatice non est.

9. *Neq; 4. est sapientia.* Hæc enim est habitus ex scientiâ & intelligentiâ compositus Arist. *l. 6. Ethic. Nicom. c. 4.* ideoque principia prima, maximè Universalia & omnibus communia cognoscit, *l. α. Major. Metaph. c. 2.* idq; μὴ καθέκαστον sine descensu sc. ad particulares rerum naturas: Pneumatice autem neutrum ex his observat, non tractat illa prima principia, neq; maximè Universalia, neque omnibus communia, sed particularem spiritus naturam investigat. Ergo Unde non licet astipulari Francisc. Suaretz. qui *d. 1. de nat. Metaph. sect. 5. n. 15.* asserit Metaphysicam (ut vocat) de Deo plus de ratione sapientiæ participare quam eam quæ tractat de Ente. Contrâ potius dicendum eam quæ de Ente est scientiam proprie solum & unicè sapientiæ titulo dignam esse, neq; illum commode aliis adsignari: Unde, (quod obiter dicimus) non recte Metaphysicæ *genus* dicitur esse sapientia, eò quod in illa solum reperiri *possit!* Generis autem natura saltem quoad *posse* in pluribus conservatur.

10. Restat igitur ut Pneumaticen dicas esse scientiam! Cum cautelâ tamen, ideoque adverto: 1. Scientiam esse duplicem: *Aliam proprie & vere sic dictam, aliam analogicam:* Illa est habitus conclusionum per veras *causas* illatarum, indeque requirit tria hæc; ex Arist. *l. 1. poster. anal. c. 8. l. β. Metaph. c. 2. l. k. eor. c. 6. &*

alibi 1. *Subjectum* quod sit *genus* ad suas sibi subjectas species, 2. Principia & *causas propriè dictas* affectionum de subjecto demonstrandarum; Unde etiam scientia dicitur rei per *causas* cognitio apud Arist. *l. 1. poster. anal. c. 2. t. 5. l. 2. eor. c. 11. t. 11. l. 1. phys. c. 1. t. 1. l. 2. eor. c. 3. t. 27. l. a. Major. Metaph. c. 2. & alibi*, demonstratio itidem, quæ causa scientiæ est, *è causis* conclusionis fieri dicitur *l. 1 poster. anal. c. 2. 3. Affectiones* de subjecto demonstrandas, *quæ semper sunt extra essentiam sui subjecti*, unde etiam in definitionibus earundem subjectum ponitur ἐκ περιθέσεως, & sic est aliud quid ad essentiam accidentis περιπτῶμα, neque est de intrinseca ratione & essentia ejusdem, Conser Arist. *l. 1. poster. anal. c. 18. t. 35. l. 7. Metaph. c. 5. t. 18.*

11. Et hoc modo si accipias scientiam certum est *Pneumaticen scientiæ nomen non mereri:* Nam 1. *Caret illa subjecto quod sit genus ad suas species*: Spiritus enim (qui objectum hujus disciplinæ est) nequit esse Genus ad Deum Angelos & Animas, uti monstratur alibi.

12. *Caret* 2. *Principiis & causis affectionum in subjecto*: Nam si spiritus ut sic haberet principia, omnis spiritus haberet illa: eò quod A quatenus ad de Omni valeat Consequentia: Atqui hoc absonum est, cum Deo principia asscribere nefas sit, qui tamen Spiritus est, Ergo.

13. *Caret* 3. *Affectionibus de objecto demonstrandis*: Affectio enim est aliquid additum subjecto, & extra essentiam ejus: Spiritus autem quâ talis aliquid extra essentiam accedens non admittit, nisi idem velis Deo ἀλόγως tribuere, Ergo.

14. Neq; hic faciles præbemus aures, iis qui vel non putant esse necessarium ut objectum scibile sit genus, cum Zabarell. *l. de trib. præcogn. c. 2.* principia quoque sufficere volunt quæ solum sint rationes formales, cur affectiones subjecto conveniant, licet alias causæ non sint cum Suaretz *d. 1. Metaph. sect. 1. n. 27.* affectiones etiam quæ in communi ad scientiam requiruntur non necessario realiter à subjectis distinctas esse contendunt: Scientiæ enim, qualem quidem Aristot. requirit, longe aliud est ingenium? Conf. *th. præc. 10.*

15. Porro *Scientia Analogica* est habitus conclusionum per

rationes

rationes immediatas, (quæ tamen veræ causæ non sunt) illatarum: Et hæc per analogiam quandam ad priorem poscit etiam tria hæc: 1. *Objectum*, quod quidem non est genus, sed saltem *objecto generico analogon* in eo quod ad sua inferiora commune est, 2. (Causas itidem non proprie dictas sed saltem) aliquid causis analogon, quod sc sit ratio formalis cur attribntum insit subjecto, 3. Affectiones etiam non verè quidem tales, sed solum affectionibus istis aliquid analogon in ratione nostri concipiendi modi, quo in illo aliquid ad modum paronymi alicujus attributi concipitur.

16. *Et hæc scientia obtinet locum in tractatu de Deo:* Ibi enim cum neque affectiones ab essentia divina reapse distinctas, sed saltem attributa ad modum paronymi (alias licet sint ipsa Dei essentia) concepta, neque etiam causas sed solum aliquid iis analogon (non quidem in ratione causalitatis sed cognitionis) reperire liceat, *demonstrationes non nisi analogicæ*, & inde scientiæ pariter analogicæ fieri possunt. In Metaphysica etiam, cum ibi nec objectum genus, neque causæ aut affectiones propriè dictæ reperiri possint, scientia hæc analogica pariter invenitur.

17. *Non tamen commode scientiam hoc modo sumptam Pneumaticæ totaliter sumptæ genus assignabis!* Quia eâ in parte ubi de Angelis & Animis disseritur, demonstrationes proprie dictas inferri & sic inde veram gigni scientiam non iveris inficias, eò quod ibi sive principia propria sive affectiones reperire non sit difficile.

18. Quia igitur in hac disciplina est partim scientia ἀναλογικὴ per demonstrationes analogicas, in illa parte quæ de spiritibus in genere & de Deo agit partim scientia exquisita per demonstrationes propriè dictas, in eâ parte ubi de Angelis tractatur acquisita, utramque necesse est, ut Genus ejusdem complectatur: *Scientia* igitur *quatenus simpliciter est habitus conclusionum per rationes immediatas, sive alias veræ causæ sint, sive non sint, illatarum, est genus Pneumaticæ* totaliter consideratæ: Ita enim sumpta utramq; (& propriè & analogicè dictam) scientiam comprehendit, Rationem hujus facile habebis è dictis. Hactenus de Genere sequitur objectum.

19. In constitutione *objecti* ut recte procedam inprimis observ.

observ: 1. *objectum* sive subjectum, (quod vi nominis nihil aliud est, quam illud, quod objicitur potentiæ, ut ejus sive cognitionem sive actionem terminet) *hic non intelligi effectionis*, circa quod artes, in illo aliquid efficiendo, versantur, quale objectum respectu architecti est lignum, respectu aurifabri aurum &c. *neq;* 2. *Actionis* quale sibi vendicat Prudentia, ut illud secundum rectæ rationis præscriptum in rebus agendis dirigat, *sed* 3. *Contemplationis*, quod habitus speculativi, nude illud cognoscendo pertractant, Est enim Pneumatica disciplina non factiva vel activa sed contemplativa.

20. Porro 2. *Objectum Contemplationis, est vel Totale* sive Adæquatum, quod adæquat totam disciplinam ita, ut nihil in illa tractetur quod eo referrri non possit, *vel Partiale* & Inadæquatum, quod est pars objecti totalis, sub quo etiam comprehenditur *objectum Perfectionis*, sic dictum, quod perfectissima & nobilissima pars objecta sit.

21. Rursus 3. *Objectum illud Totale vel est in serie prædicamentali directè, vel elevatum extra illam*: Si illud multa poscit, requisita: Debet enim esse 1. Ens reale, non rationis, nec per accidens, nec æquivocum, Hoc enim ad objecti constitutionem prorsus est ineptum, ideoque ob omni scientiâ arcetur, sed 2. Genus ad sua inferiora, indeque 3. aptum natum ut possit contrahi per species, & 4. affectiones, quæ demonstrantur, & 5. principia quibus demonstretur, agnoscere, ita tamen ut 6. neque ipsum principium, neque affectio neque species sit in disciplina sed tale quid, quo hæc omnia referantur, Conf. Dn. Gutk. *tr. de Intellig c.* 5. *theor.* 7. Zabar, *de trib. præcogn. c.* 2. *l. de Nat. Log. c.* 15. *de nat. scient. constit. c.* 2. Fonsec. *l.* 2. *Metaph. c.* 3. *q.* 1. *s.* 3. *&c:*

22. Sin objectum sit elevatum extra classes prædicamentales, hæc omnia ita exacte non requirit, sed sufficit si ibi sit analogon quoddam & per similitudinem respondens, vel generi vel principiis vel affectionibus, vel speciebus, Quale objectum extra prædicamentale etiam in Metaphysicis est Ens, quod neque principia neque affectiones neque species admittere sed saltem aliquid iis analogon constat alibi.

23. His præmissis assero: *Objectum Pneumaticæ totale esse extra seriem prædicamentalem elevatum, & esse Spiritum*, sive substan-

tiam

tiam incorpoream: Spiritus inquam objectum ejus totale est, quia omnia in illum quadrant objecti requisita: Est enim 1. Ens reale, non rationis, non per accidens, non æquivocum, (hic enim distinctè intelligimus substantiam incorpoream,) 2. est generi analogon in latitudine sive communitate ad inferora, & sic 3. agnoscit modos sive conceptus determinatiores, 4. item affectiones analogicas, & 5. aliquid principiis analogon, ita tamē ut 6. Spiritus ipse neque principium neque affectio neque species sit in hac scientia sed omnia *sub hac ratione* ad illum referantur, Extra prædicamenta tamen esse dicitur, quia affectiones principia & species non nisi per analogian hic deprehendere fas est.

24. Porro *Objectum Pneumaticæ partiale est modus spiritus determinatior*, Deus v. g. vel Angelus, Perfectionis tamen objectum Deus est eo quod nobilissima objecti pars est.

25. Hoc etiam addo, quod in omni objecto liceat duo ista reperire: 1. *Materiale* & est res ipsa considerata, quatenus non est ad certam disciplinam contracta, sed indifferens, ut in multis consideretur, 2. *Formale* & est ratio formalis sive modus considerandi, qui materiale restringit & limitat ad certam disciplinam: Indeque formale dictum est: Quia quemadmodum forma Physica materiam limitat & restringit ut inde fiat certum compositum, ita etiam formale objecti limitat materiale, ut certa inde fiat disciplina.

26. Ita etiam hic materiale objecti est spiritus ut sic & sine addito: Quia hac ratione nondum limitatus est ad certam disciplinam, sed indifferens ut etiam consideretur in disciplinis alijs v. g. in theologiâ revelatâ &c. Formale igitur addendum erat, quod est spiritus, *quatenus spiritus*, naturæ lumine cognoscibilis: Ubi τὸ Quatenus non specificative sumi debet sed reduplicativè, quoad innuit rationem formalem sub qua spiritum tractat pneumaticus, hoc scilicet sensu, ut spiritus *quatenus spiritus est, h. e. quatenus essentiam habet spiritualem, de qua possint demonstrari affectiones per principia, & cognosci species*, in hac scientia tractetur Et sic omnia quæ sub hac ratione formali ad essentiam spiritualem se referunt vel ut principia vel ut affectiones vel ut species ad hanc scientiam revocantur, illa vero quæ sub hac ratione considerari nequeunt

exclu-

excluduntur. Ita sc. limites ponit huic scientiæ illam q; distinguit ab aliis formale illud objecti.

27. Et hinc etiam sumitur *Unitas* hujus scientiæ *specifica*: licet enim multi sint spiritus, indeque plures acquirantur scientiæ partiales, Quia tamen omnes sub unâ hac ratione formali conveniunt quod sc. Quatenus spiritus considerentur, unum etiam faciunt habitum totalem: *Unum* inquam *non unitate numerica*, quæ sumitur ex unitate subjecti proximi, *sed specifica* quæ sumitur ab unitate objecti Conf. 1. *poster. c.* 23.

28. Unitas autem hæc non est simpliciter individua, sed solum ordinis & aggregationis (qualis ad scientiam sufficit) Nam totalis habitus Pneumaticæ conflatus est ex multis partialibus qui plures esse possunt secundum diversas ejus partes; Qua ratione etiam unus potest esse promptior in cognoscenda doctrina de Deo, alius in doctrinâ de Angelis &c. Ordinem tamen habent. hi habitus eò quod ad unum objectum omnes se referunt.

29. *Causas* quoque suas agnoscit Pneumatice: 1. *Efficientem* habet cum reliquis Philosophiæ partibus communem eamque vel Universalem. Deum Opt. Max. vel Particularem, philosophantium studium. Quod tamen hic valde exiguum esse fateri cogimur, eò quod in rebus à sensu remotis balbutiat non solum humana lingua, *Scalig.* sed etiam mens nostra se habeat ad ea quæ omnium sunt φανερώτατα quemadmodum ad meridiem vespertilionum oculi, verbis Arist. *l. a. Minor. Metaph. cap.* 1. quæ etiam causa est quod apud Philosophos Ethnicos lumine gratiæ orbatos nihil fere, aut saltem perexiguum reperias de spirituum natura conscriptum.

30. *Materiam Ex Qua* nullam habet, eamque excludit 1. ideo quod est accidens: Hoc enim materiam non habet Arist. *l.* 8. *Metaph. c.* 4. Conf. Scalig. *exerc.* 325. *s.* 2. *& exerc.* 330. 2. quod est accidens *spirituale.*

31. *Materia in Qua* sive subjectum inhæsionis immediatum & proximum est Intellectus: Habitus namque est illi superadditus, ut facili fiat ad cognoscendas spiritus naturas, uti dictum th. 6. *Et confirmatur inde:* Quia potentiæ ἄλογοι non sunt capaces habituum, sed λόγοι quæ liberæ sunt & indifferentes ad agendum

idque vel per essentiam, ut intellectus & voluntas vel per participationem ut appetitus sensitivus: Habitus igitur Pneumaticus erit aut in appetitu sensitivo, aut in voluntate, aut in intellectu: Non primum neque secundum, Quia habitus & potentia cui additur eandem semper habent operationem: At appetitus & voluntas semper intendunt vel πρᾶξιν vel πίησιν, Pneumatice vero θεωρῆσαι. Ergo erit tertium, quod nempe sit in intellectu.

32. Dicam igitur merito scribas iis qui, sicut *librum* tibi fingunt Philosophiæ subjectum, vide Anthon. Nothold. *in consid. nat. Log. adv. Corn. Mart. c. 12.* indeque Philosophiam quandam systematicam systemate libri *essentialiter* contentam tibi obtrudunt, ita etiam Pneumaticen quandam in libro contentam κατ' ἐπωδὴν, forte sibi imaginantur: Ridicule sane! Quia omne accidens denominat suum subjectum, Candidum enim corpus dicitur in quo candor est Arist. *l. Categor. c. de subst.* At non liber sed homo dicitur Pneumaticâ scientiâ instructus, *Deinde:* Omne accidens est in subjecto fini suo proportionato Suaretz *d.* 44. *Metaph. sect. 1. n. 9.* ita ut illum acquirere sit expeditum: At finis Pneumaticæ est spirituum cognitio quam à libro acquiri posse nemo nisi vesanus affirmaverit.

33. *Materiam Circa quam* sive objectum Pneumaticæ spiritum esse ante visum est: *Formam* non habet, est enim ipsa forma mentis *Finis* ejus est spirituum cognitio scientifica.

34. Ex dictis igitur facilis erit Definitio: *Est* enim *Pneumatica scientia de spiritu, quatenus est spiritus* lumine naturæ cognoscibilis.

35. Restat porro *Divisio:* Quæ commodè desumitur ex objecto à quo omnis scientia suam sortitur divisionem: Dividi igitur potest in partes duas: 1. *Communem* quæ de spiritus naturâ, principiis & affectionibus in genere agit, 2. *Propriam*, quæ de modis essendi spiritus contractioribus (vulgo speciebus) tractat: Et hæc rursum dispescitur in partes duas: quarum prima Deum altera Angelos considerat: Cui tertio ex consuetudine ferè inseritur & non ex rei veritate tractatus de Animâ separatâ, Illam enim in Physica considerandam esse videbimus alibi, Dabimus tamen

huic etiam consuetudini aliquid in progressu, quando etiam, ne mutili videamur, de Anima doctrinam adjiciemus.

36. *Divisionis hujus bonitas & sufficientia sumitur inde*: Quia quot modis objectum Pneumaticæ intellectui cognoscenti repræsentatur, tot etiam ejus sunt partes: Est enim illa (sicut & quævis alia scientia) nihil aliud, quam objecti sui coram mente repræsentatio. Atqui duobus modis objectum Pneumaticæ intellectui cognoscenti repræsentatur, primò quidem per generalia principia (unde fit pars communis) post vero per modos objecti determinatiores (unde fit pars propria.) Ergo.

37. Patet hinc: Partes has formalitatem suam sumere ab objecto; Indeque licet termini isti *Pars Communis & propria* reliquis etiam scientiis sint communes, non tamen sub eadem Entitate & formalitate id fit, eo quod objecta varient. Et sic divisio hæc suo Diviso adæquata est.

38. Ultimo tandem dispicienda est *Pneumatica à Metaphysicâ differentia* (quod enim à reliquis differat disciplinis non puto controversum) quam paulo tractare liceat prolixius, eò quod hinc præcipue pendeat constitutio ejusdem. Nemo autem est qui ignoret, quod furculum & partem Metaphysicæ velint esse Pneumaticen è veteribus & neotericis quamplurimi, Conf. Franc. Suaretz *d. 1. Metaph. s. 2. n. 12.* Colleg. Conimbr. *in proœm. ad ll. phys. Arist. q. 1. a. 2. 3. seqq.* Fonsec. *l. 6. Metaph. c. 1. q. 6. s. 3.* Javell. *l. 6. Met. q. 8.* Anton. Andr. *l. 8. Metaph. q. 3.* &c.

39. Fundamina hujus assertionis probabilia non desunt: Primum sumi potest *ab objecto Pneumaticæ*, Spiritu scil. quod est objecti Metaphysicæ pars potissima: Partes autem sui objecti una considerat scientia Arist. *l. 1. post. anal. t. 179.* Idque adeo multis persuasum est, ut vel Deum, (qui Pneumaticæ pars est) dixerint esse objectum Metaphysicæ adæquatum cum Averr. *l. 1. phys. comm. ult. cit.* Suaretz *d. 1. Metaphys. s. 1. n. 7.* vel saltem objectum principale & perfectionis cum Fonsec. *l. 4. Metaph. c. 1 q. 1. s. 3. concl. 1.* vel Deum & Angelos objectum adæquatum atttributionis esse voluerint cum Petr. Hurtad. de Mendoz. *d. 1. Metaph. s. 4. § 7.* Quæ si vera sunt de Deo & spiritibus peculiaris scientia constitui non debet.

40. Se-

40. Secundum argumentum sumi potest *A modo distinguendi disciplinas theoreticas* ab invicem, qui fit per abstractiones à materia specie diversas, Abstractio autem illa variat solum tripliciter, unde etiam triplex exurgit scientia, Metaphysica Physica & Mathesis: Nam 1. *Abstractio* illa vel *est à materia singulari vel individuâ*, & est cognitio rei materialis quidē & sensilis, sed non in individuo ut individua est, quod fit e. g. si cognoscas hominē non cognito hoc homine, Petro vel Paulo, vel Leonem non cognito hoc leone. Et *hanc abstractionem sibi vendicat Physica*, ita ut omnia quidē materialia consideret, non tamen ut in materia singulari existunt sed ut ab illa abstracta sunt.

41. Vel 2. *Abstractio est à materia individua & sensibili*, & est cognitio rei materialis, verum nec ut individua nec ut sensibilis est, quemadmodum Quantitas consideratur à Mathematico, neque ut sensibilis est v. g. alba vel nigra, neque ut in individuo est quantitas hæc vel illa, sed simpliciter ut quantitas est, de quâ affectiones per principia *Matheseos* demonstrat, indeque *hanc abstractionem sibi soli vendicat*.

42. Vel 3. *Abstractio est à materiâ intelligibili*, & est cognitio rei quæ in suo conceptu & esse materiam nō involvit, qua ratione v. g. cognoscitur Ens, quod secundum se sumptum non est materiale, itemque *spiritus*, qui omnis omnino materiæ expers est. *Et hanc abstractionem sibi adsignat Metaphysica*, ita ut omnia quæ à materiâ intelligibili abstracta sunt, h. e. quæ in suo conceptu materiam non involvunt eò sint referenda.

43. His suppositis jam facile illorum sententiam confirmabis: Quæcunque enim enim intra eandem abstractionem continentur ad eandem pertinent scientiam: Indeque porro: Quæ à materia intelligibili abstracta sunt pertinent ad Metaphysicam: Spiritus autem à materia intelligibili est abstractus, eo quod in suo conceptu nullam omnino materiam involvit. Ergo. Conf. Suarez. *d.* 1. *Metaph. s.* 2. *n.* 12. Fonsec. *l.* 6. *Metaph. c.* 1. *q.* 6. *s.* 3.

44. Tertium argumentum necti potest *Ab authoritate Aristotelis*: qui 1. tres solum facit disciplinas theoreticas, Theologiam sive Metaphysicam, Physicam & Mathesin (omissa Pneu-

matica) *l. 2. Metaph. c. 1. l. k eor. c. 6.* & *2.* Pneumaticen sub Metaphysica comprehendit, quandò eò refert doctrinam de spiritibus *l. 12. Metaph.* Unde etiam Theologia dicitur *l. 2. Metaph. c. 1. l. 11. eor. c. 6.* quia de Deo potissimum sermonem habet, Mendoz *d. 1. Metaphys. s. 4. §. 27.* Suaretz *d. 1. Metaph. in proæm.* Dn. Scheibler. *l. 1. Met. c. 1. tit. 1. n. 7.* Et hæc sunt quæ pro illa sententiâ facere videntur.

45. His tamen non obstantibus contrariam sententiam, quæ *Pneumaticam distinctam specie à Metaphysica scientiam* esse asserit judico probabiliorem cum Clariss. Dn. D. Jacob. Martin. *lib. 1. exerc. Metaph. 2. theor. 5. p. 45.* Perer. *l. 1. de Philosoph. c. 6.* motus sationibus, quarum primam sumo *ab objecto utriusq; scientiæ diverso:* Metaphysicæ objectum est Ens quatenus Ens, h. e. quatenus *essentiam* habet de quâ affectiones per principia illa demonstret, Arist. *l. 4. Metaph. c. 1. & c. l. 6. eor. c. 1. & alibi.* Pneumaticæ vero objectum est spiritus, qui sub objecto Metaphysicæ *in esse objecti* non continetur.

46. Licet enim spiritus sub Ente contineatur tanquam inferius sub superiori, (quemadmodum etiam omnia Entia alia in particulari,) & sic hac ratione quatenus simpliciter habet *essentiam* ad Metaphysicam referri debeat! Deviat tamen ad peculiarem disciplinam neque amplius in ambitu Metaphysicæ continetur, quatenus habet *essentiam talem* in particulari nempe spiritualem: Quemadmodum etiam corpus sub objecto Metaphysicæ continetur quatenus præcisè habet *essentiam*, quatenus autem habet *essentiam corpoream* ad Physicam declinat.

47. Ratio hinc 2. sumitur *A simili:* Peculiarem facit scientiam corpus una substantiæ species, cur non & peculiarem faciat spiritus altera ejus species Dicis: *Abstractionem impedire Metaphysicam, sub quâ continetur spiritus, non continetur corpus:* Resp. Abstractionibus inconvenienter distingui disciplinas mox demonstrabo.

48. Ratio *3.* sumi potest *à naturâ Metaphysices*, quæ prohibet eam descendere ad specialia sive species Entis: Nam Est illa sapientia *l. a. Major. Metaph. c. 1. & 2. l. k. eor. c. 1.* &c, hæc autem

omnia

omnia scit quidem verum μὴ καθ' ἕκαστον ἔχουσα ἐπιστήμην αὐτῶν l. a. *Maj. Metaph. c. 2.* indeq; illa καθόλου περὶ τὸ ὄντος ἐπιστήμη, reliquæ vero scientiæ *partem Entis* præscindunt quam speculentur *l. 7. Metaph. c. 1. l. k eor. c. 3.* Cur igitur illa faceret descensum contra jus & præscriptum suum ad Entis illam partem quæ spiritus est?

49. Dicis: *Si Metaphysicæ non licet descendere ad specialia, cur illa tractat de substantia & Accidente?* Resp. Metaphysicæ non simpliciter esse prohibitum descensum ad specialia, sed solum ad specialia talia quæ sunt *species proprie sic dictæ*: Accidens autem & substantia species non sunt: Unde etiam Metaphysicus in sua tractatione descendit ad novem *summa genera* accidentium, hæc enim non possunt esse species cum accidens non sit genus eorum, Conf. Soncinat. *l. 4. Met. q. 1. & l. 12. q. 47.* Ulterius tamen descendere ad inferiora non debet.

50. Ratio 4. sumitur *A modo distinguendi scientias ab invicem* qui fit per considerationes diversas in ordine ad objectū. Hoc autem ut monstrem, suppono Modum considerandi objecta in scientiis, esse vel *genericum & omnibus ex æquo communem*, quo sc. inquirunt objecti principia, affectiones & species juxta Aristot. *l. 1. poster. anal. c. 8. t. 25. l. β. Metaph. c. 2. l. k. eor. c. 6.* vel *specificum & cuilibet scientiæ peculiarem*, qui oritur à *tali vel tali objecto* diversis actibus taliter vel taliter attingendo: Scientiæ enim proximè per actus & remotè per objecta specificantur, Conf. Thom. *p. 1. sum. q. 1. art. 3. & q. 77. art. 3.* Suaretz *d. 48. Met. sect. 13. n. 16.* indeq; mensurantur ab illis Arist. *l. 10. Met. c. 6.*

51. Hinc jam facile petitur distinctio scientiarum: Sic v. g. *Metaphysica* suum objectum, quod est Ens quâ Ens cognoscit, ut inquirat ejus principia affectiones & species, & sic omnia ad sese vocat, quæ sub talem considerandi modum cadunt, quæ sc. sunt *vel principia vel affectiones, & modi Entis*: Sic *Pneumatica* suum objectum quod est spiritus considerat, ut inquirat principia affectiones & species ejusdem, & sic ad sese refert omnia quæ sub talem considerandi modum cadunt quæ sc. sunt *vel principia*

vel

vel affectiones vel modi spiritus. Sic *Physica* in suo objecto quod corpus est inquirit principia affectiones & species & sic omnia quæ sub tali considerandi modo *vel principia vel affectiones vel species corporis* sunt, sibi assignat. Sic *Matheſis* circa suum objectum quod quantitas est versatur, ut ejus principia affectiones & species quærat, & sic omnia quæ *vel principia vel affectiones vel species quantitatis*, sunt sibi vendicat. Et hæc vera est ratio scientias ab invicem distinguendi.

52. Hinc jam facile nostra sententia confirmatur: Quæ enim scientia diverso ab aliis considerandi modo & actu suum attingit objectum illa utique ab aliis distincta est: Atqui Pneumatice diverso ab aliis actu suum cognoscit objectum, ut modo visum. Ergo ab aliis & sic etiam à Metaphysica erit distincta.

53. *Ad argumenta assertionis contrariæ facile respondetur: Ad primum dico.* Spiritum non esse partem objecti Metaphysices *in esse objectivo* accepti: Nam partem objecti esse in disciplinâ est ceu objectum partiale in illa tractari: At hoc de spiritu dici nequit quia ille sub modo considerationis Metaphysico non continetur, Conf. *thes.* 45. & 46. Quæ adduntur de sententiis aliorum qui Deum Metaphysicæ volunt objectum, illa ceu falsa remittimus ad suos authores.

54. *Ad secundum dico* Modum disciplinas distinguendi per abstractiones ineptum esse: Quia *in eadem disciplinâ diversæ species abstractiones reperiuntur*, quod probatur 1. *In Metaphysica*: quæ agit de Ente & ejus attributis, quæ *a materiâ intelligibili abstracta* sunt: Agit etiam de substantiâ materiali, materiâ, & prædicamentis novem posterioribus, maximam partem materialibus, idque non πάχόλως solum & per διέξοδον ut volunt Conimbr. *in proœm. ph. q. 1. art* 5. sed ἀκριβῶς quæ tamen *a materia nõ abstrahunt*, Quomodo enim materia abstraher à seipsa? quomodo materia considerabitur sine materia?

55. Porro 2. Diversæ specie abstractiones reperiuntur *in Physica*: Agit enim illa de corporis non solum affectionibus & specie-

speciebus quæ *abstrahunt à materiâ singulari*, sed etiam de corpore hoc & illo in individuo *quod à materia individua non abstrahit*: Patet id inde: Quia non solum de cœlo, elementis, astris, &c. in specie ibi disseritur, sed etiam de his numero cœlis, his elementis his astris in individuo tractatur, quando numerus, figura, magnitudo, inflexus &c. horum numero cælorum inquiritur, quando duodecim, undecim vel novem cœli orbes, septem planetæ, 1022. stellæ fixæ, (præter eas quas recentior navigatio ultra æquatorem circa polum antarcticum detexit) quatuor elementa &c. recensentur. Quæ omnia corporibus his in individuo accidere satis est manifestum.

56. Hoc igitur si est, disciplinæ non debent per abstractiones distingui Quia inde non oritur distinctio sed confusio & disciplinarum sine necessitate multiplicatio. *Adde:* si maximè (ex hypothesi illorum) retineas disciplinarum per abstractiones distinctionem, nihilominus Pneumatice erit à Metaphysica distincta: Quia *alia est abstractio à materia secundum rationem*, estque illorum quæ rationis beneficio sine materia concipiuntur cum tamen alias *indifferentia* sint, ut existant vel in materia vel sine illa, qua ratione Ens cum suis attributis & modis abstrahit à materia, ideoq; etiam abstractio hæc Metaphysicæ est propria: *Alia deinde est abstractio à materiâ secundum rem & rationem*, estque illorum quæ in suo conceptu ita materiam non involvunt ut etiam illis prorsus *repugnet*, qua ratione à materia abstrahit spiritus ideoque illa propria est Pneumaticæ. Quæ duæ abstractiones inepte à contrariæ sententiæ asserteribus confunduntur in unam.

57. Ad tertium, quod ab autoritate Arist. sumptum erat, resp. 1. Non admittendas esse illos qui ita: *Arist. hanc scientiam non habet. Ergo non est*, Quia ab autoritate negativè inferre non admittit Logicus? Et rectè: Cum ex Aristotele non faciamus Deum aliquem qui norit omnia: Dux noster est non Dominus in veritate, quam novit ipse non posse in hac rerum caligine penitus occupari *l. a. Major. Metaph. c. 1.* Interim tamen 2. *Excusari potest Arist. dupliciter* 1. Noluit ille Pneumaticen seorsim à Metaphysicâ tractare, eò quod perpauca essent, quæ ex lumine naturæ de-

ſpiritu cognoſcerentur, 2. Probabile eſt illum de hac ſcientia ſcripſiſſe, quæ tamen ſcripta temporis injuria nobis forte ademit: ita, ut ſtatuam, me movet Cicero qui *l. 1. de Nat. Deor p. 10.* dicta quædam de divinis rebus citat ex Ariſt. *l. tertio de Philoſophia*, qui non extat: Itemque *l. 2. de Nat. Deor.* utitur argumento Ariſt. ad probandam Dei providentiam quod tamen non reperitur in ſcriptis quæ extant. Unde probabile, illum alicubi hac de re exactius ſcripſiſſe. Adde 2. quod Thomas *opuſc. 16. ſ. 1.* aſſerat ſe quatuordecim libros Ariſtotelis de ſubſtantiis ſeparatis in latinum nondum converſos vidiſſe, qui continerent multarum de Deo & animis quæſtionum enodationem, Conf. Fonſec. *in proem. Met. Ariſt. c. 3. p. 15.* Plura alia Inquimus collationi.

58. Quæris: *Ultra ex Metaphyſica & Pneumatica ſit altera nobilior?* Reſp. Nobilitas ſcientiæ æſtimari poteſt vel ex objecto vel ex modo verſandi circa illud: Si illud nobilior eſt, quæ meliorum eſt & πμιωτέρων: Sin hoc, præſtantior eſt quæ eſt certior, reliquis univerſalior, illiſque ſua præſcribit objecta: Pneumatica igitur poteſt dici Metaphyſica nobilior, ſi æſtimes nobilitatem objecti: Hæc contra erit nobilior iſtâ ſi conſideres nobilitatem ex modo verſandi circa illud: Metaphyſica enim reliquis eſt certior & univerſalior, quia demonſtrat per prima & univerſalia principia, præſcribit etiam reliquis diſciplinis ſua objecta, Conf. Suar. *d. 1. Met. ſ. 4. n. 5.* Gloria Deo.

Corollare.

Vexata quæſtio eſt: *ſitne Logica Ars proprie dicta!* qualem deſcribit & poſcit *Ariſt. l. 6. Ethicor. Nicomach. c. 4?* Nos non ſolum dicimus Artem ſed etiam cum addito *Artem inſtrumentalem*.

PRÆ-

PRÆSTANTISSIMO

DN. RESPONDENTI,

SUbdita quæ Sophiæ sceptris fuit antè supremæ
Nunc exemta suo se regit imperio?
Anne quod ista suo non claudit pneumatica circo?
Entia itemq; sophus multiplicare volet?
Anne quod audacter, (qui Saxo diceris *audax*)
Pneumaticam antiquo surripis, imperio?
Sit licitum! Sophiam cum pneumatice pingere primam:
Esto nefas, ratio quod volet esse nefas.

L. M. Q.

PRÆSES.

POst exantlatos varios hinc inde labores
Digna labore manent tandem sua præmia: quemq;:
Aurea sic trucibus superatis undiq; monstris
In patriam tandem multo discrimine secum
Præmia parta reportat ovans è Colchide Jason:
Fortunâ variâ multoq; labore pererrans
Sæva Anchisiades impigro littora cursu
Ducitur in Latium incolumis, lætusq; labore:

Præ-

Præmia digna capit, Latij rexq́ inclutus audit.
Quidni sic quoq́ justa tuos charißime tandem
Sudores certó sequerentur præmia civis?
Ut cepisti alacris pergas, faxit Deus ut te
(Ex animo voveo) cum opibus comitentur honores,

Præstantiss. Humaniss. Dn. RESPONDENTI: civi ac amico suo charissimo l. mq́ p.

Hermannus Rodbertus:
Lubecensis.

HUBERTUS CONIUS
ἀναγραμματισθεὶς.

Ter subi onus: Huc!

TEr felix subi onus: *redeunt* huc *deniq́ cuncta:*
Patria te celebret: summus Jova beet.

Ex sincera affectione accinit
Johannes Livonius.
Lubec. S.

COLLEGII PNEUMATICI

Disputatio Secunda

DE

NATURA, PRINCIPIIS, ET AFFECTIONIBUS SPIRITUS IN GENERE,

Quam assistente summo Numine

Ex permissu venerandi Philosophorum ordinis in inclyto Rostochiensium Lycæo,

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Publice in Auditorio majori Examini subjiciet ad diem 7. Jan. horis matutinis.

JOHANNES DASSOVIUS

Buxtehuda Frisius.

Scalig. exercit. 1, sect. 1.

Ad intellectionem rerum sempiternarum mentis nostræ directa acies tam imbecilla est, quam ad Solem intuendum nycticoracis oculus.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXIX.

Literatissimo

DN. RESPONDENTI,

SI neget insignes Visus spectare colores,
Auditusque suos non sonet ipse sonos,
Et sibi fragrantes Nasus non sumat odores,
Nec persentiscat grata sapore Sapor,
Neu referat Tactus, quæ mollia & aspera tangat,
Non habet ut quicquam mens sciat ipsa sibi:
Quod volet assiduis disquirere sedula curis,
Corporis & sensus dirigit arbitrio:
Ergo Dassov Inum tolleris altius inde?
Mente quod intendis πνεύματα nosse tuâ?
Mente quod intendis, quod sensus nosse negavit,
Nec genio tangit magnus Apollo suo?
Scilicet? Ingenium sic incitat insita virtus,
Sublimiq; volet vertice ad astra vehi,
Altius assurgit, nec non, quod sensa negarunt
Intemerata suo discutit arbitrio.

L. M. Q.

Præses.

Sic

SIc igitur doctus Cycli septemplicis artes
Nunc demum Sophiæ pulpita adire paras?
Et quæ SPIRITUUM natura sit alta tenentum,
Præside CLOTZENIO differere instituis?
Macte isthoc animo DASSOVI, & sedulus usq;
Inceptam propera fortiter ire viam.
Sic condigna tuis orietur gloria factis,
Et quondam patriæ commoda mille dabis.

Amoris contestandi ergò αὐτο-
χεδίως faciebat,

Johannes Schnobelius
Soltquellensis.

Σῷ Θεῷ.

Disputatio Secunda,

DE NATURA, PRINCIPIIS ET AFFECTIONIBUS SPIRITUS IN GENERE.

Thesis I.

PRæcedente disput. visum totam de Spiritu tractationem duabus se partibus absolvere: 1. *Parte communi*, quæ generatim principia & affectiones spiritus inquirit, 2. *Speciali* quæ ad ejus descendit species. Ordo igitur poscit ut parte primum communi inquiras 1. Principia affectionum per quæ demonstrat Pneumatice, 2. Affectiones ipsas quas demonstrat de suo spiritu. Quod idem hac disp. imitari liberum esto.

2. De *Principiis* primo acturus merito hic repeto, quod *Pneumatice principia proprie dicta, quæ causæ sint immediatæ suarum affectionum*, non necessario *requirat*, contenta aliquando iis, quæ per analogiam quandam principia & causas imitantur, in eò, quod (æque ac illæ) sint *rationes formales* immediatæ sive quoad esse sive quoad cognosci, cur affectio de suo subjecto dicatur.

3. Et hoc idem de Affectionibus repeti velim: *Neq;* enim *illa affectiones proprie sic dictas necessario de suo subjecto demonstrat*, sufficit si hic reperiantur attributa, quæ per analogiam affectionibus assimilentur in eo, quod *ad modum attributorum* propter imperfectum nostrum concipiendi modum apprehendantur, licet alias in *reipsa* affectiones non sint.

4. Unde innotescit *Neq; Pneumaticen exigere demonstrationes* κατ' ἐξοχήν *tales*, ubi per veras causas, vera affectio de suo demonstratur subjecto, apud Arist. *l. 1. poster. c. 2.* Cogitur illa sæpius

pius contenta esse iis, quæ demonstrationes non nisi ἀναλογικῶς imitantur, quas inde *Demonstrationes Analogicas* non incommode appellaveris eò quod inibi omnia (sive subjectum sive affectiones sive principia) non proprie sed per analogiam talia liceat reperire.

5. Et hæc demonstrandi ratio potissimum obtinet in hac parte communi, ubi de spiritu in genere, & in partis specialis illa parte, ubi de Deo tractatur: Hic enim neutiquam conficies demonstrationes Aristotelicas, eò quod hic sive affectionibus sive principiis, exquisitè dictis, unde tamen omnis demonstratio conficitur, destituare! Et sic *frustra illi laborant, qui Deo demonstrationes vere dictas assignant*: Exemplum esto demonstrationis, quod ex immaterialitate Dei demonstrat intellectum hoc modo. *O immateriale est intellectuale*: Deus *est immaterialis*. *E. Deus est intellectualis*: Demonstrationem hic habes non καθ' ἑξοχὴν sed καθ' ἀναλογίαν talem, quia affectio hic nulla sed saltem aliquid ad modum affectionis apprehensum, indeque illi analogon, v. g. *intellectualitas*, neque principium hic ullum, sed saltem aliquid illi analogon & apprehensum tanquam ratio formalis immediata, cur intellectus sit in Deo v. g. *immaterialitas*, neque subjectum hic ullum, cui sc. inhæreat affectio, sed saltem aliquid illi analogon, in eo quod concipiatur esse prius attributo, &c. v. g. *Deus*. Et ita quoque est in reliquis: Nulla igitur hic ubi de Deo agitur vera est demonstratio.

6. Ne tamen æstima, *Demonstrationes has analogicas imperfectionem quandam importare in re demonstrata*, quia ipsum demonstrationis fastigium attingere non possint: Eminentiam potius & perfectionē notant *in re de qua est demonstratio*, quæ altius sapit quā ut propter *simplicitatem* compositionem ex subjecto & accidente admittat, quæ in omni demonstrationis propriæ subjecto requiritur.

7. Imperfectio tamen hic innuitur in intellectu demonstrante, qui *eo cognitionis modo* quo in creatis & corporeis rebus utitur etiam in re spirituali Deo præsertim, progreditur, ideoque concipit in illis aliquid quod sive principium sive affectionem putet esse, propter *convenientiam* quam deprehendit in illo ad principium

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0038
DFG

cipium sive affectionem in re aliqua composita & creata. *Analogia igitur illa in re notat perfectionem, in intellectu nostro contra imperfectionem.*

8. Porro & hoc notandum, quod *Demonstrationes illæ analogicæ fiant secundum analogiam demonstrationum tam διότι quam ὅτι*: Apprehendimus enim hic sæpe unum, quod sit ratio immediata alterius, indeque quodammodo notius & *prius* ipso, & sic ejus quasi principium: Ex quo medio dein demonstratio διότι analogica oriri potest, Qua ratione e.g. de Deo demonstratur voluntas ex intellectu &c.

9. Sæpius etiam contenti esse cogimur in difficili hac spirituum doctrinâ vel *Demonstrationibus ὅτι*, sive à posteriori & ab effectu sumptis, ut ita rei essentiam alias ignotam ab effectibus quasi venari liceat, vel etiam *rationibus* tantummodo *topicis* & probabilibus, eò quod intellectus nostri imbecillitas spirituum essentias accurate non possit intueri, indeque probabiliter saltem hic disserere cogitur, licet alias in re ipsa media præsto sint apodictica: Imò prorsus aliquando subsistit, usurpans candidi & ingenui animi verbum! Nescio; Ipsas enim rerum *materialium* formas & naturas incognitas habet, Confer Scalig. *ex 101. f. 14. & 307. f. 21, 22.* multo magis igitur in rebus à sensu & materia abstractis balbutiet,

10. Non tamen ea quæ de Demonstrarione analogica dicta sunt, ad pneumaticæ se extendunt partes: *Demonstrationes & ibi accuratæ reperiuntur*, in eo præcipue, qui de Angelis est, tractatu: Angeli enim (ut alibi videbitur) compositi sunt ex subjecto & accidente: *Indeq; porro*: In illis sunt affectiones & affectionum principia, unde Demonstrationes exactas fieri quid prohibeat?

11. *Principia* demonstrationum διότι sive à priori Pneumatice potissimum duo habet: 1. *Ipsam essentiam spiritus* sive spiritualitatem: 2. *Affectionem prius demonstratam* quæ ratio immediata est alterius affectionis demonstrandæ:

12. *Quod essentia spiritus principium demonstrationis sit, patet* facile: Ut enim essentia cujusvis rei est primum radicale & intimum principium omnium actionum & proprietatum quæ rei conveniunt Suarez *disp. 2. Metaph. sect. 4. n. 5.* Ita etiam essentia

spirius omnium affectionum in ipso intimum & radicale erit principium: *Patetq; id porro à simili:* In scientiis aliis affectiones objecti demonstrari solent per essentiam objecti: Metaphysicus enim v. g. affectiones entis demonstrat per essentiam ejus: Physicus item affectiones corporis naturalis per ejus essentiam &c. Idem igitur facere poterit Pneumaticus.

13. Hoc ut eo rectius cognoscatur observari potest: *Essentiam spiritualem esse & affectionis principium quo demonstretur illa, & unà ejus subjectum de quo demonstretur!* Quod ne putes esse ridiculum, attende id fieri cum aliqua distinctione rationis: In spiritu enim duo ista ut distincta (ratione) possunt apprehendi: 1. Ipsa spiritualitas, 2. Spiritus: ubi prius se habet ut abstractum, ut principium, ut forma, & essentia, posterius vero ut concretum, ut principiatum, ut formam ut essentiam habens, Indeque porro spiritualitas principium, spiritus vero objectum in scientia & demonstratione esse potest: nó aliter ac in Metaphysica Ens principium simul est & objectum ejusdem: Principium dicitur, quatenus ipsa in abstracto essentia est, objectum, quatenus, in concreto Ens est &c.

14. Neq; necessariam æstimo in scientiis, præsertim analogicis, realem objecti & principij diversitatem, cum id nec in demonstrationibus exquisitis, ubi medium est ipsa *essentia*, reperire liceat ut fit v. g. si risibile demonstres de homine per rationale; *Sufficit* igitur *in scientiâ si principium & objectum ratione solum & nostro concipiendi modo differant, ut illud Quo ineſt attributum, & illud cui ineſt*, quod discrimen sufficienter indicatur, si apprehendantur differre ut abstractum & concretum, ut forma & habens formam &c.

15. Hoc supposito non erit abs re, si de spiritu *ut principio* hic paucis inquiram! *Ut principio* inquam! Alias enim ut hujus disciplinæ objectum est, Metaphysicus illud præcognoscit, an sit, & quid sit, scientia enim omnis præsupponit suum objectum esse, Arist. *l. 1 poster.* Conf. Zabar. *l. de trib præcogn. c. 2. de natur. scient. constit c. 2. &c.* neque inquirit ejus definitionem, cum illud in superiori scientiâ definitum supponat. Hoc tamen non prohibet, quo minus spiritus sive naturam sive definitionem inquirere liceat.

16. *Vox*

16. *Vox spiritus æquivoca est*, ideoque distinguenda; Derivatur autem illa à spirando, (quemadmodum & Græcum πνεῦμα ἀπὸ τ῀ πνεῖν) indeque vox illa primò imposita est, ut significaret respirationem, halitum, anhelitum, 2. latius usurpari cæpit pro corpore subtili, quod per respirationem ex ore educitur, 3 pro ventis, qui πνεύματα dicuntur apud Arist. *l. de Mundo ad Alexand.* 4. pro corpore aliquo tenuissimo, in animantibus perpetuò mobili, ex sanguine & vapore genito, facultatum animæ vehiculo, ut describit Andr. Laurent. *l. 6 hist. anatom. quæst. 22.* Et recenseri solet triplex *1.* Est *Spiritus naturalis*, qui ab epate per venas ad facultates animæ naturales, auctricem altricem & procreatricem; *2. vitalis*, qui à corde per arterias ad facultates vitales; *3. animalis* qui à cerebro per nervos ad facultates sensitivas in operationibus suis promovendas corpori communicatur, Conf. Zabar. *l. de partit. an.* Magir. *l. 5. Phys. c. 8.* &c. 5. Spiritus sumitur pro animâ viventem, quo sensu etiam plantatum & bestiarum formæ spiritus dicuntur. 6. Specialius pro anima rationali, Conf. Dn. Scheibl. l. 2. *Metaph. c. 2. art. 2. punct. 1. n. 115.* Conimbr. *tract. de an. separat. disput. 1. art. 3.*

17. Aliter etiam 7. spiritus accipitur Platoni pro mediâ quadam naturâ inter animam & corpus, dissimiles istas naturas uniente: Plato enim (ut alij ejus referunt sententiam) animas hominum jam olim in cœlo creatas reservari voluit tandiu, donec à creatore juberentur descendere & in corpora introire: Creatas tamen non nudè sed exquisitâ scientiâ, quam detrusæ in corpora amittant, indeque si quid addiscant, nihil aliud quam reminiscentiam quandam præteritæ scientiæ esse: Quia autem de cœlo descendere debebant, donabantur vehiculo quodam & indumento cœlesti, eò quod per orbes cœlicos mearent, de hinc & alio quodam tegumento elementari subtili igneo & aereo, quia per hæc elementa etiam transirent, His itaq; vehiculis instructæ tandem sua subeunt corpora, & si aliquando emeritæ stipendiis vitæ corpore suo abjurent, iterum cum vehiculis istis exeunt, omnemque impuritatem in corpore contractam relinquunt post se, eò quod à cœlo nil nisi purum recipiatur: *Et hoc vehiculum ex cœlesti & aereo corpore conflatum Platoni dicitur spiritus*, qui mediator quasi animæ est

& corporis, naturarum alias diversissimarum, *Huic opinioni non videtur absimilis illa* quorundam, qui tertiam quandam hominis partem essentialiter ab anima & corpore distinctam, quam spiritum vocant, nobis obtrudunt! *verùm* quicquid sit, sententia illa, quæ spiritum talem Platonicum, qui medium sit animæ cum corpore unitionis confingit, ridicula est & inepta, eò quod ex Physicis constet, formam *seipsâ* & immediate uniri materiæ, *seipsâ* illam actuare, informare & perficere, indeque composito largiri suum esse, ut nullo medio uniente indigeat, Conf. Mendoz. *disp. 5. Phys. prolixè, Deinde*: Frustra multiplicantur partes essentiales, cum ex materia & formâ sufficienter constitui compositum, nescio quoties inculcet Philosophus, Conf. *l. 2. de an. c. 1. text. 2. l. 7. Metaph. c. 3. 10. 13. 15. & l. 12. eor. c. 13.* & alibi.

18. His omnibus significatis ut à re præsente alienis additur tandem *8.* illud, quo *spiritus hoc loco sumitur pro substantia incorporea*, sive immateriali, quæ non habet corpoream molem quam in his materialibus substantiis experimur: Suaretz *d. 35. Metaph. sect. 1 n. 1.* & caret omni extensione, Hurtad. de Mendoz *disp. 2. de an. s. 3. §. 23.* neq; intrinsecè ex materia componitur Dn. Scheibl. *l. 2. Metaph. c. 2. n. 125.* Unde solet definiri *Spiritus* quod sit *substantia expers molis & extensionis corporeæ!*

19. Dici solet spiritus alio nomine *1. Forma*; non in sensu respectivo quasi aliud informet & actuet (licet hoc modo spiritus noster etiam forma vocetur) sed absoluto & metaphorico, quod in simplicitate, pulchritudine & perfectione formæ non sit absimilis: Unde etiam ad differentiam à formis physicis, quæ conjunctæ semper sunt cum materia, dici assolet *forma separata*: Qua ratione etiam Deus ad significandam sui perfectionem forma vocatur apud Dn. Scheibl. *l. 1. Metaph. c. 14. n. 59.*

20. Dicitur etiam 2. *Actus*, non item respectivè quasi actuet & perficiat aliquam potentiam passivam, quo modo forma dicitur actus (ἐντελέχεια) quia actuat & perficit materiam, Arist. *l. 2. de an. c. 1. t. 6.* Conf. *l. 8. Metaph. c. 11. l. 8 eor. c. 2 l. 9. c. 3. & 6.* & motus dicitur actus mobilis, quia perficit illud *l. 3. Phys. c. 2. t. 16.* sed absolutè & negative, quod careat potentiâ materiali, unde etiam cum addito solet dici *Actus purus*, quia à potentiâ est depuratus,

ratus, ptæcipue vero à materiâ, quæ καθ' ἑξοχὴν est δύναμις, Arist. *l. 2. de an. c. 1. t. 2. l. 1. φ. c. 9. t. 82. l. 5. Metaph. c. 2.* & alibi.

21. Generis loco *substantiam* pono: Spiritus enim (supposito quod Ens sit) erit vel substantia vel accidens: Non hoc: Quia sic inhæreret vel substantiæ materiali vel immateriali: Non materiali: Quia accidens immateriale in re corporeâ non subjectatur: Si immateriali, erit illa, quam nos spiritum vocamus, Confer. Suaretz *d* 35. *Metaph. sect. 3 n.* 1. Deindè: Spiritus est perfectioris longè, & nobilioris ordinis Ens quam corpus: At hoc substantia est. E multo magis spiritus: Accidentis enim esse est valde diminutum & imperfectum, unde non Ens, sed entis Ens dicitur ab Arist. *l. 7. Metaph. t. 2. & 15.* & vicinum non Enti à Scalig. *exercit. 10.* imò non Ens ab eod. *ex* 370. *s.* 24. Estque hæc res satis clara.

23. *Substantiam tamen hic ne intellige finitam* & in serie directa substantiarum prædicamentalium positam, quæ sit ex Genere & differentiâ composita, & habilis ad recipiendum accidentia, ex *l. Categor. c. de subst.* spiritus enim ut sic & *præcisè* sumptus in prædicamento substantiæ non est, sed superior illo! Deus enim qui, sub spiritu continetur, intra prædicamenta tamen non coercetur, propter summam sui, quæ obstat, perfectionem & simplicitatem: Imò si verum est, quod disputant Albertus Magn. *in prædicament. substant.* Crell. *Isag. Log. p. com. l. 1. c. 5. p.* 71. quod sc. summum genus prædicamentalis substantiæ sit substantia corporea, spiritui prorsus repugnat in prædicamento collocari, Conf. Fonsec. *l. 5. Met. c. 8. q. 4. s.* 3.

24. Rectius igitur *spiritum substantiam dixeris transcendentalem*, quæ latitudine suâ intra angustias prædicamentales cogi non possit, neque imperfectionibus quæ inibi reperiuntur, maculari! Id tamen quod in substantiâ *perfectionis* est, merito illi asignaveris, quod sc. sit Ens per se subsistens, nec in alio tanquam subjecto inhærens.

25. Hinc collige: 1. *Substantiam in datâ definitione* generis loco positam *genus non esse*: 1. Quia genere & specie desumuntur è serie rerum prædicamentalium, quas inter non est spiritus 2. Admitteret alias compositionem è genere & differentiâ, Hæc enim generi subinde juncta, contrahit & limitat illud ad certam speciem.

ciem Porph. *Isag. c.* 3. Et 4. Esset species, Neque 5. illis quæ sub spiritu continentur, genus repugnaret, Quicquid enim est genus generis, est quoque genus speciei, Arist. *l.* 4. *Top. c.* 2. §. 2. Quæ tamen omnia repugnant, eò quod Deo applicari nequeant.

26. Collige 2. *Spiritum perfectè definiri non posse: 1.* Quia omnis definitio debet habere genus, ἐν ἅπασι γὰρ ὁρισμοῖς ἁμάρτημά ἐστιν, ἐν οἷς οἱ προσκείμενοι τὸ λόγῳ τὸ τί ἐστιν inquit Arist. *l.* 6. *Topicor. c.* 3. 2. Omne definitum est species Arist. 7. *Metaph. c.* 4 Damasc. *Dial. c.* 5. At neutrum hic est. Ergo.

27. Unde etiam porro veram *Differentiam* (quæ sine genere nunquam est,) hic non licet venari, saltem aliquid differentiæ analogon, quo sc. spiritus à corpore distinguatur, in ejus descriptione signatum est: Estque illud potissimum in eo: 1. *Quod spiritus neget productionem ex materia, sive dependentiam ab illa fieri*, ita ut per eductionem ex ejus potentiâ non fiat: Et ita formæ materiales spiritus dici non possunt, cum omnes è materiæ potentiâ educantur, de quo Conf. Mendoz *disp. 4 phys. s.* 2. Francisc. Murt. *della Lana* d. 1. *super.* 5. *Phys. q.* 2. Javell. 7. *Met. q.* 13 *pag* 346. & 353. &c.

28. Hoc tamen nondum sufficit ut spiritum à corpore distinguas: Nam etiam cœlum, & quodvis aliud corpus per creationem primò productum, negat productionem ex materiâ eò, quod factum est *ex nihilo*, nec tamen ideo immateriatum est: Unde merito rideas Timplerum qui *l.* 4. *Metaph. c.* 6. *q.* 18. & 20. rem immaterialem definit eam, quæ ex materia non est producta? Hac ratione enim nulla res materialis esset creata, sed immaterialia omnia: eo ipso enim quod *creata* sunt, ex materia producta non sunt.

29. Porro igitur requiritur ad differentiam spiritus à corpore, *ut neget compositionem* (*intrinsecam*) *ex materiâ & formâ tanquam partibus*, omne corpus Physicum intrinsecè constituentibus, *& sic ab illis in* suo *esse prorsus non dependeat:* Quod discrimen accurate spiritus (completos) à corpore distinguit.

29. Hinc tertio nascitur & illud *quod spiritus neget operationem per materiam & cum illa* absolvendam, *& sic ab illa nec pendeat in operari* operari enim uti sequitur esse, ita etiam, qualiter se res habet in essendo, talis etiam est in operando: Spiritus autem

in

in essendo à materia est independens. Ergo etiam in operando. *Summatim igitur* spiritus est immaterialis: 1. quia non est ex materia productus, neque 2. ex illa compositus, nec 3. per illam operativus! Sicut contra *Materiale* dicitur, vel quod est ex materia eductum, vel ex illa compositum, vel per illam operativum, ut in omnibus corporibus completis reperire licet.

30. Utimur autem hic verbis negativis, *Immateriale, Incorporeum* &c. Indeque in cognoscendo spiritu procedimus *via remotionis*, removendo ab illo proprietates in corpore repertas: Ratio hujus, sita est in intellectus nostri imperfectione, qui res spirituales & simplices non cognoscit *ut in se* sunt, sed partim negationibus partim comparationibus ad res alias in earum cognitione uti cogitur:

31. *Spiritus itaq; quiditativè à nobis cognosci non possunt*: Quiditativa enim cognitio est (non eâ qua quiditativum aliquod attributum sed) quâ omnia prædicata quiditativa ad rei proprium & positivum conceptum pertinentia *eo modo quo sunt* cognoscimus, Conf. Dn. D. Jacob. Martin *l. 2. exercit. Metaph. 4. theor. 2. p. 680* Dn. Scheibler. *l. 2. Metaph. c. 3. n. 24.* At non cognoscimus in spiritu omnia quiditativa prædicata *eo modo quo sunt* in illo, sed vel per negationes vel habitudinem ad res alias illa exprimimus, Confer Suaretz *disp. 35. Met. sect. 3. n. 3.*

32. Addendum tamen: Quod aliud sit in negationibus istis *formale* quod per illas formaliter significatur, aliud vero *fundamentale*, quod per illas à nobis explicari intenditur: Formale quidem negatio est, id tamen quod per illam explicatur, positiva & realis spiritus perfectio est, quam sub ista negatione exprimere coegit necessitas, & intellectus nostri imbecillitas. Hactenus de principio primo ipsa sc. essentia spiritus.

33. *Alterum Demonstrationis principium* (quo utitur Pneumatice) *est Affectio prius demonstrata*, ex quâ alia immediate citri intelligitur, quemadmodum v. g. immaterialitas est principium unde spiritui demonstratur inesse intellectus &c.

34. Hæc quæ dico clariora erunt si Affectionis natura paulo investigetur prolixius: *Sunt* autem *Affectiones spirituum* nihil aliud quam *conceptus consequentes primum quiditativum conceptum*

spiritus, sic dictæ quod spiritum *afficiant* & denominent: Alias *attributa* dici solent, eò quod ab intellectu nostro subjecto suo sint *tributa*: *Passiones* item, *idia. πάθη*, *proprietates*, quod subjectum illas sibi appropriet, vel dum eas recipit patiatur, &c,

35. Dubitaveris forte: *Anne etiam spiritus agnoscat attributa*? Cur autem? Quia affectio vera & realis 1. à subjecto suo realiter est distincta, indeque nec 2. subjectum est de ejus essentia, quia non intrinsecè & essentialiter sed solum cum addito est in definitione passionis; Confer Arist. *l. 4. Topic. c. 5. l. 1. poster. anal. c. 18. t. 35. l. 7. Metaph. c. 5.* Suaretz *disp. 3. Metaph. sect. 1. n. 1.* Spiritus autem ejusmodi affectiones non agnoscit, quia alias ex subjecto & accidente compositus esset, quod absurdum.

36. Dico igitur 1. *Spiritus ut sic non necessario habet affectiones proprie dictas*, per ea quæ dicta sunt in præced. Conf. *th. 3. & disp. præced.* sed etiam analogicas, h. e. tales quæ 1. à subjecto non realiter sed *ratione ratiocinatâ* sive modo nostro concipiendi differant, Et 2. subjectum non sit de illorum conceptu formali, hoc modo ut *conceptus subjecti non sit conceptus attributi*, quod sufficit, Talesque affectiones quod agnoscat spiritus patebit porro ex dicendis: Ideoque:

37. Dico 2. *Spiritus ut spiritus habet affectiones reales* h. e. non fictas aut pictas per intellectum, sed eas quæ Entia sint realia: Quod enim præter intellectus nostri operam à parte rei existit, id Ens reale est: At affectiones spiritus conveniunt illi à parte rei præter omnem intellectus nostri operam, Indivisibilitas enim v. g. spiritui competit etsi nullus unquam cogitet spiritum esse indivisibilē. Ergo *Neq; hic quicquam obest, quod ante affectiones has ex parte analogicas dixerim*: Analogicæ enim sunt *non in esse Entis* vel realitatis *sed affectionis*.

38. Dico 3. *Affectiones hæ licet reales sint, non tamen realiter à spiritu omni distinctæ sunt* Agimus n. nunc de spiritu, ut communis est Deo & creaturis: Ideoque etiam affectiones spiritus *præcisè* sumpti Deo erunt communes: At in illo non admittitur ut sint à spiritu essentialiter distinctæ *Imò* (si intellectum & voluntatem excipias, de quibus adhuc sub judice lis est) non erit spiritus etiam

in

in particulari sumptus qui admittat affectiones à sese realiter diversas! Ideoque *realitas illa* quæ affectionibus istis tribuitur, non est in eo quod spiritui superaddunt, sed quod entitatem spiritus implicant. Et sic etiam non possunt affectiones illæ in spiritu *compositionem quandam realem ex subjecto & accidente* efficere: Compositio enim realis est inter rem & rem, sive, est simul positio duarum rerum ex quibus tertia resultat, ut loquitur Mendoz. *d. 4 Log. s. 3. §. 14.* At illud hic non est.

39. Dico ulterius 4 *Affectiones illæ á spiritu sæpe differunt ratione ratiocinatâ*, quâ intellectus rem unam & à parte rei indistinctam ut multa apprehendere potis. Sicut enim ille ea quæ multa sunt potest unire ita quoque ea quæ reipsâ unum sunt potest partiri & apprehendere ut distincta, verbis Suaretz *d. 2. Met. s. 1.* idque cum fundamento ex re desumto quod est (non multitudo rerum sic enim oritur inde distinctio realis, sed) qualiscunq; occasio sumpta ex re ad multiplicandos conceptus: Conf. Suaretz *d. 7. Metaph. s. 2. n. 28.*

40. Attributa igitur spiritus à parte rei sæpè cum ejus naturâ sunt unum, à ratione solum nostra concipiuntur ut plurâ, ut declaretur amplius in ordine ad cognitionem nostram spiritus natura: Idque omne fit cum fundamento ex re desumptô: Sic v. g. distinguit intellectus in spiritu *illocabilitatem & immobilitatem*, quia locus (quem negat illocabilitas) & motus (quem immobilitas negat) in corporibus distinguuntur, &c.

41. *Affectiones autem spiritus possunt esse duplices*: 1. *Negativæ* quæ verbis negativis, & *Positivæ* quæ positivis efferuntur, illæ sunt esse *Non-Quantum sive inextensum, indivisibile, immensurabile, illocabile, immutabile, immobile, insensile, nec in tempore esse*.

42. *Spiritus 1. est non quantus sive inextensus*: Quantitas enim est non solum (ut vulgi fert opinio) affectio propria materiæ, sed etiam (quæ verior est sententia) ipsa materia, & non nisi ratione ab illa distincta, uti etiam multi ex antiquis philosophis statuerunt, Ideoque à positione vel remotione materiæ ad positionem vel remotionem quantitatis indubitato licet argumen-

tari. Spiritus autem materiam non habet Ergo nec quantitatem.

43. *Spiritus 2. est indivisibilis*: Ubi nota: Indivisibile aliquid esse tripliciter 1. *ratione essentiæ*, quod non admittit detrahi aliquod prædicatum essentiale ab essentiâ ejusdem, manente eadem essentiâ: Qua ratione non solum spiritus sed etiam Ens quod libet essentiam habet ἐν ἀτόμῳ consistentem. 2. Indivisibile aliquid est *ratione partium intensivarum*, quod non admittit intensionem & remissionem: Qua ratione itidem (solis qualitatibus exceptis) Ens omne indivisibile est, 3. Indivisibile *est ratione partium extensivarum*, quod in plures partes integrantes dividi non potest, Qua ratione illa quæ materiam non habent etiam dividi nequeunt: Unde patet: Hanc indivisibilitatem oriri immediate ex negatione materiæ: Spiritus igitur quia materiam non habent, neq; partes materiales, erunt quoque hac ratione *unice* indivisibiles.

44. *Spiritus 3. est Immensurabilis*; Mensura enim est quâ *Quantitas* rei cognoscitur, Arist. *l. 10. Met. c. 1.* ideoq; omne mensurabile est quantum Perer. *l. 12. de temp. c. 10.* Unde plurimi etiam ipsum quantitatis essentiam collocarunt in ratione mensuræ, quos vide apud Suarez *d. 40. Metaph. s. 3. n. 2.* Fonsec. *l. 5. Metaph. c. 13. q. 1. s. 1 &c.* At spiritus quantitatem non agnoscit Ergo nec mensuram.

45. *Spiritus 4. est illocabilis*: quod patet: 1. Quia locabilitas est affectio *corporis* quantitatem habentis Conf. Arist. 4. Φ. *t. 1.* Ideoque, quicquid in loco est illud quantitativè extensum est; Secus enim non posset ab illo circumscribi: At extensio non potest tribui spiritui. Imò 2. sive locum definias per superficiem cum Arist. 4. *phys. c. 4. t. 41.* sive per basin cum Keckerm. sive per spatium & intervallum cum Scalig. *exercit. 5 s. 3* & Cosmopolitano quodam *philos. lib. exercit. 2. p. 35.* non tamen spiritus in loco esse poterit: Nam 1 superficies est *corporis* continentis locatum: Ideoq; etiam continentia ista non est ad spiritū sed corpus, 2. Basis iterum est *corporis* sustentaculum Et 3. spatium est quod *locati corporis dimensionibus* occupatur Scalig. *cit. l.* Conf. Valles. *l. de sacr. Philos. c. 41. p. 241.* Spiritus autem dimensiones non habet, *Adde*: Quod *occupare* spatium sit ita alicubi esse, ut excludatur præsentia cujusvis.

vis rei quantæ alterius: At spiritus potest esse in eodem ubi cum alia re quanta, Ergo non occupat spatium.

46. *Spiritus* 5. *est immutabilis*, mutatione physicâ: Hæc enim requirit *sensile* subjectum, quod aliter se habet nunc quam prius, ut ait Murtia *d.* 1. *super* 3. *Phys. q.* 1. ita tamen ut facta mutatione non maneat sensile illud, quod erat ante, sed inde de novo exurgat aliud Conf. Arist. *l.* 1. *de gen. & corr. c.* 4. *t.* 13.

47. Indeque porro (ad species mutationis descendendo) *spiritus est ingenerabilis & incorruptibilis*: Deest enim in spiritu 1. *Subjectum* generationis & corruptionis quod materia prima est, Arist. *l.* 1. *de gener. & corr. c.* 4. *tb.* 24. *l.* 1. *Ph. s. 9. t.* 82. *&c.* unde etiam Generatio dicitur formæ in *materiam* introductio: Corruptio vero, ejusdem *è materiâ* expulsio. 2. *Causa* utriusque quæ potissimum est triplex 1. *Materiæ potentia* universalis quam habet ad recipiendas omnes formas, Et 2. ei annexa *privatio* quâ habet aptitudinem ut priori forma expulsâ recipiat aliam, & sic mutua vicissitudine causetur rei generationem & corruptionem, 3. *Qualitates contrariæ* è materiâ quatuor elementorum relictæ, quæ alterantur ad invicem, agunt & reagunt, donec tandem dispositiones ad corruptionem, & sic etiam ad generationem rei alterius novæ in materiam introducantur, At in spiritu neutrum horum est. Ergo.

48. Notandum tamen, hâc affectione solum præditum esse spiritum completum, Incompletus enim, anima nempe nostra (licet incorruptibilis, tamen) generabilis est, idque ex peculiari ratione, de quâ alibi.

49. *Spiritus* 6. *est Immobilis* motu Physico: Hic enim requirit: 1. Ut mobile sit *quantum* & moveatur in quanto Aristot. *l.* 7. *Phys. c.* 5. *t.* 36. Et 2. sit *partibile* & divisibile *l.* 6. *Ph. t.* 32. *&* 86. & 3. *successive* non vero in instanti moveatur: Motus enim omnis successivus est, neque in instanti fieri potest, Arist. *l.* 6. *Ph. c.* 3. *& l.* 4. *eor. c.* 14. propter resistentiam non medij solum, quod quantum est, sed & ipsius mobilis, ideo quod plures habet *partes* inter se distantes, quæ plura simul loca occupare non possunt, Conf. Franc. Murt. *d.* 2. *super* 4. *Ph. q.* 2. *& d.* 1. *super* 5. *Ph. q.* 1. Hæc autem in-

ſpiritu non ſunt: Neque enim ille eſt quantus vel partibilis, nec ulla illi competit ſucceſsio. Ergo. *Adde*. Quod principium motus Phyſici ſit *natura*, hoc eſt, materia & forma Ariſt. *l. 2. phyſ. c. t. 3.* quæ in ſpiritu non eſſe perſæpe dictum eſt.

50. Et ſic etiam porro (ad ſpecies motus deſcendendo) *ſpiritus non eſt augmentationi & diminutioni obnoxius*: Motus enim hi ad Quantitatem ſunt, Ariſt. *l. 1. de gen. & cor. c. 4. & 5. l. 5. φ. c. 2. l. 7. cor. c. 2.* & requirunt fluxum materiæ:

51. *Neg. 2. eſt alterationi ſubjectus*: Hæc enim requirit ſubjectum ſenſile Ariſt. *l. 1. de gen. & cor. c. 4. t. 23.* quod quantitatibus contrariis præditum eſſe poſsit, unde etiam ſemper fit ſucceſsivè, Conf. Murt. *d. 1. ſuper 5. φ. q. 1. & d. 1. ſuper 3. φ. q. 1.*

52. *Neg. 3. eſt motu locali mobilis*: Impoſſibile enim eſt motum localem ſine loco eſſe Ariſt. *l. 3. φ. c. 1. t. 2.* ideoque ſemper in loco Phyſico fieri aptus eſt, cum ſucceſſione tamen, Conf. Mendoz. *d. 13. Phyſ.* §. *23.* At ſpiritus in loco non eſt, ex *th.* 48. neque ſucceſſionem admittit, E.

53. Si tamen laxiori παῤῥησίᾳ utare, & motum ſumas generalius pro *qualicunq; mutatione* τοῦ *Ubi*, non denegavero ſpiritui in *particulari* ſumpto motum aliquem: Quo ſenſu etiam Scalig. *exer. 356. ſ.* dicit non omnem motum eſſe rei materialis.

54. *Spiritus 7. eſt inſenſibilis*, hoc eſt, nullo ſenſu phyſico perceptibilis: Eſt enim ἄισθησις rei ſolum materialis, neque ſenſus deducitur in actum niſi ἀισθητὸν *materiale* inveniat: At ſpiritus nullum materiam habet: Ideoque illi *ex ſe* conſiderato non ſolum ipſe ſentiendi actus ſed etiam ſenſibilitas, plane deeſt. Eſtque hæc res ſatis clara: Ideoq; illum *neg. viſibilem neg. tactilem. neg. odoratu perceptibilem &c.* eſſe facile dignoſcimus.

55. *Spiritus* 8. *non eſt in tempore*: Quod antequam monſtrem ſuppono: tempus duplex eſſe: *Extrinſecum* ſive phyſicum & *intrinſecum* ſive Metaphyſicum: Illud requirit 1. *ut fiat per prius & poſterius* ſive ſucceſſive, Eſt enim numerus ſive menſura *motus* ſucceſſivi Ariſtot. 4. *φ. c. 11. t. 101.* cujus naturam tanquam accidens perpetuo inſequitur, imò, ut placet Mendoz. *d. 15. Phyſ. ſ. 6. §. 99.* eſt ipſe motus realiter, 2. *requirit ut fiat per applicationem motus cæleſtis*

lestis ad sublunaria corpora: Per motum enim hic intelligitur motus corporum cœlestium, ratione cujus inferiora in tempore esse, hoc est, in duratione sua mensurari dicuntur. *Tempus* vero *Intrinsecum*, non requirit necessario motum cœlestem, *est* enim *duratio rei intrinseca*, quâ in suo esse, remoto omni extrinseco (& sic quoque motu cœlesti) perseverat, *Neq; 1. necessario est successivâ*, potest enim esse etiam in re momentanea, quæ eo ipso quod est in tempore est, nec tamen in successione est, *sed 2. præcise requirit initium & finem*, ideoque est duratio intrinseca rei naturâ sua initium & finem habentis.

56. Hinc jam facile est demonstrare, spiritum in tempore non esse vel intrinseco vel extrinseco: Non intrinseco: Quia hoc est rerum naturâ corruptibilium: Neq; extrinseco, Quia illud (præterquam quod supponat intrinsecum) per successionem fit & applicationem motus cœlestis &c.

57. Hactenus de attributis negativis, sequuntur *Positiva*, & sunt potissimum *simplicitas, perennitas, ubi etas & vita*.

58. Simplicitatem cum spiritui assigno, intelligo non *summam* illam quæ respuit omnem compositionem realem, hæc enim spiritui in universo non potest attribui, sed eam quæ *in certo genere* negat 1. Compositionem è materia & forma, & quod inde consequitur 2. è partibus Quantitativis, & 3. mixturæ è quatuor elementis! Quam simplicitatem facile ex ejus demonstrabis immaterialitate: *Eo ipso enim quod spiritus materiæ expers est, etiam formam & sic compositionem ex utraq; non admittit*: Materia enim & forma dicuntur σύζυγα, & una ab alterâ dependet ita, ut neutra sufficiens sit ad dandum esse speciei: Materia enim est potentialis, illimitata, imperfecta, ut actum, limitationem & perfectionem petat à forma: Contrà hæc in materiâ suum habet receptaculum & domicilium: Ut ita una semper aliam coinferat.

59. Patet hinc *spiritum esse Ens corpore longe perfectius*: Simplicitas enim (in rebus completis & sistendo in eodem ordine) perfectionem significat eminentiorem quam compositio, quicquid contradicat Cajetanus *de Ente & Ess. c.* 2. eo quod dicat majorem *unitatem*: Quo quid enim magis accedit ad unum, eo magis accedit ad Ens, & quo quid magis ab uno recedit eo magis

accedit

accedit ad non Ens, quia unum & Ens reciprocantur, & res tamdiu est quod est, quamdiu in se una est, cum autem desinit esse unum, desinit esse id quod est, inquit ex Boeth. Cl. Dn. Slekerus *exer. Phil. de Uno th.* 8. Compositio autem magis ab unitate recedit quia est *plurium* entitatum unio, simplicitas vero magis accedit: E. etiam illa magis ab esse elongatur, hæc vero ad esse appropinquat fortius. Conf. Suaretz *d.* 30. *Metaph. sect.* 3. *num.* 3. Dn. Scheibl. *l.* 1. *Metaph. c.* 5. *tit.* 3. *n.* 14. *Adde & hoc*: Quod compositio in corporibus multiplicem involvat imperfectionem, præcipue vero dependentiam à partibus intrinsecè componentibus, materiâ & formâ, spiritus autem hac ratione prorsus est independens: Dependens autem independente est inferius.

60. Ex simplicitate spiritus fluit porro *perennitas*: Quo enim est aliquid simplicius eo magis accedit *ad esse*, fortius vero recedit à *non esse* & sic tenax & stabile sortitur *esse*: Ulterius: Quo quid est simplicius eo magis est indivisibile, propter majorem quam habet unitatem, & sic etiam est à divisione & corruptione remotius, & in suo esse durabilius: At spiritus sunt simplices. Ergo. *Porro*: Ubi non est principium corruptivum *intrinsecum*, ratione cujus Ens tandem esse desinat, ibi est Entis perennitas: Atqui in spiritu non est principium corruptivum intrinsecum, vide th. 50. Ergo

61. Unde porro consequens, *Durationem spiritus esse invariabilem & permanentem*, in qua non liceat reperire successionem præteriti & futuri: Præteritum enim & futurum non est nisi in eo quod in motu & tempore est, quodque generationis & interitus capax est, ideoque defectibile: *Dicis:* Spiritum tamen agnoscere præsens, cur igitur non & agnoscat præteritum & futurum? *Resp:* si accuratè loquare non agnoscit spiritus præsens tempus, sive νῦν illud *fluens*, præteritum cum futuro conjungens, quale contingit rebus corporeis, *Præsens* tamen aliquod *permanens & stans*, sine fluxu & successione, in quo duret, omnino admittit.

62. Variat tamen illa duratio in spiritu particulariter sumpto, alia enim est in spiritu independente, nempe æternitas, alia in dependente & est ævum, de quibus infra specialius cum Deo.

63. Est etiam spiritui tertio assignanda *Ubietas*, quæ dicitur præsentia ejus ad suum spatium: Eo ipso enim quia Ens est, alicubi est, τὰ μὲν ὄντα πάντες ὑπολαμβάνουσιν εἶναι που inquit Arist. 4. Φ c. 1 Et si quid est, nusquam esse non potest, & si nusquam esset, ne esset quidem, Cicero *l. 1. Tusculan. q.* Ubietas autem illa 1. *non est præsentia* talis quæ sit *extensa* per partes subjecti, ita ut una pars sit in unâ, & alia pars in alia parte spatii, hanc n. solũ sibi vendicant corpora, *neq; 2 est ubietas prædicamẽtalis*, quæ accidens est peculiare à re ubicatâ distinctum, indeq; in illâ compositionem facit, & necessarium est enti solum creato, repugnat vero Deo: Conf. Scalig. *exerc. 5. s. 6 & exerc. 6. s. 2. & exerc. 359. s. 5.* sed 3. *Ubietas spiritualis*, qua spiritus removetur ab ipso nusquam esse, & eo ipso qnia non est nusquam, *inextenso modo* est alicubi &c.

64. Quarto spiritui competit *vita*: Vox vitæ quidem aliquando sumitur pro anima vivente apud Philosoph. *l. 2. de an. t. 36.* usitatissime etiam pro unione animæ cum corpore ejusque in illo mansione, Conf. Scalig. *exerc. 102. l. 5.* Conimb. *tract. de Anim. separata d. 2. art. 1. tertio* per facultate animæ vitaliter operandi Confer Dn Schroder. p. m. *l. de com. prop. t. 195* His tamen significatis addendum *quarto* illud in quo formalis ratio vitæ consistit, quando vita nihil aliud est quam principium sese ab *intrinseco* movendi Conf. Arist. *l. 8. phys. text. 29. & l. 2. de an. t. 14*

65. Ulterius: *Vita hæc non solum reperitur in corporibus animatis sed etiam in spiritibus!* Quod antequam confirmetur supponendum: vitam ut in corpore animato reperitur, perfectionem dicere & unâ imperfectionem: *Imperfectionem* quidem multis modis, quod sc. 1. sit *subjectivè* in corpore (per communicationem ab anima factam) & 2. *effective* ab anima, 3. *dispositivè* & instrumentaliter in calore naturali. 4. materialiter & *conservativè* in humido radicali &c. Confer Conimbr. *l. de longit. & brevit. vide cap. 1. seqq.* Ideoque vita isthæc nimiam dicit dependentiam quoad esse & conservari snum à materia.

66. His tamen omnibus imperfectionibus sepositis reperire etiam licet aliquid in vitâ quod sit *perfectio simpliciter*, quodq; adeo sub attributo vitæ spiritui etiam est assignandum, Estque id illud *quod res corporea animata ab intrinseco* (non ab alio extrin-

seco) *sese actuet & perficiat*: *Ita igitur procedo*: vita est perfectio simpliciter & reperitur in corpore, E. etiam in spiritu: *Ratio est*: Quia spiritus non solum æquales cum corpore sed etiam majores dicit perfectiones.

67. Remota igitur imperfectione & materialitate quam vita in corporibus involvit, illa solum actio vitalis, quæ sine materia absolvi potest, spiritui tribuenda est. Ideoq; (actibus istis vitalibus augmentatione, nutritione, sensatione, &c. eò quod sine materiâ fieri non possint, repositis) duplex solum vitalis actio illi competit, *Intellectio, sc. & volitio*: Unde à posteriori *intellectum*, quoq; & *voluntatem* spiritui messe deprehendimus.

68. Et porro, *quod intellectualis sit spiritus*, non inepte colliges ex ejus immaterialitate, cum Thoma *part. 1. summ. quæst. 14. art 1.* ubi asserit immaterialitatem rei esse rationem cur sit cognoscitiva! Difficile illud alicui videatur, nobis tamen facile patet: Quia intellectio est operatio perfectissima, E etiam erit à forma perfectissimâ: Quia omnis operatio à forma est & non à materia, hæc enim est merè receptiva Arist. *l. 1. Ph. c. 9. t. 82. l. 2. de an. t. 1.* &c. At illa forma est perfectior, quæ à materiæ consortio est remotior! Ergo etiam formæ à materiâ penitus separatæ erunt: sicut in essendo, ita & in operando perfectissimæ, ideoque etiam intellectuales.

69. *Confirmatur hoc facile à contrario*: Quia forma quo magis est materiæ immersa, eo est in essendo & operando imperfectior, & *à cognitionis operatione* remotior: Formæ enim v. g. brutorum, quia ad materiam fortius affixæ sunt quam hominis forma, ideo etiam ad intellectionem non perveniunt, sed inferiori paulum eoque *merè sensitivo* cognitionis gradu rem attingunt: *Porro* plantarum formæ, quiâ fortiori adhuc, præ brutis, vinculo materiæ sunt annexæ, ad sensationem non perveniunt, sed infimo operationis vitalis gradu *merè vegetativo* se exerunt: *Tandem*: Formæ inanimatorum quia arctissimè præ aliis omnibus materiæ connubio sunt junctæ, *nullum omnino* vitalis operationis gradum attingere possunt: *Sicut igitur formæ quo magis sunt materiales, eo minus sunt cognoscitivæ, ita etiam contra formæ, quo minus sunt materiales eo magis sunt cognoscitivæ*, & quæ maxime sunt immateriales, maxime:

maxime etiam sunt cognoscitivæ & sic intellectionis, quæ maximus cognitionis gradus est, participes! Spiritus autem sunt formæ maxime immateriales. Ergo etiam intellectionis participes, quod erat demonstrandum.

70. Hocque adeo videtur evidens ut mirer alios in dubium vocasse sitne immaterialitas ratio intellectualitatis, quos vide apud Suaretz *d. 35. Metaph. s. 3. n. 20.* eo quod illa negatio pura sit; hæc vero positiva perfectio: Falsum autem est quod supponunt: Licet enim immaterialitas in sua formalitate dicat negationem, connotat tamen unâ perfectionem.

71. Unde cognoscere liceat, (quod obiter hic attingo, alibi plenius) *intellectivam hominis animam non esse paris perfectionis*, cum spiritu à materiâ penitus abstracto, Quia illa in sua intellectione materiæ quodammodo admittit consortium, Est enim illa hac in parte inorganica quidem ratione principij immediate influentis, non tamen ratione principij disponentis, ut ait Mendoz. *d. 1. de an. s. 5.* ideoque etiam in *hoc statu* dependenter ad phantasmata intelligit, indeque omnia, etiam spiritualia ad modum materialium cognoscit, quod experiris, dummodo cognoscendo Angelum imaginaris tibi formosum quendam juvenem, Confer Franc. Murt. *d. 3. super 3. de an. & tract. de immort. an. q. 2.*

72. *Spiritus præ corpore eminentiam hinc iterum dignosces:* Operatio enim ut essentiæ index est perpetuus, ita quo illa est præstantior, eo etiam præstantioris essentiæ indicina est: At in spiritu (præcipue completo) perfectior cernitur operatio, ac in corporibus, Ergo.

73. Ex intellectu porro sequitur *voluntas*: Hæc enim illum in dissolubili nexu consequitur! *Et patet:* Quia omnia inclinant in bonum, Arist. *l. 1. Ethic. c. 1. l. 1. Rhetor. ad Theod. c. 7. l. 1. Polit. c. 1.* vel appetitu mere naturali sine prævia cognitione particulariter appetentis, vel appetitu sensitivo cum cognitione sensitivâ conjuncto, vel appetitu rationali *ex cognitione intellectivâ* orto, qui dicitur voluntas: Confer Thom. *p. 1. sum. q. 19. a. 1.* Suaretz *d. 35. Met. sect. 5. n. 1.* Sicut igitur cognitio boni infert secum tendentiam

dentiam in illud, cur non cognitio boni intellectiva, nobilissimum modum inclinandi in illud secum haberet?

74. Ex voluntate Spiritus oritur *libertas agendi* quæ est in illo! Nam 1. Est in eo intellectus, qui radix est libertatis: Quæ enim *naturâ* agunt, sine ratione, sine judicio, sine consilio, sine deliberatione & proæresi agunt. E. in quibus est ratio judicium, consilium, in illis non necessitas, sed libertas agendi est, 2. libertas est perfectio simpliciter, reperta in re corporea v. g. in homine, E. multo magis erit in spiritu: Et 3. Quid multis? voluntatis actio est electio, quæ est rerum quæ in nostrâ *potestate* sunt appetitio, Conf. Scheibl. *tr. de an. p. 3. d. 6. th. 7.* Imo, libertas in actu primo est ipsa voluntas: Est enim hæc nihil aliud quam principium, quod positis omnibus ad agendum requisitis potest operari & non operari Confer Hurtad. Mendoz. *d. 15. de an. s. 3. §. 14.* Dn. D. Meisn. p. m. *p. 3. philosoph. sobr. c. 1. s. 1. q. 4. p. 20. & 34.* E. ubi voluntas est ibi quoq; libertas.

75. Libertas autem hic non necessario intelligitur *Contrarietatis*, qua res est indifferens ad actus contrarios eliciendos, sicut homo v. g. potest amare & odisse, vitium & virtutem colere, male & bene agere &c. Hæc enim in spiritu non reperitur, quippe qui hac ratione habet *necessitatem* ad certam *speciem* actus, cui ita alligatus est ut contrarium eligere non possit, quemadmodum v. g. Deus ita est alligatus ad bonum ut non possit velle malum, Itaq; sufficit libertas *Contradictionis*, quâ potest actum (in eodē genere manendo) exercere & non exercere, ita tamen, ut ad oppositum contrarium indifferentiam non habeat, quemadmodum v. g. Angelus agit bonum hoc ita, ut possit, cum velit non agere, Et ita in reliquis. Esto hic cum *libertate* finis & Deo gloria.

COLLEGII PNEUMATICI

Disputatio Tertia

DE

SPIRITU INCREATO, NEMPE DEO, EJUSQUE EXISTENTIA, ESSENTIA, ET ATTRIBUTIS IN GENERE.

Quam assistente summo Numine

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Publicè in Auditorio Majori proponit discutiendam, ad diem 21. Februarij horis à 7. matut.

JOHANNES LINOVIUS

Lubecensis.

Arist. l. de Mundo ad Alexandr. c. 6.

Πάσῃ θνητῇ φύσει νενόμιται ἀθεώρητα ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται. τὰ γὰρ πάθη, καὶ τὰ δι' ἀέρος ἅπαντα, καὶ τὰ ὑπὲρ γῆς, καὶ τὰ ἐν ὕδατι, θεοῦ λέγοις' ἂν ὄντα ἔργα εἶναι, τὸν κόσμον ἐπέχοντα.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0057

DFG

VIRIS

REVERENDA DIGNITATE, EXCELLENTI DOCTRINA, singulari dexteritate Clarissimis, & de Ecclesiâ optimè meritis

DN. M. ADAMO HELMS
DN. M JOHANNI Reichen/
DN. M. MICAELI STRICIO,
DN. M. GERHARDO WINTERO,
DN. BARTHOLDO LUDTMANNO,

} Ecclesiæ Lubecensis Pastoribus Vigilantissimis, longè dignissimis.

UT ET

Clarissimis, & plus quam Præstantissimis Viris,

DN. M. JOHANNI KIRCHMANNO, Philosopho exactissimo, & celeberrimæ Scholæ quæ est Lubecæ, Rectori maximè digno.

DN. M. JOACHIMO DREIERO, Scholæ ejusdem Conrectori vigilantissimo,

NEC NON

Nobilitate generis conspicuo, Spectatissimis, item & Politissimis, Literis, Literarumq; cultoribus, insigniter faventibus Viris,

DN. JACOBO a Dorne /
DN. HERMANNO Warelhoffn /
DN. HENRICO Lembken /
DN. GEORGIO Lambrechten /
DN. MAURITIO Pechman /
DN. BALTHASARI Tylen /

} Patricio Civibus ac Negotiatoribus ibidem primariis.

Dnnnnn. Patronis, Præceptoribus ac Promotoribus suis maximè observandis ac colendis: γύμνασμα hocce Academicum, in perpetuum debitæ observantiæ & gratitudinis μνημόσυνον, & in ulteriorem sui suorumq; studiorum commendationem submisse

dicat & consecrat,

RESPONDENS.

Σῳ Θεῷ.

Disputatio Tertia,

DE SPIRITU INCREATO, NEMPE DEO, EJUSQUE EXISTENTIA, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS IN GENERE.

RESPONDENTE,

JOHANNE LINOVIO Lubecensi.

Thesis I.

ABsoluta parte communi, quæ de spiritus natura generatim tractavit, descendendum porro ad ejus *species*: Idque ad præscriptum Arist. *l. 1 poster. anal. t.* 179. ubi scientiæ munus esse vult, ut sui objecti species contempletur:

2. *Est* autem *spiritus vel independens & increatus, Deus opt. max. vel dependens*: Ubi, quod statim dico, dicere caveas *divisionem hanc esse generis in species!* Est potius conceptus magis communis in *modos* determinatiores, Et sic *analogi in analogata*!

3. Analogia enim illa (quam semper hic urgeo) quâ Pneumatice est exemta strictis scientiæ legibus, non admittit necessario *species propriè dictas*! Objectum ejus analogon esse, & ultra classem prædicamentalem elevatnm, indeque nec principia nec affectiones verè tales *ex æquo* admittere, sed solum aliquid iis analogon, monstratum ante, ubi hac de re ex professo fuit tractatio! Ideoq; etiam *species proprie dictas objectum illud non habet*, sed solum aliquid speciebus analogon, in eo, quod confusum & communem objecti conceptum, sub determinato & distincto conceptu exhibeat contractius, non vero, quod specierum proprium est, naturam illam communem per differentias contractam habeat!

4. *Differentias* inquam *proprie dictas spiritus non habet sed modos*! Si enim essent differentiæ, quæ spiritum ad sua sibi immediate inferiora contraherent, indeque constituerent species, essent maxime *Dependentia & Independentia*, vel aliquid his simile? At illæ non possunt esse differentiæ: Quia differentiæ conceptus nunquam includitur in genere, sed ab illo est diversissimus, Porph. *Isag. c.* 6. Arist. 6. *Topic. c.* 6. 4. *Top. c.* 1. *l.* β. *Met. c.* 3. At in his modis, dependentia sc. & independentia, formaliter imbibitur ipse conceptus communis spiritus: Nam independentia illa in Deo non est ab esse spiritus distincta, sed illud intimè involvit: Dependentia itidem in spiritu creato à conceptu spiritus non potest distingui: Quia *ipsum esse spiritu creati dependentiam illam habet*. Non igitur dependentia & independentia possunt esse differentiæ spiritus: Et eadem ratio procedit in aliis modis, quibus vulgo spiritus contrahi dicitur, v. g. in *Increato & Creato, finito & infinito &c.*

5. *Modos igitur voco dependentiam & independentiam*, quia contrahunt conceptum communem spiritus ad determinatius esse, nondum tamen ut inde fiat species vel individuum.

6. Unde patet: *Spiritum esse analogon ad Independentem & Dependentem*! Analoga enim proprie illa dicuntur, quæ conceptum communem habent formaliter involutum in differentiis ipsorum, & sic in iis neque est omnino idem, neque omnino diversus: Atqui spiritus dependens & independens formaliter in suis differentiis imbibunt conceptum communem spiritus, Conf. th. 4. ideoque illum *neq; habent omnino eundem*: Quia ratio spiritus etiam in ratione formali spiritus, ut est in independente, est inæqualis formali rationi spiritus, ut est in dependente: *Neq; omnino diversum*: Quia, quando spiritus secundum rationem communem & abstractam ab inferioribus concipitur, nulla dissimilitudo appareret. Ergo. Illustriora hæc erunt ex infra dicendis circa quæsitum, sitne Ens analogon ad Deum & creaturas.

7. Si cum vulgo philosopheris, & analoga illa dicas quæ conceptum communem participant *cum dependentia* unius analogati ab alio, ipsæ voces *dependentis & independentis* innuunt spiritum hac ratione nihilo secius analogon esse. Non igitur proba-

veris

veris illud illius philosophi pronunciatum qui dicit *Spiritum ἐμονύμως dici* de Deo & Angelis.

8. Primo igitur de principali analogato spiritu sc. independente, Deo opt. max. agendum esse jubet ordo: Agemus autem ordine: 1. *De existentia* Dei, 2. *De essentia* ejusdem, quæ explicabitur per prædicata *primum* quiditativa, quod sc. Deus sit Ens, substantia, spiritus, *secundo* per prædicata paronyma sive attributa tam in genere, quam in specie, ubi de Unitate, simplicitate, bonitate, perfectione, aliisque in seqq. tractatio erit.

De Existentia Dei.

9. *Esse Deum* tam certum fuit apud plurimos, ut ne cogitari quidem posse putarent eum non esse, sicut de *Anshelmo & Abulensi* refert Clariss. Dn. D. Iacob. Martin. *l. 2. exercit. Metaph. p. 640.* Reperias tamen quibus obfuscata sæpe fuit mentis acies, & ultra creaturæ abducta consortium, ut actu & effectu Dei sive essentiam sive providentiam impugnaverint, unde *Diagoras Melius & Theodorus Cyrenaicus* Deum esse prorsus negarunt apud Cicer. *l. 1. de nat. Deor. in init.* & *Bion* quidam *Borysthenites* apud Laert. *l. 4. de vit. Philos.* & *Selius* apud Martial. *l. 4. epigr.* & *Protagoras* quidam dubitavit apud Cicer. *cit. l. pag. 9.* alius vero Deos irrisit ut de *Euripide* testatur Plutarch. *l. 1. de placit. c. 7.*

10. Mirum, ita hominis mentem posse abduci, quæ tamen ut heliotropium, & flores quidam ingenio suo semper ad solem, sic ad Deum obversa esse debebat & originem sui, Iust. Lipsi. *l. 1. de Constant. c. 5.* & ex seipsa summum aliquod numen profiteri! Homini enim naturaliter insita est facultas & *potentia* ex quâ sine speciali revelatione possit in cognitionem Dei qualemcunque pervenire, Conf. Thom. *p. 1. sum. q. 2. a. 1.* quam si plusquam beluina homo præpediat vesaniâ ne se deducat in actum, vah quam est vesanum?

10. *Atheos* igitur istas ut convincas, & rationi restituas, demonstrationibus utaris necesse est! Non enim indemonstrabile prorsus est Deum esse, ut *Petrus de Aliaco* olim asseruit cit. Suarez *d. 29. Metaph. s. 2. n 2.* à priori licet existentia de Deo demonstrari non possit! Sunt enim alias rationes *ab effectu, ab inconveniente, à communi omnium consensu &c.* depromptæ, quibus contra istos apodictice insurgere liceat.

11. Antequam autem rationes adducam explicabo, quid voce Dei intelligam! *Per Deum*, inquam hic intelligo *intellectualem naturam omnium optimam, quas noster intellectus potest apprehendere, cujus arbitrio constituta sint universa*, Mendoz. *d. 20. Met. s. 1. quæ independens sit ab omnibus, ab ipsa vero dependeant omnia, quæ improducta sit, ipsa vero produxerit omnia, indeq; sit Eus nobilissimum, necessarium & æternum*, Conf. Suaretz. *d. 29. Metaph. s. 2. n. 40.* De tali igitur Ente ab atheo quæro, *An illud de facto existat vel non!* Si neget, immota hac & inconcussa argumentorum acie pugnabo contra istum!

12. Primò *ab Universi hujus constitutione* sit argumentum: *Omne quod fit ab alio fit*, quocunque tandem modo, sive per generationem sive per creationem fiat: Idem enim non potest esse causa productiva sui ipsius: sic enim simul esset & non esset, Esset quia causa producens esset, non esset, quia demum producendum esset: Impossibile autem est idem simul esse & non esse, quod principium προχειρώτατον est apud Arist. *l. γ. Metaph. c. 3. Atqui hoc universum*, cœlum cũ terra, elementis &c. *factum est, Ergo ab alio factum est.*

13. *Minorem hujus syllogismi ita confirmo:* Res in hoc universo sunt vel corruptibiles vel incorruptibiles: *Tota series corruptibilium facta est* ab alio incorruptibili: Eo ipso enim, quia corruptibilis est, initiũ & finẽ agnoscit, ideoq; aliquando vel non fuit, vel ad minimum potuit nõ esse, si potuit nõ esse, necessario fuit aliquid ipso prius, quod illud è non esse deduxerit ad esse, & sic fuerit ipsi causa producens: Sic v. g. tota species hominis, tota species equi &c. est producta, E. ab alio, quod fuerit extra omnes illas species rerum corruptibilium, est producta: Quia individuum aliquod unius speciei non potuit esse causa *primæ* reliquorum: Quia illud pariter agnoscit causam se priorem, quod illud aliquando è potentia objectum in actum deduxerit.

14. *De Incorruptibilibus idem patet:* Cœlum enim & Intelligentiæ (quæ Arist. sunt entia incorrupttbilia) sunt producta: E. sunt ab alio producta: Antecedens patet *1. De Cœlo: 1.* Quia est ens materiale: At materia à seipsa esse non potest, propter summam suam imperfectionem, Conf. Suaretz. *d. 20. Metaph. s. 1.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0062
DFG

f. t. 2. Quia est Ens homine inferius illoque imperfectius: At longe perfectius esset si non ab alio productum esset, quia hoc summæ perfectionis est argumentum: *Porro* Cœlum agnoscit causam se potentiorem & perfectiorem: Multa enim in his inferioribus producta reperias, animata præcipuè, quæ à cœlo ut corpore inanimato principaliter produci non possunt: E. ab alia causa perfectiori producta sunt: E. hæc erit potius improducta quam cælum. Quia plura improducta præter unum esse non possunt, uti inferius videbo. 4. Cælum (in sententia Arist.) ab alio movetur. E. multo magis ab alio productum erit: Si enim ratione motus localis causam superiorem agnoscit, cur etiam illud non esset ratione productionis?

15. 2. *De Intelligentiis* patet idem: Quia illarum sunt *plures*: E. non possunt omnes esse inproductæ, sed ab alio sunt productæ: Quia plura esse improducta præter unum repugnat.

16. *Hoc igitur supposito* quod hoc Universum sit ab alio productum, *ulterius progredior*: Illud, quod est causa hujus Universi, aut est improductum, ideoque prima omnium rerum causa: Aut iterum est ab alio se priore productum: Si prius, habeo intentum; esse sc. aliquam primam causam &c. Si posterius, iterum de illius principio quæro sitne productum vel improductum: Si hoc habeo quod volui: si illud iterum repetam eandem quæstionem, donec sistam necessario in uno aliquo improducto: Repugnat enim in causis hisce progressus in infinitum, quod videsis probatum apud Fonsec. *l.* 2. *Metaph. c.* 2. *q.* 3. *s.* 3. Javell. *l.* 2 *Met. q.* 5. Mendoz. *d.* 10. *Phys. s.* 1. Arist. *l.* 2. *Met. t.* 5. Dn. D. Jac. Mart. *exerc. Met. l.* 1. *theor.* 1. *ap.* 658. *&c.*

17. Porro: *Primam hanc rerum omnium causam esse Deum* ita monstro: Deus est Ens improductum, necessarium æternum, perfectissimũ &c: Atqui prima causa est 1. *Eus improductum:* Quia si ab alio productum esset jam non amplius prima causa esset, quia aliud se prius agnosceret, 2. *Est Ens necessarium*, quod non possit non esse: Si enim posset non esse, semper potuisset non esse, Indeq; aliquod fuisset, quod illam è posse traxisset ad esse, è potentia objectivâ ad existendi actum, & sic esset illa prius: At hoc repugnat, quia primâ causa nihil est prius. 3. *Est Ens æternum*: Quia quod

necessario existit, semper existit, & ab æterno: Prima causa necessario existit, eò quod est Ens necessarium: *Adde*: si prima causa non fuit ab æterno, aliquando non fuit: E. ab aliquo priori producta fuit, Quia quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid quod est: E. non fuit prima causa, quod tamen ut concessum supponо: 4. Prima causa est *Ens perfectissimum*: Quia omnia alia ab illo, sicut accipiunt esse, ita & perfectiones: E. in illa erunt perfectiones illæ omnes eminenter saltem &c. Quia nihil est in effectu quod non præexistat in causa: *Adde*: Quod causa æquivoca suo effectu sit nobilior. Prima causa autem est causa omnium æquivoca: E. omnibus erit nobilior, Et sic nobilissimum Ens. 5. Prima causa *est infinita, una* &c. quæ facile ex his probantur, inferius tamen latius deducenda &c. E. prima causa est Deus, quod erat demonstrandum.

18. Secundo argumentor *à conservatione, & ordine hujus Universi*: Non potest hoc Universum conservari, nisi à suprema causa conservante & ordinante. Illa autem est Deus ut dictum th. præced. Et *Patet*: Quia reperias in mundo elementa ad invicem perpetuis pugnis dissidentia, animantia venenis noxia, occultam rerum plurimarum anthipatheian, aut sympathean: Reperias ibi supera media & ima statum servare locum, nihil exorbitare aut mutare: Ignem non descendere, terram in cœlum non ascendere, aera, aquam, maria, locum cursumque suum perpetuo servare: Quæ omnia sine supremi numinis dominio fieri numne dices? Si dicerem domum aliquam sine Domino, exercitum sine duce conservari, num persuaderem? an potius arbitrarere te à me insigniter eludi? Intuere igitur magnum magni hujus principis palatium, hoc θεογνωσίας παιδευτήριον, Basil. *in Hexaem.* templum illud Dei sacerrimum Plat. *in Tim.* mundi sc. hujus opificium, indeque collige esse quendam, qui hæc gubernet & conservet omnia, Conf. eleganter disser. Iust. Lips. *cent. 2. ad Belgas epist. 26. p. 632.* Hurtad. de Mendoz. *d. 20. Metaph. s. 1. §. 4.* Arist. *l. 10. Metaph. c. 2.*

19. *Tertio: Miracula apud Ethnicos patrata indicant satis esse Deum*, primam omnium causam: Hæc enim excedunt finitam naturam, & indicant esse aliquam causam longè eminentiorem,

à qua

á qua inferiores causæ in sua operatione pendeant, ita ut illa non concurrente non operentur! *Exempla hujus rei passim obvia:* Sic elementis aliquando naturalis operatio detracta est: Igni vis urendi dempta est: Aqua generali diluvio populis interemit (quod etiam gentibus notum fuisse colligo ex Iustin. *l. 2. c. 1.*) Terræ motus præternaturales, in aere obscurationes inconsuetas, in sole stupendam retrogressionem, insolitas Eclipses, & plura alia, sæpe deprehendere occasio fuit, quæ non nisi à suprema causa, quæ hæc omnia regat pro arbitrio, oriri potuerunt.

20. *Quarto:* Atheum urgeo *ab absurdo*: Aut possibile est dari tale aliquod Ens quod sit prima causa, improducta, necessaria, æterna &c. Aut est impossibile: si hoc: Contradictionem involvet dari ejusmodi Ens, quã ille demonstrare nunquam poterit: Sin possibile fateatur, jam fatebitur illud de facto esse, & semper fuisse, Quia in statu illo possibilitatis sive potentiæ objectivæ esse nunquam potuit, eo ipso quod Ens necessarium est, & independens & prima causa: Nam si possibile est tale Ens, potest esse & non esse, & sic aliquando non est, indeque necessarium non est, aliquando etiam de non esse ad esse deductum est, & sic prima causa non est &c: si igitur tale Ens possibile esse dicat, de facto esse necessario fatebitur.

21. Addo denique *Quinto omnium gentium consensum, sive internum sive externum*, qui summum aliquod numen profitetur: *Externus* apud plerosq; est: πάντες δ' ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόλεψιν, inquit Arist. *l. 1. de Cœlo c. 22.* neque ulla gens est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat Senec. *epist.* 117. & licet ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat Cicer. *l. 1. de Nat. Deor.* Est enim inter communes receptasque illas notiones, quas natura parens omnibus quæ ubique orbis sunt aut fuerunt, gentibus, inserit, Deum esse, Lips. *cent. 2. ad Belg. ep. 26.* Hinc ille apud Liv. *l. 8. Manlius Torquatus* exclamat: *Est cæleste numen, es magne Jupiter &c.*

22. *Consensus conscientiæ internus* apud omnes est, qui dictitat esse aliquem, qui vitia puniat, & præmiis virtutes compenset, summum Dictatorem: Est

Idem

Idem Justitiæ cultor, quæcunq; capesses
Testes factorum stare arbitrabere Divos!

Unde illud Sophoclis: ἐστὶ μέγας ἐν οὐρανῷ ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει: Est ille, πάντα ἰδὼν καὶ πάντ' ἐπακούων apud *Homer.* qui quæ nos gerimus auditque & videt. Plaut. *in Captiv. act.* 2. *scen.* 2. quem timemus in malefactis judicem, in benefactis remuneratorem: Unde naufragi Trojani ad Carthaginenſia littora appulſi, cum ſe paucos & inermes in tam populoſa & armata civitate viderent, nullo alio clypeo ſe tegi poſſe putarunt, quam ſummi numinis providentia, in ſuppliciis aut præmiis diſtribuendis: Inquiunt illi,

Si genus humanum & mortalia temnitis arma:
At sperate Deos memores fandi atq; nefandi,

Sic *Nero*, cum præceptorem Senecam natum annos 114. & matrem ſuam Octaviam crudeliſsime necaſſet, conſcientiam ſceleris, licet militum, ſenatus, & populi applauſu confirmaretur, ferre non potuit, faſſus ſæpe, ſe exagitarè materna ſpecie, verberibus furiarum, & tædis ardentibus: Quin & facto per Magos ſacro, evocare manes & exorare *Deos* tentavit, tandem autem conſcientiæ dolore oppreſſus ſibi necem conſcivit, Ita ſc. in ſummâ illa malitiâ opinio & frænum aliquod de numine acceſſit: Sic *Caligula* cum Deos tantopere contemneret, ad minima tamen tonitrua connivere & caput obvolvere, ad majora vero proripere ſe è ſtrato, ſub lectumq; condere ſolebat, ſubinnuens tacite, eſſe aliquod numen à quo hæc oriantur, quodque habeat poteſtatem flagitia puniendi, Sueton. *in Calig.* Scilicet adeo verum eſt illud: *Primos in orbe Deos fecit timor:* Timor ſc. conſcientiæ, qui apud homines ſceleratos ſubinde manet incorruptus, Plura alia quæ Deum eſſe monſtrent, omitto: Habet ſane Deus teſtimonia totum hoc, quod ſumus & in quo ſumus, verbis *Tertull.* Quis igitur illa enarret omnia? Hactenus igitur de Exiſtentia: ſequitur,

Essentia Dei.

23. In explicanda Dei eſſentia videbo 1. de Nomine, 2. de Definitione Dei, quæ prædicata *primo* quiditativa, *secundò* paronymica, ordine exhibebit. Sunt autem nomina Dei ferè omnia, quibus

bus gentes utuntur, *quadrilitera*, quod Carol. Franc. de Abrade racon. *p. 5. sum. ph. tr. 2. c. 1.* putat factum esse ad indicandam Dei immutabilitatem, eò quod figura quadrata sit constans & firma, indeq; constantiæ & firmitatis argumentum.

24. Græcis vocatur θεὸς, ἰδέᾳ vel ἀπὸ τῦ θεᾶσθαι, quod omnia præsens intueatur, vel ἀπὸ τῦ αἴθειν, quod ignis sit comburens, vel ἀπὸ τῦ θέειν, quod currat, h. e. currendo & providendo omnia conservet, vel ἀπὸ τῦ δεῖν, quod liget & vinciat suo imperio omnia, vel ἀπὸ τῦ δείδειν, quod eum metuant omnia, vel, quod eo indigeant omnia, vel ἀπὸ τῦ δαίειν, quod epulum præbeat omnibus &c.

25. Latini *Deum* suum derivant vel à dando, quod det omnibus, vel ex Græco δέος, quod timori sit omnibus, vel ex voce θέος &c.

26. Germani vocem suam Gott à bonitate Dei desumpsere: Ut Gott dicatur quasi Gutt, vel (quod magis accedit) juxta linguam nostram quasi Göbt, h. e. bonus. Hæ tamen derivationes non tam sunt, quam etiam vocis allusiones.

27. *In deficiendo Deo*, ut recte progrediare, scias necesse est, quomodo ille cognoscatur, ut inde etiam quomodo definiatur innotescat: Qualis enim rei est cognitio, talis etiam ejus est definitio: Hæc enim nihil est aliud, quam λόγος τῆς ἐπιστήμης ratio & cognitio essentiæ.

28. Certum autem est: *Deum non posse ab ullo intellectu creato cognosci cognitione quiditativa* & adæquatâ, quâ sc. ille omnia prædicata quiditativa quæ in Deo sunt, & sic totam ejus essentiam *eo modo quo est*, adæquate & totaliter comprehendere possit. Hoc enim prorsus est impossibile: 1 Quia Modus intelligendi (qui, in intelligente est) sequitur modum essendi ejusdem: Potentia enim intelligendi est affectio quæ essentiam intelligentis intimè consequitur: Si igitur esse creaturæ est finitum, imperfectum, compositum, qui poterit formare *proprium conceptum* repræsentantem purissimam Dei infinitatem, actualitatem, simplicitatem, perfectionem, eo modo quo est in Deo?

29. *Cognitio igitur de Deo est imperfecta*, inadæquata & confusa

non clarè & distinctè representans Deum ut *in se* est, sed alienis fere conceptibus adumbrans: Unde etiam Plat. *in Cratyl.* se Jovem somniare asserit, sub innuens, de Deo cognitionem talem solum esse, qualis ea est, quæ per somnium. Quo etiam pertinet, quod Homer. *Iliad. β.* somnium Agamemnoni missum, jovis vult esse nuncium: Hinc fanum Minervæ, quod Sai erat, aspiciebatur sub tali inscriptione: *Meum peplum adhuc nemo detexit*: & ara illa Athenienſis à D. Paulo visa, in qua scriptum erat: *Ignoto Deo: Act. 17.* Unde etiam *Simonides* interrogatus ab Hierone tyranno quid esset Deus, cogitandi spatium, petiit primo diem, post Triduum, tandem quatriduum, confessus denique, se, quo acrius intelligat, de Deo tamen minus intelligere, apud Cicer. *l. 1 de Nat. Deor.*

30. Cognitio autem ista fit 1. *per negationes* imperfectionum, quæ in rebus creatis reperiuntur: Imperfectiones enim sunt esse creatum, dependens, finitum, &c. hinc à Deo istas removendo dicimus eum increatum, independentem, infinitum, &c. Conf. Suar. *d. 28. Met. sect. 1. n. 3. & d. 30 s. 12. n. 8.* Et hac ratione Deus quasi per ignorantiam cognoscitur, quia ignorando quid sit, cognoscimus quid non sit. *Est* 2. *hæc cognitio*, quæ fit per viam negationis *omnium optima*, non solum quia *convenientius* est ἐκ τῶν πάντων ἀφαιρέσεως πιστεύειν τὸν λόγον ut loquitur Damasc. *l. 1. de Orthod. fid. c. 4.* sed etiam, quia *distinctius* indicatum intelligimus Deum vocibus iis, quæ ignorationem prætendunt nostram, Scalig. *exer. 365. s. 2.*

31. Indicat tamen hæc cognitio magnam *imperfectionem in cognoscente*, quia nulla ibi facultas est concipiendi rem sub *proprio* & adæquato ejus conceptu, contra vero magnam *perfectionem in cognito*, quod ultra sphæram agentis finiti elevatum proprie ut in se est, cognosci non potest.

32. Cognitio Dei 2. est *per operationes*: Deprehendens enim intellectus artificiosissimam mundi structuram, conservationem, & ordinem, elevatur in cognitionem alicujus primæ causæ, quæ hæc omnia produxerit, quam inde appellat *creatricem, conservatricem, &c.*

33. Cognitio Dei 3. est *per proportionem*, quæ fit applicando ad illum perfectiones in rebus creatis repertas, ita, ut *præcisis imperfectionibus*,

fectionibus, quæ in iis esse poterant, eminentissimo modo in Deo esse dicantur. Sic v. g. *Intellectus* est perfectio quædam in re creata reperta, ideoque etiam Deo potest applicari, modo tamen eminentissimo, ut scilicet præscindas imperfectiones quæ illi accidunt, ut in creaturâ reperitur, v. g. quod sit *discursivus*, procedens ex noto ad ignotum, quod sit *accidens* &c. tribuas verò Deo id quod in intellectu simpliciter est perfectionis, v. g. quod sit *cognoscitivus* &c. Et ita pariter est in reliquis conceptibus, quos Deo & creaturis communes esse intelligimus: *Præscindendæ* inquam *ibi sunt imperfectiones in re creatâ inventæ, & id quod absolutæ perfectionis est in illis, Deo tribuendum est.*

34. Hoc igitur suppositio: Quod Deus cognosci perfecte non possit, facile te expedies ab illo quæsito, *Possitne Deus perfecte definiri?* Qualis enim rei est cognitio, talis etiam ejus est definitio. Definitio enim quid aliud est quam rei cognitio? Deus autem perfecte cognosci non potest, per modo dicta. E. nec perfectè definiri.

35. Imo 2. Quid Deum definire audes ô homo, qui nullam substantiam perfecte definire potis es! Quia eam quiditative cognoscere in hac rerum caligine non vales! Cognoscis eam vel per accidentia, vel per operationes, vel alio modo imperfectiori, qui tamen ejus essentiam *ut in se est*, non attingit! *Quis enim me doceat quid sit substantia, nisi illis miseris verbis, res subsistens? Corpus, quod tangi potest; Dicatur mihi quid est Caninitas, asinitas, Leonitas, tam equidem notum est horum quidvis, quam quod ignotum. Definiamus lapidem illum qui præ pedibus est! Nugæ: Terram definimus à soliditate & pondere, Ignis quid est? substantia, quæ ad cavum lunæ fertur. Hoc habes à sensu. Quid ipsa illa substantia sit, plane ignoras; sed sicut vulpes elusa à Ciconia lambimus vitreum vas, pultem haud attingimus.* Verba sunt acutissimi Scalig. *exerc. 307 sect. 21.* Unde in magno periculo versamur ne nullam veram teneamus definitionem, inst idem *exerc. 101. f. 14.*

36. Adde 3. Quod Deo prorsus repugnet definiri, quia illi repugnat 1 Conceptus generis, 2. Differentiæ, 3. Speciei: cum tamen ad definitionem omnem genus & differentiam requirat Aristot. *l. 6. Top. c. 5.* & definitum debeat esse species. Arist. *l. 7. Met. c. 4. Damasc. Dial. cap. 5,*

37. Antecedens distincte probo: 1. *Repugnat in Deo concipi aliquid ut Genus*: 1. propter summam ejus *perfectionem & actualitatem*: Genus enim concipitur ut aliquid imperfectum, illimitatum, informe, confusum, potentiale, partiale, &c. quod per differentiam debeat perfici, limitari, informari, distingui, actuari &c. At nihil in Deo concipi debet imperfectum, quod perfectione, informe & confusum quod distinctione, potentiale, quod actu indigeat. 2. Repugnat id propter summam Dei *independentiam*: Genus enim concipi debet, ut specie prius, Aristot. 4. *Topicor. c.* 2. Porph. *Isag. c.* 7 Deo autem aliquid esse prius non potest, 3. propter summam Dei *simplicitatem*: Nam Conceptus generis non est de conceptu differentiæ, sed diversus ab illo, ita, ut unus alium essentialiter non involvat, ex *l.* 6. *Top. c.* 6. 9. & 14. Animalis enim conceptus diversus est à conceptu rationalis: Ideoque genus cum differentia junctum compositionem facit: At in Deo non possunt isti conceptus distingui, *neq; potest ibi concipi ratio determinabilis & determinans, ita ut una in altera essentialiter non includatur*: Quicquid enim in Deo est, sive sit Ens sive spiritus sive aliud quiddam, quod videtur esse loco Generis, essentialiter involvit ipsum esse Dei, ideoque etiam, quod inde consequitur, quia in Deo non distinguuntur, conceptus illi, generis & differentiæ rationem non subeunt, neque compositionem faciunt *Porro*: Conceptus generis non conceptum involvit speciei: Aristot. *cit. l* Species enim, præter genus, quod in se habet, etiam involvit differentiam, ideoque plus illa dicit, quam genus: qua ratione animal v. g. non est præcise idem quod homo: At repugnat Deo simplicissimo, in eo reperiri aliquid genericum quod non sit de conceptu Dei, quod non sit Deus. E conceptus generis Deo repugnat.

38. *Dicis*: Hæc omnia nihil in *re concepta* importare imperfectionis, sed solum ab intellectu concipiente rationis ratiocinatæ distinctione rem alias *simplicem* distingui: Sic Genus concipitur ut prius, cum *in reipsa* non sit prius, concipitur ut imperfectum & confusum, cum tamen in re ipsa sit perfectum & distinctum: Nihil igitur inde derogatur Dei vel perfectioni vel simplicitati licet illi Genus assignes: *Resp.* Sit ita: Non sit in re imperfectio, non tamen conceptus imperfecte rem *ut imperfectam* re-

præsen-

præsentantes, quæ alias est perfecta, sunt legitimi: Quid derogatur Deo, etiam si tu illum blasphemes, convitiis proscindas: Ergone inde illum blasphemare liceat?

39 Neque hic audire fas est vel Timplerum, qui *genus quoddam analogicum*, vel illos qui *genus logicum* (ubi genereitas in conceptu formali sit, non in re concepta) Deo putant assignandum? Nam 1. Genus, ut genus est, in suo conceptu imperfectiones antè signatas involvit, unde notionem *generis* ab illis depurare & Deo applicare nemo poterit: Hoc quidem largior, conceptum aliquem posse esse *communem* Deo & creaturis, non tamen ille statim est *genericus*, quemadmodum etiam v. g. in conceptibus transcendentibus, communitas quidem est, genereitas vero nequaquam: Conceptus igitur illi communes in Deo analogice quidem imitantur rationem generis, sed unice *in communitate, non verò in genereitate* propter imperfectiones quas hæc involvit.

40. *Deinde*: videant illi qui genus aliquod Logicum, ubi genereitas in conceptu sit, non in re concepta, Deo asscribunt, ne figmentum aliquod nobis obtrudant, & merum mendacium: Illi enim conceptus, quibus nulla respondet realitas, neque habent alias fundamentum in re, sunt figmenta & mendacia: At genus illud logicum non habet naturam genericam correspondentem, neque alias in re fundamentum: Ergo genus illud Logicum est mendacium: Hactenus igitur demonstratum, Deo repugnare genus.

41. Porro 2. *Repugnat in Deo concipi aliquid ut Differentiam*: 1. Quia Differentia non includit perfectionem summam, eo quod non involvat suæ speciei genus, At in Deo nihil concipi potest, quod non sit summè perfectum: 2. Differentia est accidens generis, quod actu in illo non sit, cum genus quandoq; sine illo esse possit: 3. Differentia est pars speciei: Atqui in Deo nihil quod accidens aut pars dici debeat, potest reperiri.

42. Et hinc etiam vulgo *Deus à creaturis non dicitur differens sed primò diversus*: Differre enim illa dicuntur, quæ per superadditas differentias, ita tamen, ut in genere univoco conveniant, distinguuntur: Diversa autem illa sunt quæ in nullo (genere univoco) conveniunt Arist. 10. *Met. t.* 12 Deus a non agnoscit vel

differentiam, vel in genere convenientiam, cum creaturis. E. non differt sed diversus est ab illis.

43. Tertio: *Repugnat, Deum concipi ut speciem*: 1. Quia species est ex genere & Differentia composita; At illa compositio Deo repugnat ut modo visum: licet enim illa compositio non sit crassa & physica sed solum *logica*, quæ in mente & à ratione perficiatur, repugnat tamen illa Deo, ob imperfectiones quas involvit: 2. Species, (saltem per non repugnantiam) debet esse in pluribus individuis, in quibus ipsa speciei essentia est secundum *numerum diversa*: At repugnat essentiam divinam reperiri in pluribus Diis secundum *numericam essentiam* diversis, 3. Deus est summe unus: At summa unitas non est ea quæ specifica est, hæc enim est divisibilis (licet non in plures species tamen) in plura ejusdem speciei individua, sed numerica: Ergo etiam unus est non specie sed numero &c.

44. Ex dictis facile colligitur, *Deum nulla prorsus ratione vel directe vel reductive esse in prædicamento, Non directe?* Quia Prædicamenta sunt classes generum & specierum, & sic quæ genera & species esse non possunt, sub istam classem referri non debent; Deo autem repugnat notio generis & speciei: *Neq; 2. reductivè*: Quia illa reductivè sunt in prædicamento, quæ reductivè sunt genera vel species: At hoc quis asscribat Deo? *Adde*: Magnæ esse imperfectionis argumentum, reductivè aliquid in prædicamento poni, *Reductio enim fit ob rei* non perfectionem sed *imperfectionem*: Et 3. Quæ quæso nos cogit vel petulantia vel necessitas, Deum imperfectionibus istis rerum creatarum subjicere, vel eum eò redigere velle?

45. Concludo igitur Deum nulla definitione perfecta finiri posse, sed saltem eo modo, quo cognoscitur aliqualiter describi, sive per negationes sive per operationes, sive per proportionem & analogiam quandam:

46. Neque illud alicujus est momenti illorum, qui volunt *Deum perfecta definitione* (*non logica*) *sed theologica explicari posse*: Ridiculi sunt isti eo quod peccant in modo loquendi & in re ipsa: *1. In modo loquendi* quidem, quia confundunt modum sciendi cum scientia, ipsam rationem & normam definiendi cum materiâ ejusdem,

dem, Logica enim modum & rationem definiendi fabricat, ita ut omni disciplinæ & sic etiam Theologiæ applicari debeat, Non aliter ac illa monstrat eidem rationem syllogisandi, disponendi, dividendi: &c. *Non igitur definitio Theologica alia esse debet ratione formæ à definitione Logica, sed hinc à theologo mutuo sumta*, quemadmodum etiam ille rationem syllogismos faciendi &c. à logico mutuo accipit: Omnis inquam definitio (ratione formæ) logica esse debet, hæc enim præscribit regulas & rationem definiendi, quamvis deinde ratione materiæ possit dici vel theologica vel physica &c. Peccant porro *in reipsa*: Quia theologia nobis non proponit adæquatam & perfectam Dei cognitionem: E. nec perfectam ejus definitionem, &c.

47. *Variæ autem solent afferri Dei descriptiones*, Confer Dn. Scheibler. *l. 2 Metaph. c. 3. punct. 3. art 3. n. 79 seqq.* Nos non nisi singula cognoverimus Dei prædicata quæ cognosci naturaliter poterunt, adducemus nostram, in coronide eam ponere erit lubido, præcipua cum constet quod rei definitio supponat ejus cognitionē: Conf. interea *th. 11.* Primo igitur, quod pollicebamur th. 27. Prædicata Dei quiditativa communia, quæ correspondent quodammodo generi in communitate, post vero prædicata ejus propria, quæ differentiæ aliquo modo in distinctione sunt similia, videre fas erit.

48. *Prædicata quiditativa communia sunt, quæ ratio in Deo esse deprehendit, ita ut respectu eorum cum creaturis videatur habere aliquam convenientiam*, observata tamen eminentia, quam habent ut sunt in Deo, Et sunt *1. Esse Ens, 2. Esse Substantiam, 3. Esse Spiritum*.

49. *Ens esse Deum* negavit *Plotinus* ideo, quia sit omne Ens supereminens, ejusque naturam longè transcendens, Cui se succenturiarunt delicatuli illi, qui Deum non Ens esse putant, sed essentiam, cum Pico *in l. de ente & Uno*; & Scalig. *exerc. 365. sect 6.* 1. Quia Ens dicitur quod habet essentiam: Ideoque differunt Ens & essentia, ut habens & habitum, ut abstractum & coneretum, ut forma & formatum, quæ conjuncta ad invicem compositionem faciunt, quæ Deo non tribuitur. 2. Ratio *Scalig.* est: Si denominative (& in concreto) quippiam de ipso (Deo) prædicaretur, abstractum esset tum

tum aliud ab ipso, tum ipso prius, quod sane impium, Conf. etiam Suaretz *d.* 28 *Met. f.* 3 *n.* 13.

50. Verum hæc nimia curiositas non probatur: *Ens non solum esse Deum, sed etiam per eminentiam Ens*, recte dixerit, quisquis dixerit, & patet: 1. Quia, quicquid est elevatum extra Nihil, extra non Ens, illud est Ens: Deus autem modo omnium eminentissimo est elevatus extra nihil, Ergo: Deinde: Quo longius aliquid recedit à non Ente, eò proprius accedit ad Ens, At Deus ter opt. max. omnium longissimè recedit à non Ente. Ergo. *Adde* 2. operari sequitur esse, ideoque cui operatio convenit ei etiam est tribuendum τὸ esse: At Deo operationem quis neget? Quis igitur & τὸ Esse?

51. *Ad rationes objectas* repete ex præced. Perfectiones in creaturis repertas, modo Deo tribui debeant, ab omni imperfectione purgandas esse: Ideoque licet in creatis importet Ens vel imperfectionem vel compositionem, hanc tamen cum Ens de Deo dicimus, removemus, & illud, quod in eo perfectionis est, Deo adscribimus, quando sc. Ens dicitur *id quod est, quod extra nihil elevatum est*, quomodo Deus propriissimè Ens est.

52. Specialius resp. *Ad rationem Plotini* Deum non transcendere Ens in suo præciso & adæquato conceptu sumptum, sed solum Ens *creatum* & finitum: Si enim Deus transcenderet Ens esset non Ens, quod ἄλογον.

53. *Ad rationem Pici dico:* 1. Si illa valeret, Deus non posset dici *verus*, *unus* &c Quia verum est compositum ex veritate & habente eam, ex abstracto & concreto &c. Ideoque 2. Non est putandum fieri hic compositionem ex habente & habito, ex abstracto & concreto, quia non est *reale discrimen* inter illa, necessitas enim extorsit, ut sic loqueremur, Ens est quod *habet* essentiam, cum commodior loquendi ratio facile non detur, vide Dn. Scheibler. *l.* 1. *Metaph. c.* 2. *n.* 13. Adde 3. Si maxime discrimen aliquod inter habens & habitum hic putes intercedere, dicito, Ens commodius definiri, cum Suaretz *d.* 2. *Metaph. f.* 4. *n.* 5. id quod est principium intimum operationum, vel effectuum, indeque Deum Ens esse recte dixeris.

54. Hinc

54. Hinc etiam *ad rationem Scalig patet responsum:* Nam 1. Inter abstractum & concretum non est necessario discrimen reale, sufficit distinctio rationis interveniat, Alias enim (ad evitandum illud incommodum) Deus neque esset dicendus Deus, sed Deitas 2. In abstractis istis locutionibus; si Deus dicatur essentia, veritas &c. est aliqua imperfectio: Abstracta enim denotant modum essendi *partialem* & incompletum, quia apprehenduntur ad modum *formarum:* licet quod non diffiteor, in concretis aliquid etiam lateat incommodi: Dummodo concreta (ut ipsa vox sonat) compositionem quandam inferunt, igitur quando abstracta pro concretis Scalig. substituit ex inconveniente uno nihilominus abit in aliud. Dicendum igitur 3. Utramque locutionem, abstractam & concretam adhiberi posse, (quia aliter in hac nostrâ imperfectione de simplicissimo isto Ente loqui non possumus) *Concretam*, ut significetur in Deo *esse completum* & perfectum: Voces enim concretivæ denotant modum essendi completum: *Abstractam* vero ut significetur prædicatorum in Deo summa eminentia & simplicitas: Abstracta enim habent modum significandi simpliciorem quam concreta: *Deinde*: Ut innuatur, prædicata illa non esse in Deo per modum accidentium: Accidentia enim non in abstracto sed concreto de suis subjectis dicuntur

55. Ens igitur est Deus, *sed quomodo conceptus Entis de Deo & creaturis dicatur,* prolixè controvertitur! In re prolixâ non ero prolixus, vide sis prolixius Thom. *p. 1. sum. q. 13. a. 5.* Javell. *4. Metaph. q. 1.* Fonsec. *4. Metaph. c. 2. q. 1.* Cajet. *de Ente & essent. c. 2. q. 1.* Suaretz *d. 28. Metaph. s. 3.* Hurtad. de Mendoz. *d. 9. log. s. 4. &c.* Breviter me expedio & dico: *Ens ad Deum & creaturas esse analogon,* analogiâ attributionis (non extrinsecæ sed) intrinsecæ: Patet: Quia *Analogon* illud est, *quod secundum quiditativum & formalem conceptum formaliter imbibitur in differentiis suorum inferiorum.* Conf. Mendoz. *d. 9. Log. s. 4. subs. 5.* At Ens secundum formalem & quiditativum conceptum imbibitur in differentiis, sive modis contrahentibus illud, vel ad esse Dei, vel ad esse creaturæ: Modi enim illi utiq; sunt *Entia:* Ergo Ens ad sua inferiora Deum sc. & creaturas est analogon.

56. Alij aliter analogiam explicant, & illud vocant Analogon

quod essentiam communicat suis inferioribus cum *dependentia* unius analogati ab alio, quæ sententia communis est apud authores supra cit. Quam si retineas, Ens nihilominus erit analogon ad Deum & creaturas: Participat enim creatura τὸ esse Entis ita ut *dependentiam* habeat in ipso suo *esse* à Deo. Absolute tamen melior est prior sententia, ut dicitur aliàs.

57. Non igitur probaveris 1. opinionem illam quæ *Ens de Deo & creaturis* vult *dici æquivoce*: Æquivoca enim nomen solum habent commune rationem vero nominis omnino diversam: Esset igitur, si Ens ad Deum & creaturam esset æquivocum, vel Deus vel creatura in *re ipsa* non Ens: Et sic si Deus est Ens quoad rem, creatura solum erit Ens quoad nomen, & sic revera non Ens, vel si hæc est Ens, Deus erit non Ens, quæ tamen absurda esse nemo non videt. *Deinde*: Ipsa definitio & ratio Entis utrique, & Deo & creaturis communis est. Habent enim entis *realis* indicia, eò quod elevantur extra nihil, quod immediate opponantur non Enti, quod possint operari &c. Ergo.

58. Neque 2. Scoti sententiam fovere licet, qui *Ens* voluit *ad Deum & creaturas esse Univocum*: Univoca enim sunt quæ nomen & essentiam communicant inferioribus æqualiter, *ut sc. formaliter illa non imbibatur in differentiis ipsorum*: At Ens inæqualiter se distribuit inferioribus, quia involvitur in differentiis eorum, ex th. 55. Ergo. Hactenus de Entitate Dei sequitur porro esse Dei substantiale.

59. *Substantiam esse Deum* facile monstrabis: Ens enim, quod independenter ab alio sive in fieri sive in esse est Ens, quod est primũ Ens, & omnium prima causa, necessario est substantia: *Ratio est*: Quia accidens non potest esse independens & primum Ens, ideo quia omne suum esse accipit à substantia, & sic ab illa penitus dependet: Atqui Deus est Ens primum & independens. Ergo. *Deinde*: Accidentis esse est valde imperfectum & diminutum, quod enti perfectissimo asscribere nefas esto.

60. Imperfectionibus autem suis vox substantiæ si ad Deum applicari debeat, eximenda est, quales sunt, *sustinere accidentia*, *componi ex genere & differentia*, *locari in prædicamento* &c. Hac ratione namque Deus est ὑπερούσιος & supersubstantialiter substãtia, qui

qui est super omne esse prædicamentorum, super omne esse humanæ mentis, super omnem intellectum, super omne genus, & supremum & infimum, ut ait Clariss. Dn. D. Jacob. Martin. *l. 2. exercit. Metaph. 4 theorem. 2. p. 683.* Illud igitur quod in substantia perfectionis absolutæ est, Deo recte assignatur, quod est *esse Ens per se subsistens*, hoc est, independens ab alio vel subjecto, vel supposito sustentante.

61. Ultimo tandē prædicatum Dei quiditativū commune est *esse spiritum*, omnis materiæ & formæ expertē, quod ex abundanti probatur inde, quod Compositio ex materia & forma involvat multiplicem imperfectionem. 1. *Dependentiæ* sive extrinsecæ ab effectivè componente, sive intrinsecæ à partibus componentibus, 2. *Potentiæ passivæ*: Materia enim est δύναμις ex Arist. *l. 2. de an. c. 1. t. 2. l. 1. φ. c. 9. t. 82.* quæ nullius omnino actionis, sed passionis ferme omnis est principium: 3. Imperfectionem *posterioris*, Quia enim compositum est dependens à suo componente, est posterius ipso, & sic nequit esse prius ipso, Hæc autem omnia repugnant Deo, quod sc. sit dependens, quod implicet potentiam passivam, quod habeat aliud se prius &c. E. Deus non potest esse compositus ex materia & forma.

Hactenus de prædicatis Dei quiditativis communibus, sequuntur propria, alio nomine, attributa.

62. Attributa Dei voco conceptus consequentes (in ratione nostri concipiendi modi) *primum quiditativum conceptum essentiæ divinæ*: quibus ratio Deum à creaturis quasi distinguit: Ut autem liceat cognoscere *an & quomodo Deus admittat attributa*, quædam ex disp. 2. de affectionibus spiritus generalius dicta, huc applicare necesse erit: Dico igitur 1. *Deus non habet affectiones vere sic dictas* Patet: Quia affectiones proprie dictæ 1. sunt accidentia suorum subjectorum propria, ab illorum essentia manantia, indeque 2. realiter ab illis diversa, & 3. iis naturâ posteriora: Si enim illa admitteret non esset 1. *simplicissimus*, quia ex subjecto & accidente compositus esset, neque 2. *actus purissimus*, quia esset in *potentia passivâ* ad recipiendum accidentia, neque 2. *perfectissimus*, quia in suâ essentia accidens, quod eam perficeret, admitteret, neque 4. *immutabilis* quia ab accidente mutationem accipere posset, neque

5. *totus independens* eo quod accidens haberet in se dependens, neq; 6. *Ens* totaliter *necessarium*, quia accidens possideret, quod est Ens contingens, neque 7. *Ens primum*, quia accidens agnosceret, quod natura altero posterius est &c. *Denig:* Quæso dicas, cui fini ista accidentia superaddentur essentiæ divinæ? Aut ad perfectionem aut ad operationem aut ad oruatum superaddita sunt: At neutrum esse potest, salva manente Dei perfectione: *Non primum*, sic enim essentia Dei, ex se imperfecta esset & perfectionem sumeret ab accidente: *Non secundum*: Sic enim illa ex se ad operandum insufficiens, sufficientiam sumeret ab accidente: *Non tertium*: Sic enim esset indiga, quæ alterius extrinseci ornamenta posceret &c. Maneat igitur conclusio: Deum affectiones proprias non admittere.

63. Dico 2 *Deus habet affectiones secundum analogiam tales*: Affectiones enim analogicæ nihil aliud sunt, quam ipsa rei essentia inadæquate apprehensa, diversificata tamen (ut sic loqui liceat) in ordine ad cognitionem nostram: Sunt igitur affectiones istæ, non Entia analogica, sed realia, *Deinde*: Realitatem illam non habent in eo, quod subjecto superaddunt, ideo enim sunt affectiones analogicæ, sed quod entitatem subjecti implicant: *Tertio*: Ratione tamen ratiocinata ab essentia sua distinguuntur occasione hujs distinctionis ex re ipsa desumpta &c.

64. Hoc supposito *porro* dico: *Affectiones Dei esse reales* quia Entia sunt realia: non tamen realitatem illam habent in eo quod essentiæ divinæ superaddunt, sed in eo quod essentiam divinam implicant: Igitur dico quarto *Affectiones Dei involvunt ipsam essentiam Dei*: Sunt enim illæ ipsissima essentia Dei, inadæquate apprehensa: Sic v. g. misericordia Dei non est aliquid ab essentia Dei diversum, sed est ipsa essentia divina inadæquate apprehensa in ordine ad actum miserendi: Sic justitia Dei est ipsa Dei essentia inadæquate apprehensa in ordine ad actum puniendi &c. Et ita est in reliquis.

65. Dico 5: *Affectiones Dei distingui ab essentia ejus ratione ratiocinatâ*: Intellectus enim noster simplicissimam Dei virtutem prout in se est, adæquatè concipere nequit, ideoque eam cogitur quasi partiri diversis & inadæquatis conceptibus, eandem essentiam inadæquate repræsentantibus, unde oritur distinctio rationis:

Multi-

Multitudo enim quæ est à parte rei uti infert realem distinctionem, sic multitudo per rationem, quâ res una apprehenditur ut multa, infert distinctionem rationis.

66. Dicuntur autem affectiones istæ differre distinctione rationis ratiocinatæ, Quia intellectus ratiocinatur q. (barbare ita loquendo) h. e. ad ratiocinandum movetur per fundamentum ex re desumptum: Quod fundamentum desumitur 1. *ex effectibus diversis*, quorum principium est eminentissima illa virtus in Deo: Qua ratione distinguuntur intellectus voluntas, misericordia &c. & reliqua atrributa ἐνεργητικὰ ab essentia Dei, Quia alius est actus intelligendi, alius volendi, alius miserendi: Unde sic occasio sumitur illa attributa ab essentia Dei distinguendi, Hinc intellectus distinguitur ab essentia divina, ita ut ille nihil sit aliud, quam essentia illa apprehensa inadæquate in ordine ad intelligendum: Sic voluntas est essentia Dei inadæquatè apprehensa in ordine ad volendum: &c.

67. Fundamentum illud 2. sumitur *ex diversis virtutibus* quas in homine reperimus distinctas: Sic ratio distinguit bonitatem à Deo, item sapientiam justitiam &c: Quia illas virtutes in homine realiter diversas invenit.

68. Tertio fundamentum sumitur *ex rebus positivis diversis*, quas per negationes à Deo removemus: Sic differunt ab essentia Dei immensitas & immortalitas, quia differunt in rebus creatis ut diversæ res, esse emensum & mortalem &c.

69. Non igitur favere licet Scoti opinioni, quæ *attributa divina distinguit ab essentia Dei formaliter*, si distinctione sua formali plus inferat quam distinctionem rationis: Alias si formalem distinctionem dicas etiam de illis, quæ differunt diversis conceptibus formalibus, licet in re nulla sit formalitatum multiplicatio, non valde repugno, Quia sic coincidit illa cum nostra distinctione rationis ratiocinatæ, Conf. Dn. D. Jac. Mart. *exercit. Metaph. f. 2. theor. 4. p. 858*.

70. Ex dictis patet: *Quomodo attributa enuncientur de Deo?* licet enim eminentissimo modo illa sint in Deo, ita ut ipsa ejus essentia sint, & sic à parte rei non repugnet illa dici in abstracto! Quia tamen modus prædicandi sequitur modũ essendi rerum ta-

lem, qualem habent in intellectu concipiente, non repugnat illa dici παρωνύμως & in concreto quia per *modum paronymorum* illa concipit intellectus: Sic v. g. Has prædicationes, *Deus est omnipotens, Deus est justus*, &c. si Logicis oculis intueor paronymas dixero: Logicus enim generaliter paronymon vocat id quod concipitur per modum alicujus sive attributi sive accidentis.

71. Cautelam tamen hic semper adhibitam volo: *In applicatione conceptuum logicorum ad Deum, imperfectiones semper esse removendas*: Sic Paronyma prædicamentalia à suis subjectis sunt distincta, indeque cum illis faciunt compositionem realem, verum Paronyma hæc eminentia realem vel distinctionem vel compositionem non admittunt, sed solum rationis, Neque enim divina æstimamus ex abjectæ creaturæ conditione.

72. *Dicis*: Paronymi notionem non recte applicari conceptibus divinis: *Resp*. Quid vetat conceptus de Deo factos notionibus Logicis dirigere quæ ad id datæ sunt, ut essent instrumenta dirigentia intellectum in omni Ente, præcipue cum illæ neque quicquam perfectionis addant, neque imperfectionis, conceptibus, quibus imponuntur.

73. Quæris *de distinctione attributorum ad invicem*: Resp Non differunt illa à se invicem realiter: Quia alias facerent in Deo compositionem: Compositio enim est *plurium entitatum* unio: Igitur si attributa illa differunt ut Ens & Ens, juncta faciunt compositionem ex Ente & Ente, quod in Deo esse non potest. *Deinde*, non est sufficiens indicium, attributa illa realiter à se distinguendi, Conf. Dn. Scheibl. *l. 2. Met. c. 3. n. 112.*

74. *Differunt tamen attributa ista ab invicem ratione ratiocinata*: Est enim hic inprimis multitudo attributorum non quidem *in re*, sed per rationem apprehensa, occasione tamen ex re desumptâ: Quâ sc. illa quæ alias sunt simplicissimè quid unum, distinguit, *vel* 1. *propter diversos effectus*, ut v. g. misericordia & justitia differunt, quia alius est actus miserendi, alius puniendi, *vel* 2. *propter virtutes diversas* in creaturis repertas, *vel* 3. *propter res diversas*, quæ per attributa removentur, quomodo differunt infinitas, & immortalitas, quia in re creata differunt mortale & finitum &c. Conf. th. 66 seqq.

75. Hinc

75. Hinc patet: *Cur unum attributum de alio non dicatur in abstracto?* Licet enim in reipsa illa unum sint, quia tamen intellectus attributum concipit semper cum aliquo *peculiari respectu*, uti v. g. *misericordia* non est absolute ipsa essentia Dei, sed cum respectu ad actum miserationis, hinc, quia respectus isti variant pro ratione attributorum, conceptꝰ unius attributi non est de conceptu formali alterius, quod tamen in prædicatione abstracta sive synonimica requiritur, non itaque possum dicere: *misericordia est justitia &c.*

76. *In concreto* tamen & παρονύμως illa de se invicem commode dicuntur, quia sic apprehenduntur ut unita in essentia divina: Unio autem facit prædicationem affirmatam paronymicam, Recte igitur dico: *Deus misericors est justus &c.* Proxime plura: Gloria interea sit Deo nostro in secula.

Superpondia I. Metaphysica.

I. Recte illi non agunt, qui Metaphysicam absolute scientiam esse ajunt: *scio equidem παρρησία ista loquendi etiam sæpe uti* Arist. l. γ. Metaph. c. 1. l. ε. cor. c. 1. & alibi: *Verum in hoc literatiori seculo quis illam licentiam admittet, qui modo norit aliam longe esse naturam scientiæ à Metaphysica?*

II. *Quis igitur è quinq habitibus* ab Aristot. l. 6. Eth. c. 3. *recensitis nempe intelligentia sapientia, scientia, prudentia, & arte, erit Metaphysicæ* generis *loco? Neutrum commode assignaveris! Unde sine incommodo sextum addideris mentis habitum, quem tamen ut ἀνόνυμον hactenus, nunc nomine peculiari non vestio.*

III. Metaphysica tamen sapientia est, *prædicatione non synonimica logica generis de speciei, sed synonimica grammatica, ubi idem re dicitur de seipso.*

IV. Non

IV. Non tamen prædicatio prorsus identica est quæ dico: Metaphysica est sapientia.

2. Physica Problemata.

I. Cur Antiphon ille (apud Arist. 3. Meteor. c. 4.*) imaginem sui in aere velut in speculo potuit intueri?*

II. Cur quidam metu mortis unius noctis spatio totus incanuit, uti accidisse narrat Scalig. exercit. 312.

III. Estne verisimile quod narrat Plinius Perositas Tartariæ populos odore *coctarum carnium vivere, quia propter oris angustiam intro recipere cibum non possint? Num ita sit fides esto penes authorem, verisimile tamen cur non esset?*

IV. Anne aliquid causæ naturalis subesse potuit, quod puella quædam Austriaca (referente Camer. hor. succis. p. 2. c. 36.*) sine extrinsecus assumpto alimento vixit per aliquot annos? Resp. Miraculum esse non negavero, nec tamen omnem causæ naturalis concursum inde excludere necesse habeo.*

3. Practicæ quæstiones.

I. Anne per abstinentiam â carnibus poterit aliquis dici abstinens? Quis dicet, modo non abstineat ab aliis cibis.

II. Estne igitur abstinentia, si ciborum naturale & debitum fugimus alimentum? Neg.

III. Estne beatius dare pecuniam, quam accipere? Illud affirm. cum dist.

παρέκβασις.

Nemo (licet semper sit mendax) verè dicere potest se semper mentiri: Neq; is verè jurare potis, qui jurat se nunquam jurare.

COLLEGII PNEUMATICI

Disputatio Quarta

DE

ATTRIBUTIS

DEI IN SPECIE, & primò de UNITATE, SIMPLICITATE, VERITATE BONITATE, ET PERFECTIONE DEI.

Quam assistente Deo summo bono, & perfecto

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Discutiendam proponit ad diem 28. Febr. horis locoq; consuetis

MATTHIAS WEDOVIUS
Witisw: Eideroſt: Holsatus.

Pythagoras apud Justin. Martyr in lib. de Monarch.

Εἰ τις ἐρεῖ θεός εἰμι, παρὲξ ἐιὸς, ὅτῳ ὀφείλει
Κόσμον ἴσον τῶτῳ ϛήσας ἐιπεῖν, ἐμὸς ὅυτῳ
Κὲχὶ μόνον ϛήσας ἐιπεῖν, ἐμῷ, ἀλλὰ κατοικεῖν
Αὐτὸς, ἐν ᾧ πεποίηκε πεποίηϰε δ' ἀπὸ τούτου.

ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0083
DFG

Σῳ Θεῷ.

Disputatio Quarta Pneumatica,

DE ATTRIBUTIS DEI IN SPECIE, ET PRIMO DE UNITATE, SIMPLICITATE, BONITATE ET PERFECTIONE DEI.

Respondente

MATTHIA WEDOVIO
Witisvv: Eideroſt. Holſato.

Theſis I.

Hactenus *de Attributis Dei in genere, ſequitur in ſpecie* eorum tractatio: Dividuntur autem attributa illa variis modis: Nam *1.* Quædam dicuntur καταφατικὰ quæ ſignificantur terminis affirmativis, ut *omnipotentia, miſericordia, juſtitia*, &c. Quædam vero ſunt ἀποφατικὰ, quæ terminis negativis circumſcribuntur, ut *immortalitas immenſitas* &c. 2. Quædam ſunt κοινωνητὰ, in quibus Deus cum creaturis formalem habet convenientiam, ut *bonitas veritas unitas* &c. quædam vero ἀκοινώνητα, quæ ſoli Deo vendicantur neque in creatura reperiuntur ut *omnipræſentia infinitas* &c. 3. Quædam ſunt ἐνεργητικὰ quæ ſunt directa ad certas operationes, ut *miſericordia*, quę actum miſerendi, *juſtitia*, quæ actum puniendi &c. reſpicit: quædam vero ſunt ἀνενέργητα quæ ad nullos actus ordinari intelliguntur, ut *æternitas infinitas*, &c. Conf. Cl. Dn. Scheibl. *l. 2. Metaph. c. 3. n. 127. ſeqq.*

2. Ordinem hæc attributa *à parte rei* nullum habent, quia ſunt ſimpliciſsimè unum quid cum ipſa eſſentia Dei, quia tamen

intellectus noster, eam, *eo modo quo est*, apprehendere nequit, pluribus hic utitur conceptibus inadæquatis, quibus essentiam illam simplicissimam in plures quasi partitur, intelligendo in illa plura attributa, ubi unum quasi *ratio sit & principium* alterius, ideoque etiam ordinem ille quendam facit inter illa, quo unum concipiat esse prius altero, quem hic non negligendum putavero.

3. *Tali autem ordine puto intellectum posse procedere:* Omnium primò apprehendit Deum esse *Ens*: Ex Entitate autem deinde immediate colligit oriri (ut attributum paronymon) Unitatem, de hinc singularitatem, simplicitatem, post veritatem, etiam bonitatem, (ex qua putat oriri appetibilitatem, & Communicabilitatem) tandem perfectionem: *Dein:* Ulterius quasi evehitur in cognitionem istius Entis, ut non præcise se sistat in cognitione Entitatis, sed ulterius cognoscat Ens hoc esse *tale Ens*, nempe Deum, unde jam porro concipit in Deo attributa illa ex Entitate orta esse in summo gradu, esse sc. in illo summam unitatem, summam singularitatem, summam simplicitatem, summam perfectionem &c. Ex perfectione colligit dein Deum esse *Ens increatum, independens, infinitum, purum actum, necessarium, vivens, intelligens, volens, omnipotens, æternum, omnipræsens, immensum, immutabile, incorruptibile, principium & causam omnium, indeq; omnium creatorem & conservatorem!* Et ita ordine de iis etiam procedam ut primo videam Dei summam unitatem, post simplicitatem, & ita deinceps attributa reliqua.

4. Primum attributum Dei est Unitas: Ad cujus cognitionem præsuppono: *Unitatem* (quâ res dicitur indivisa) *esse vel per se, vel per accidens: Hæc propriè est*, quâ *plures res* completæ & distinctæ unionem aut ordinem quendam dicunt ad invicem, qua ratione unum per accidens sunt, *paries & albedo unita illi, acervus lapidum, exercitus &c.* Unde statim patet, quod hæc Unitas non sit *unitas* proprie dicta (quippe quæ non est inter plures res completas) sed solum rerum alias completarum *unio* aut ordo: *Illa est*, qua res habet unam integram (in suo genere) & indivisam essentiam:

5. Et *hæc Unitas per se* iterum *est vel singularis, vel arithmetica sive numerica, vel formalis, vel Universalis: Unitas singularis* est indi-

indivisio rei singularis in plura ejusdem rationis singularia, qua ratione v. g. Petrus est unus singulariter, quia non potest dividi in plura ejusdem rationis individua, sive in plures Petros. *Unitas Arithmetica* est quâ rei alicujus Quantitas continua est indivisa, in plures quantitates continuas ejusdem rationis. Et hæc vulgo dicitur principium numeri. *Unitas formalis* est indivisio *rei Universalis* in plura principia, universalia, sive generica sive specifica: qua ratione *homo* v. g est unus formaliter, quia non dividitur in plura principia universalia, *in plures species*, sed solum in plura individua: Item *animal* hac ratione est unum, quia non potest dividi in plura *principia generica*, sed solum in plures species &c. *Unitas Universalis* (sive, ut *Fonseca* vocat, unitas præcisionis privativa) est, qua res universalis apprehenditur, ut præcisa à suis inferioribus, ideoque indivisa, cum aptitudine tamen recipiendi divisionem, sive existentiam illam in suis inferioribus: Et hæc unitas rei non competit nisi beneficio rationis, quando sc. illa rem ut à suo inferiori abstractam considerat, *Unde patet* quod Unitas illa in Universali, quam primum ad inferiora contrahitur, & sic ut inhærens illis consideratur, non maneat: Quo discrimine secernitur illa ab Unitate formali, quam Universale etiam, ut in inferioribus suis contractum est, semper retinet.

6. Porro: *Unitas singularis* vel est *relativa* rei illius quæ dicit relationem ad essentiam specificam se superiorem, vel *negativa* illius, quæ nullum se superius indeque etiam nullum sibi simile ejusdem rationis singulare agnoscit: Illa rursum *vel est unius solum individui ad suam speciem*, qua ratione hic sol est unus, quia unum solummodo solis est individuum, *vel est unius individui quidem, sed cum coexistentiâ plurium*, ad suam speciem, qua ratione, Petrus est unus homo, quia unus licet sit, non tamen est unicus homo sed plures.

7. Unde, (quod noto obiter) discrimen poterit esse *inter Unum & Unicum:* Unum enim est, quod in se indivisum est, licet plura ejusdem rationis sibi coexistentia admittere possit: Unicum autem est, quod negat simpliciter coexistentiam alterius: Sic v. g. recte dicis: *Unus homo* (v. g. Johannes) *est in urbe*, minus recte, si dicas: *Unicus homo est in urbe &c.*

8. Hisce suppositis dico: 1. *Deum esse Unum unitate per se, quæ habeat unam, integram, & indivisam essentiam, non vero unitate per accidens*, quâ sc. ex pluribus totalibus & completis essentiis, *è pluribus Diis* certus quidam Deorum ordo sit conflatus: Sic enim revera essent plures Dii quod paulo post evettam, Dico 2. *Deum non esse unum unitate arithmetica* sive numeticâ: Quia illa proprie competit rei quantæ. Deus autem quantus non est: Unde etiam, in rigore loquendo *Deus non est unus numero*, si per numerum intelligas numerum specialiter sic dictum, sive prædicamentalem, quia solum rei quantæ est, qua ratione etiam *Basil.* Deum non numero sed essentiâ unum dixit, quod approbat etiam Clariss. Dn. D. Jacob. Martin. *exerc. Met 9. theor. 9. p. 358. & l. 2. p. 761.* Dico 3. *Deum non esse unum unitate vel formali vel universali*: Quia utraque est rei Universalis: At repugnat Deum concipi ut universale quid, sicuti mox videbo.

9. Quarto igitur dico: *Deum esse Unum unitate singulari, non relativâ quæ aliquam se superiorem naturam specificam agnoscit, sed negativâ* quâ Deus se superiorem speciem, & sic etiam ejusdem rationis individuum, sive plures Deos coexistentes, omnino excludit, ita ut cum natura ejus prorsus pugnet, esse plures numero vel specie diversos Deos.

10. *Est* igitur *Unitas hæc attributum Dei, quo apprehenditur essentia divina existens in unico singulari, ita ut illam in plura singularia ejusdem rationis (in plures numero Deos) multiplicari prorsus repugnet.* Et hæc demum Unitas est, qua Deus unice est unus & unicus, quæque demum contra πλυθεΐαν ethnicam non solum ex verbo revelato, sed etiam ex rationis meditullio apodictice potest confirmari. vide sis rationes, queis unitatem hanc stabilio.

11. *I Ratio prima est ab absurdo*: Si non repugnat esse plures, præter unicum, Deos, non repugnat esse infinitos: At repugnat esse infinitos. E. repugnat esse plures præter unicum: *Majoris connexio probatur*: Quia, quod ex sua natura multiplicari potest in pluribus ejusdem rationis, illud suæ multiplicationis non habet certum & definitum numerum, sed in infinitum potest multiplicari: Neque enim est major repugnantia esse v. g. duos Deos, quam tres,

tres, quam quatuor, quam mille, quam decem mille, usque in infinitum, cum non sit ratio cur necessario sistere hic debeas in uno certo & definito numero: *Minorem ita confirmo:* Quia si possunt esse infiniti Dij, actu sunt infiniti, In divinis enim posse & esse non differunt ex Arist. 3. *Phys. t.* 32. Idque est inde, quia sub ratione Dei apprehendimus Ens necessarium & æternum: Ideoque etiam Dij illi (si modo Dij esse debeant) sunt entia necessaria & æterna: Ideoque in illis non est posse esse diversum ab actuali & necessario esse: Eo ipso igitur, quando possunt esse infiniti, actu sunt infiniti, quod tamen absurdum est.

12. II *Ratio est à Dei necessitate:* Quæcunque natura non potest multiplicari in plures vel species vel individua ejusdem speciei, illa necessario est singularissima: Atqui natura divina non potest multiplicari in plures vel species, vel ejusdem speciei individua. Ergo. *Major patet:* Quia Maximum singularitatis signum est, habere repugnantiam ad multiplicationem: Hinc singulare dicimus, quod non potest multiplicari in plura inferiora specie numerove distincta: *Minor confirmatur:* Quia si natura divina posset ut natura universalis, multiplicari, necessariò singularitas, sive ratio existendi determinata in hoc singulari esset extra essentiam ejus, Natura enim communis non potest involvere singularem: Si enim illa singularis esset, non posset esse in pluribus singularibus, & sic eo ipso universalis non esset: sic v g. natura hominis præcisè considerata non involvit existentiam hujus vel illius hominis, sed abstrahit ab utroque: Quia alias illa natura in *pluribus* reperiri non posset: Si enim natura illa involvit in suo conceptu esse singulare Petri, non potest esse in alio ullo individuo præter Petrum, vel si hoc est, Petrus etiam erit in omnibus individuis, in quibus illa natura est, & sic Petrus non amplius singularis est, sed aliquod commune: Unde patet naturam communem ut sic nullam includere posse singularitatem: Ideoque etiam natura Dei si debet esse quid universale, & sic in plures Deos multiplicari, non debet involvere existentiam hujus Dei, eo ipso enim universalitas illa & aptitudo ad multiplicandum extinguitur. Jam vero, natura Dei, ut natura Dei est, involvit *necessitatem existendi*, (Dei enim conceptus est esse necessarium) ideoque *non existere* est de es-

sentia ejusdem: E. etiam singularitas erit de essentia ejusdem: Quia τὸ existere non nisi rei singularis est, Et sic quia est singularis, non poterit esse universalis aut multiplicari in plures Deos, *Brevius ita:* Natura formaliter singularis non potest esse Universalis, indeque nec aptitudinem habere ad existendum in pluribus: Atqui natura Dei est formaliter singularis, quia formaliter est Ens *necessario existens*. Ergo.

13. *III. Ratio est ab infinita Dei perfectione:* Si repugnat esse plura infinita in perfectione, repugnat esse plures Deos, Deum enim apprehendimus tanquam Ens in perfectione infinitum: At repugnat esse plura infinita Ergo. *Minorem confirmo*: Quia illa plura infinita essent infinita & non essent, quod tamen fieri nequit, *Essent* (ex hypothesi adversarij) quia Dij essent: *Non essent:* Quia unumquodque illorum ab alio infinito distinctum esset, & sic per aliquid sui, nempe per *perfectionem* quandam, (quæ in alio infinito reperiri non posset, eo quod hoc ab illo distingueret) distinctum esset: Ergo alterum illud non esset infinitum, quia perfectione quadam, quæ esset in hoc infinito, careret, Imò: Neutrum illorum esset infinitum: quia utrique deesset illa perfectio sive differentia quæ reperiretur in alterutro, & ab invicem illa dispesceret: sint v. g. duo infinita *Jupiter & Saturnus*, ab invicem distincta, ibi necesse est ut Jupiter à Saturno distinguatur per perfectionem quandam in Saturno non repertam (alias enim non posset esse ratio distinguendi) Ergo Saturnus caret illâ perfectione, quæ est in Jove. E. eo ipso non est infinitus: Infinitum enim in perfectione omnes, quæ modo possibiles sunt, perfectiones, involvit: *Rursum:* Jupiter non erit infinitus, quia caret illa perfectione, quæ est in Saturno, & per quam hic ab illo distinguitur: E. duo ista infinita Jupiter & Saturnus non sunt infinita: Et sic vel unum saltem, quod inde colligo, esse potest infinitum, vel neutrum: Non hoc, Quia Deus est aliquis & sic etiam aliquid infinitum; Ergo illud. Hinc ulterius.

14. *IV. Ratio est ab infinita Dei potentia*: Si repugnat plura, præter unum, esse potentissima, repugnat etiam esse plures Deos: Quia sub ratione Dei intelligimus perfectissimum & potentissimum Ens: At repugnat esse plura potentissima præter unum.

unum. Ergo, *Minor probatur*: Quia quod potentissimum est, potest agere *in omnia quæ sunt præter ipsum*, eaque vel producere vel annihilare: Si enim hoc non posset, jam potentissimum non esset quia aliquid esset, quod ejus potentiam ex superaret: *Ideoq; porro*: Si omnia potest producere & annihilare, quæ sunt præter ipsum, non erit nisi unicum, quia omnia erunt producibilia (ut sic loquar) & annihilabilia præter ipsum. Ergo non erunt potentissima, quia admittunt alius potentioris activitatem: Ergo unicum illud, quod agit in reliqua erit potentissimum: E. erit Deus: Et quicquid est præter unum illud potentissimum non erit Deus. Exemplo res clara erit: sint v. g. duo potentissima *Jupiter & Saturnus*: Quæro, possitne Jupiter Saturnum producere aut annihilare vel non: *si potest*, jam Saturnus non erit potentissimus, quia alterius potentiæ nequit resistere, & poterit produci ab illo &c. ideoque non erit Deus, & sic solus Jupiter, quia potentissimus, Deus dici debebat: *si non potest* Jupiter producere Saturnum aut agere in illum, jam ille non erit potentissimus, sed vel Saturnus solum, quia ille Jovis potentiam posset reprimere, vel neuter ex iis, Hoc autem repugnat dicere: Alterutrum igitur ex iis non utrumq; potentissimum esse dicendum est.

15. *Placet hoc argumentum ulterius confirmare*: Ponamus v.g. Jovem & Saturnum tanquam duos Deos, quorum uterq; liber sit neque ab arbitrio alterius dependeat (hoc enim necessarium est, si Dij esse debeant) Inclinet igitur Jupiter & velit producere mundum, Saturnus non velit, Quæro, uter vincat? An Jupiter, an Saturnus, an neuter, an uterque, *Non potest uterq; vincere*: Quia sic mundus simul esset (ex voluntate Jovis,) & non esset (ex voluntate Saturni) quod fieri nequit, quia idem simul esse & non esse impossibile est; *Non potest neuter vincere*: Quia sic neuter esset omnipotens: *E. alteruter*: E. si Jupiter vincat, Saturnus non erit Deus, quia ab alterius vincitur potentiâ: sin contra vincat Saturnus, Iupiter non erit Deus, quia vincitur. Unde patet qnod omnipotentia Dei cum pluralitate Deorum neutiquam esse possit. Plura non addo.

16. Mirere igitur merito, unde tanta apud Ethnicos potuerit esse ignorantia, quæ tot illis peperit Deunculos,

Fassus

Fassus dicitur, Orpheus tot Deos, quot dies habet annus, Hesiodus triginta millia Deorum, alij plures, alij pro lubitu pauciores: Quilibet sua sibi finxit numina, modo ignem (forte quod in sacrificiis patrum hostiæ cælitus delapsæ igne inflammabantur) modo cælum, modo terram, modo, quicquid terra gerit, tandem etiam (quod de Calecutanis referunt) Diabolum ipsum: Et

Quicquid humus, pelagus, cælum, mirabile gignit,
Id dixere Deos, colles, freta, flumina flammas,
Ideoq; Porrum ac cæpe nefas violare & frangere morsu;
O sanctas gentes quibus hæc nascuntur in hortis
Numina — — — —

17. Errarunt autem plerique in conceptu Dei, per quem illud Ens quod omnium est perfectissimum, ita ut illo nil possit excogitari perfectius, intelligendum erat: Ethnicorum autem Dij erant imperfecti: 1. *Quia generatione producti:* Unde Plaut. sub persona Mercurij de Iove jocatur in *prolog. Amphitr.*

Non minus, quam vestrum quivis, formidat malum,
Humana matre natus, humano patre.

Unde etiam in iis fuit uterque sexus, (quod monstrant passim fabulæ Poëticæ de Diis & Deabus, confictæ,) ut ita Deus Deum gigneret. 2. *Sunt cibo & potu usi:* Hinc *Jupiter ambrosiâ satur est, & nectare vivit.* 3. *Sunt mortui,* & quidem ideo, quod sceleribus se polluerent &c. Vnde patet illos vel in conceptu Dei errasse, vel (licet alias Deum unicum esse cognoverint) illos Deos nominasse, qui apud illos putabantur esse sancti & beati, illos enim, qui erant in existimatione, mortuos in Deorum h. e. sanctorum numerum retulere: *Ex qua Ethnica consuetudine illa de sanctis invocandis consuetudo,* quæ nunc viget apud homines acatholicos, *ortum traxisse videtur.*

18. Porro circa Vnitatem Dei notari poterit 1. *Materiale,* quod est ipsa Dei essentia, quæ omnibus attributorum formalitatibus fundamenti quasi loco substrata est, ita tamen ut illa in unitatis conceptu *intrinsece* quasi imbibatur, indeque unitas Dei nihil aliud sit, quam ipsa essentia Dei inadæquate apprehensa in ordine ad nega-

ad negationem divisibilitatis: 2. *Formale*, quod negationē per modum *privationis* conceptam putat esse Fonseca *l. 4. Metaph. c. 2. q. 5. s. 5.* ita ut Deus dicatur unus, sive indivisus nomine privativo, quia est indivisus divisione possibili in cæteris Entibus: *Nam*, inquit *nomina privativa non semper sumuntur, quatenus significant* negationem eorum, quæ apta sunt inesse rebus de quibus dicuntur, sed aliis etiam: Quo pacto sumuntur cæcum, silens, inculpatum & similia, quatenus dicuntur de talpa, de lapide aliisque rebus inanimatis &c. Et hoc etiam illi dicent, qui unitatem transcendentalem formaliter in privatione devisibilitatis putant consistere, uti eam describit Henricus apud Scalig. *exercit. 65. sect. 5.* Verum hæc sententia (saltem quoad unitatem quæ in Deo est, quicquid sit de illa, quæ in creatura) falsa est: 1. Quia termini privativi in re cui tribuuntur imperfectionem important, Privatio enim est negatio rei quæ *debebat* vel poterat inesse: Unde in Deo termini privativi locum non habent, sed rectius negativi: (neque hic alicujus momenti est, quod contra hæc differit Suaretz *d. 4 Metaph. sect. 2. n. 4.*) 2. Privatio proprie non est quando removetur ab aliquo illud quod ab ipso non potest haberi, licet ab alio diversi generis, quemadmodum negatio visus in lapide non est privatio sed negatio. Ideoque etiam negatio divisionis *in Deo* nequit esse per modum privationis, quia (licet alia præter Deum divisionis quodammodo sint capacia, ipse tamen) divisionem nullatenus admittere potis. Rectius igitur formale Unitatis in Deo erit negatio divisibilitatis quâ essentia Dei non solum apprehenditur ut indivisa, sed etiam ut *omnino & absolute* indivisibilis! Et ita explicata unitas solius Dei propria est. Observa tamen, Quod, cum de formali unitatis sermo est, (quod etiam in reliquis attributorum formalitatibus notari velim) illud non concipi debeat tanquam aliquid adjunctum essentiæ Dei *illiq; contradistinctum*, sed semper ipsâm entitatem divinam unâ importet, vide Suar. *d. 4. Met. s. 2. n. 6.*

19. *Unitas* tamen *illa essentiæ divinæ simplicissima non pugnat cum Trinitate personarum*, quam in simplicitate fidei veneramur: Deum enim ita dicimus unum ratione essentiæ, ut non possit multiplicari *in plures essentias* divinas numero specieve distinctas, licet

nicam illam & simplicissimam essentiâ *tribus personis* modo prorsus ineffabili communicari fide ratum habeamus.

20. *Fide inquam novimus Trinitatem personarum non ratione*: Nèque enim audimus illos rationis Magistros, Philipp. Mornæum *l. de verit. relig. Christ. c. 5.* Keckerm. Raijmund. de Sabaud. Theod. Zwinger. & alios, qui hoc summum mysterium rationis acumine absque speciali revelatione, putant posse confirmari: Sane, licet non sit contra rationem, est tamen supra illam, Est ὑπὲρ νῶν ὑπὲρ καταλήψιν, ut ratio illud non intelligat, quî igitur illud ratione confirmabit? Quî sine revelatione cognoscet tres ὑποστάσεις realiter distinctas, in unica, indistincta & simplicissima essentiâ divinâ sine ulla prorsus compositione? Quî deprehendet, identitatem inter divinam naturam & personas, realem diversitatem personarum inter se non infringere? Ponderet hac ratio, & habebit, unde fatebitur, ignem hunc in accessibilem digitis non contrectandum esse, nisi penitus velit comburi. *Addo*, quod enormiter isti peccent in ipsam rationem, qui è rationis promptuario, summa illa mysteria solo lumine specialis revelationis cognita, (quæ inter etiam est illud de Trinitate mysterium) confirmant: Non enim licet μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, Arist. *l. 1. poster. anal. c. 7.* ideoq; etiam principiis philosophicis, ut alienis, conclusionem mere theologicam confirmare nefas esto; Non aliter ac nefas est principio pneumatico probare conclusionem Geometricam. Est autem conclusio mera theologica: Esse tres in unâ simplicissimâ essentiâ personas, Ergo illa philosophico (è ratione sumpto) principio confirmari nequit.

21. *Nec quicquam hic Ethnicorum testimonia obstant*, quæ Trinitatem iis non ignotam fuisse innuere videntur, quæ collecta reperies magno numero apud Excellentiss. Dn. Jacob. Martin. *l. 2. exercit. Metaph. 4. theor. 9. à p. 768.* Quemadmodum etiam Virgil. (ut August. putat *l. 10. de civit. Dei c. 1.*) non videtur ignorasse filij Dei nativitatem quando *Eclog. 4.* respiciens Sybillæ Cumææ (quod forte de Christo fuit) vaticinium, genethliacon canit, quod Christo maxime videtur accommodatum, ut patebit legenti. Licet enim forte testimonia quædam invenias apud Ethnicos, quæ Trinitatem innuere videantur, illa tamen non ex rationis indagine,

dagine, sed vel ex scripturæ lectione (quæ etiam ethnicis accidere potuit, sicut de Platone referunt, illum ex sacro volumine de Deo multa hausisse) vel ex patrum traditione, vel ex angelica revelatione, vel aliunde profluxere; Sed hæc linquamus aliis.

22. *Ex Unitate Dei porro manat simplicitas*: Ubi prænotandum: *1. Simplicitatem esse duplicem, vel summam sive absolutam, vel eam quæ est in certo genere*: Illa dicitur quæ omnem omnino compositionem realem negat, Hæc vero non omni caret compositione sed aliquâ, qua ratione *Angeli* v.g. dicuntur simplices, quia non omni sed certo compositionis genere ex materia sc. & forma carent: Et hanc Deo non tribuimus sed illam: Deinde notandum: *Simplicitatem absolutam, negare solum compositionem realem, non vero excludere compositionem rationis*, (quæ est quando una indivisa entitas inadæquatis conceptibus iisque pluribus apprehenditur, indeque ex iis quasi composita intelligitur) Et sic etiam *in Deo*, sicuti reperitur distinctio rationis, quâ intellectus essentiam Dei ab attributis, & attributa ab invicem dispescit, sic etiam ibi *esse potest compositio rationis*, ex essentia sc. Dei & ejus attributis, ex attributo & attributo &c. Hæc enim compositio summæ Dei simplicitati non obest.

23. *Est* igitur *simplicitas attributum Dei, quo apprehenditur essentia ejus cum negatione compositionis partium in illa repertarum*: Simplicitas inquam Dei Deum dicit tale Ens, quod nullas omnino in sese partes admittere possit: Et hæc de Deo demonstratur 1. *In Genere*: 1. Quicquid in se habet partes unitas, agnoscit unientes eas: Partes enim, licet seipsis, non tamen à seipsis uniri possunt: Et sic etiam agens extra se indeque causam se priorem poscunt: Deus autem, ut Ens independens non agnoscit causas se priores: E. nec partes. 2. Partes dicunt imperfectionem, Quia sunt Entia incompleta, & semper perfectione in ordine ad suum totum inferiora: At in Deo nihil reperiri potest, quod sit imperfectum; 3. Ex partibus, ceu entibus imperfectis, non potest exurgere totum undiquaque perfectum, quia eo ipso, quod constat ex imperfectis partibus magnam dicit imperfectionem: At Deus est Ens perfectissimum.

24. 2. *In specie* probo simplicitatem Dei removendo ab illo omnia compositionis *realis* genera, qualia sunt 1. *Compositio ex materia & forma*, 2. *ex partibus quantitativis*, 3. *ex subjecto & accidente*, 4. *ex accidente & accidente*, 5. *ex natura & supposito*, 6. *ex esse & essentia*, 7. *ex actu & potentia*. At neutra illarum compositionum Deo competit. E. Deus non est ulla ratione compositus.

25. Minorem probo: 1. *Deo non competit compositio ex materia & formâ*, quod patet ex præced. disp. ubi visum quod Deus sit Spiritus. Recognosce eam.

26. 2. *Deo non competit compositio ex partibus quantitativis*: Hæc enim supponit materiam: Ideoque ubi materia non est, ibi nec partes quantitativæ, nec ulla ex iis compositio est. In Deo autem non est materia.

27. 3. *Deo non competit compositio ex subjecto & accidente*: uti visum in præced. disp. ubi monstratum Deo non convenire accidentia physica & intrinsecè inhærentia, & sic etiam in Deo compositionem non faciunt: Compositio enim ex subjecto & accidente nihil est aliud, quam subjecti & accidentis juxta positio. Indeque porro.

28. 4. *Deo non competit compositio ex accidente & accidente*: Est enim illa in iis rebus, ubi reperire licet plura accidentia realiter diversa: sicut homo v. g. compositus est ex intellectu & sensu, tanquam ex accidente & accidente: In Deo autem non invenies plura accidentia. Ergo.

29. 5. *Deo non competit compositio ex natura & supposito*: Quod ut monstrem, prænoto: *Naturam* hic dici essentiam alicujus rei singularis: *Suppositum* vero (in abstracto) esse idem, quod suppositalitatem (ut loquuntur) sive modum illum per quem essentia illa singularis coarctatur ad esse suppositi, & sic sortitur independentiam ab alio tanquam supposito: Unde *natura & suppositalitatis in una re conjunctio, est compositio ex natura & supposito*: Sic v. g. Petrus habet hanc compositionem, quia natura Petri, quæ alias erat indifferens ad existendum in alieno supposito, per suppositalitatem coarctatur ad existendum in hoc & non in alieno supposito: *Nam*, quod porro notandum est, *natura omnis creata, habet hanc indifferentiam, ut possit esse sive in proprio, sive in alieno supposito*:

quod

quod videmus in humana Christi natura, quæ, quia indifferens fuit, ut posset etiam in alio, præter humanum, supposito esse, potuit propria suppositalitate destitui & sic à divina persona (ut sic loquar) suppositari. Unde ulterius fluit: *Suppositalitatem & naturam differre realiter* ut rem & rei modum, Quia possunt ab invicem separari, & sic etiam juncta faciunt compositionem realem. *His suppositis compositionem illam facile à Deo removebis* 1. Quia in Deo suppositum & natura non differunt, (& sic etiam ille non est subsistens per modum ab essentia Dei realiter diversum:) Nam si differrent, suppositum (non aliter ac in creaturis fit) ab essentia Dei manaret, esset que effectus ejusdem: At hoc non est: Quia sic suppositum esset aliud à Deo, esset productum à Deo, quod esse nequit. 2. Natura divina non potest habere indifferentiam ut sit in alio, præter divinum, supposito, Nam (præterquam quod illud realis identitas suppositi ad naturam non admittat) implicat illud imperfectionem: Quia indifferentia illa in naturâ inventa est potentialitas quædam passiva, qua natura ab alio supposito ulterius perfici potest. At Deo potentiale aliquid tribuere repugnat. Unde consequens: Quia in Dei natura non est indifferentia ad essendum in alieno supposito, quod etiam in Deo compositio ex natura & supposito esse non possit. Quia hæc indifferentiam illam supponit.

30. *6. Deo non competit compositio ex esse & essentia*: Ubi notandum: Compositionem illam à Dd. diversimode explicari: Scalig. *exer. 359. s. 2.* ita inquit: *Essentia est, qua* (res) *est id quod est, Esse vero est receptivitas essentiæ*: Ideoque ille per essentiam intelligit ipsam rei quidditatem, sive formam (ut vocant) Metaphysicam, per esse vero intelligit id, quod formæ hujus receptivum (subjectum) est: Et ita intellecta *Compositio ex esse & essentia est essentiæ & subjecti ejusdem conjunctio*: qua ratione homo compositus est ex humanitate & habente eam: *Estq; illa in Creaturis realis*: quia forma & habens formam, abstractum & concretum in conceptibus rerum creatarum ut plurimum realiter differunt. *Ideoq; illa à Deo facile removetur*: Quia in illo non differunt abstractum & concretum, Deitas, & habens Deitatem. Suaretz *disp. 30. Metaph. s. 2. & d. 31. s. 13.* & cum eo frequenter alij Metaphysici compo-

compositionem ex esse & essentia explicant aliter: Nam illis per esse denotatur *existentia* rei: Ideoque *compositio ex esse & essentia est existentiæ & essentiæ in una re conjunctio:* Requirit igitur illa, ut existentia & essentia, quæ in re sunt unum, ratione nihilominus distincta apprehendantur, hoc modo, *ut essentia existentiæ contradistincta concipiatur ut carens illâ*, indifferens tamen ad eam recipiendam: Existentia vero apprehendatur *per modum alicujus supervenientis actus*, per quem essentia educatur ab esse illo potentiali & indifferenti ad esse actuale: Unde patet: *Compositionem illam* (licet non sit realis, aliunde tamen) *Deo repugnare*: 1. Quia essentia ibi concipi potest, ut denudata ab existentiâ: At Dei essentia ita concipi nequit, cum illa sit existentia ipsa, ita ut eam in suo conceptu formaliter involvat, Conf. *th.* 12. 2. Existentia essentiæ superaddita causam supponit: Addere enim existentiam, est è potentia objectivâ in actum trahere, nihil autem seipsum hac ratione ducit in actum At Deus nullam omnino causam supponit. Ergo.

31. 7. *Deo non competit compositio ex actu & potentia:* Ubi observo, Compositionem hanc iterum diversimode accipi: Sic Scalig. *cit. supr. l.* compositio ex actu & potentia est eadem cum compositione ex esse & essentia: sic etiam compositio ex materia & forma, item ex natura & supposito, ex subjecto & accidente, ex genere & Differentia, &c. possunt dici compositiones ex actu & potentia, quia materia, natura, subjectum, genus, &c. habent ratione potentiæ, forma, suppositum, accidens, differentia &c. ratione actus, *specialius tamen* & cum distinctione à reliquis compositionibus, *ista compositio potest explicari*, si per potentiam intelligas potentiam passivam, qua res suscipere possit vel ulteriores perfectiones, vel etiam aliquando non esse, per actum vero, ipsam rei naturam in esse suo constitutam: *Et ita facile illam de Deo removebis*: Quia ubi potentia illa passiva non est, compositio illa non reperitur: In Deo autem nulla passiva potentia est. Ergo.

32. Ulterius in simplicitate Dei (suppositio *materiali* quod Dei essentia est, ita tamen ut formaliter in simplicitatis formalitate imbibatur,) *formale est negatio* compositionis omnis realis! Eaque inde non, ut Cajet. *de Ente & essent. c.* 2. *asserit* excludit perfectio-

fectionem? Quia eo ipso quod removet imperfectionem compositionis magnam perfectionem exprimit, vide Soncinat. *l. 4. Met. q.* 14. Suaretz *disp.* 30. *Met. sect.* 3. *num.* 3.

33. *Tertium attributum Dei est veritas:* Ubi notetur, *quod veritas Dei triplex statui possit:* 1. Transcendentalis sive *entitativa*, 2. *Intellectiva*, & 3. veritas *Ethica* sive veracitas, *Entitativa*, est attributum, quo essentia divina est conformabilis vero Dei conceptui, repræsentanti illum eo modo quo est: sive: *est conformitas essentiæ divinæ cum suo intellectu:* Et hanc veritatem habet Deus ideo quod Ens est; ideoque intellectui suo entitas illa repræsentatur eo modo, quo est, & sic vera est, unde in hac veritate 1. *Materiale* est ipsa essentia divina, quæ instar materiæ q. omnium attributorum formalitatibus & sic etiam veritati substernitur, ita tamen ut in veritatis conceptu *intrinsecè* & essentialiter involvatur, ut ita *veritas divina nihil aliud sit quam essentia divina cum quadã cognitionis illius essentiæ connotatione.* 2. *Formale* tamen hujus veritatis est ipsa *cognoscibilitas* quæ veritatem hanc videtur constituere & ab aliis dispescere: Cujus *affectio est conformitas*, quæ videtur q. ex cognoscibilitate oriri licet vulgo illa confundantur: Nam quia res cognoscibilis est ab intellectu, conformis est illi, non contra: Quia conformis est cognoscibilis est 3. *Terminus* hujus conformitatis (dicit enim illa relationem rationis) est *intellectus* non alienus & creatus, sed proprius *& divinus*: Ab æterno enim cum nondum intellectus creatus esset, Deus tamen verus erat: Ideoq; ex essentiæ divinæ ad intellectum ejusdem cognoscentem relatione exurgit denominatio veritatis, ut vera illa sit, quia ab intellectu divino conformiter est cognoscibilis: *Ne tamen absurdum puta*: quod coincidant hic habitudinis hujus termini, ita ut essentia divina ad intellectum divinum & sic idem referatur ad seipsum: Illud enim est propter summam Dei independentiam, & simplicitatem, quæ non patitur ut illa hac ratione ab alio extrinseco dependeat, quod sit mensura veritatis ejusdem, ut est in rebus creatis, quæ ideo veræ sunt, quia assequuntur illam naturam qualem in illis voluit esse creator.

34. *Veritas Dei intellectiva* est conformitas intellectus divini infallibilis cum objecto intelligibili, quâ sc. ille sine ullo vel errore

rore vel incertitudinis vitio res formaliter cognoscit eo modo quo sunt, de qua veritate inferius plura dignosces, ubi agetur de scientia Dei.

35. Veritas Dei Ethica, sive *veracitas est conformitas locutionis sive alterius significationis divinæ ad placitum cum intellectu divino* ita ut non loquatur

Ore aliud tacitoq; aliud sub pectore condat,

Et illa probatur de Deo: 1. *Ex summa ejus perfectione*, qua ille non potest admittere aliquid quod imperfectum sit, & vitiosum: Atqui magna est imperfectio imo vitium pessimum, contra mentem ire in sermonibus, h. est mentiri: Est enim in Mendacio 1. *Difformitas* signi & signati, mentis & oris, 2. *Deceptio* alterius cui res illa alias obscura per sermones debebat notificari, qui, cum vere te putet dicere, decipitur nihilominus & intentione sua frustratur. 3. Dicentis apud alios *labefactatio*, cujus authoritas, ita minuitur, ut ij qui semel illum mentiri putarunt, semper existiment mendacem, Hæc autem Deo tribuere impium esto. 2. *Ex summa intellectus divini cum voluntate harmonia & identitate:* Mendacium oritur, cum aliud concipit intellectus, aliud proferre intendit voluntas: At illud in Deo esse nequit. Ergo. Unde patet, graviter hallucinari illos, qui *duplicem eamq; contrariam fingunt veritatem, Philosophicam, sc. & Theologicam*, ita, ut, quod *de uno objecto materiali* verum enunciat Philosophus, illud falsum existimet Theologus: Nam si illud, quod in Philosophia verum est, in Theologiâ falsum esset, in Deo etiam contradicens sibi veritas esset, & sic ibi non veritas sed mendacium esset, quia Deus sibi ipsi contradiceret, Atqui hoc est absurdum. Ergo & prius. *Connexio probatur*: Quia utraque veritas & philosophica & theologica à Deo est; si igitur illud quod de objecto uno in philosophia affirmaret, in theologia rursus negaret, jam idem affirmaret & negaret & sic sibi contradiceret, quod tamen dicere de Deo est impium.

36. Veritatis divinæ oppositum est *Falsitas*, Deorum, *est q; apparentia sive fictio, & carentia essentiæ divinæ, ideoq; difformitas ejusdem cum intellectu divino:* Indeque *Falsus Deus* dicitur, *qui apparet vel fingitur esse Deus cum tamen non sit*: Notentur autem circa hanc falsitatem 1. *Origo*, quæ est vel proxima vel remota:

Proxima

Proxima est cognitio intellectus humani aberrans, eaque non simplex, (hæc enim non admittit falsitatem sed) complexa, quâ ille in compositione & divisione, aut ratiocinatione circa objecta oberrat, res aliter enunciando ac in se sunt, unde oritur, quod actus illi sint difformes objecto indeq; falsi: sic v. g. si ratio affirmet de Jove quod sit Deus, actus ille suo objecto difformis est, quia aliter rem repræsentat, ac est revera, ideoq; dicitur falsus: 2. *Remota* falsitatis causa est vel 1. *rerum similitudo* quam videntur habere cum vero Deo, non aliter enim ac similitudo auri cum aurichalco causa esse potest, ut hoc falso dicatur aurum, ita etiam convenientia illa, quam homines, (in intellectu sapientia &c.) cum vero Deo habent, origo esse potuit ut illos Deos esse putarent: vel 2. *nuda rei opinio* & mera petulantia qua multi pro arbitrio sibi sua fecere numina &c.

37. II. Notetur *Materiale*, quod est negatio Entitatis divinæ sive carentia ejusdem: Falsitas enim rei tollit veritatem rei: Et sic ubi falsitas est, res non est. Ideoque etiam falsitas Dei est negatio Dei, & falsus Deus non Deus! Sicut enim veritas habet pro fundamento materiali *Entitatem* rei, ita è contrario falsitas pro fundamento agnoscit negationem entitatis.

38. *III. Formale*, quod est relatio difformitatis intellectus ad rem ipsam: quæ ex negatione ista entitatis tanquam fundamento resultat, Quia enim res illa non est Deus, intellectus apprehendens illam ac si esset Deus difformiter illam dicitur cognoscere: Unde cognosce: *Rem nullam intrinsecè falsam esse sed saltem extrinsecè ratione cognoscentis ita denominari*: Nullus enim v. g. falsus *est* Deus, sed saltem Jupiter v. g. dicitur talis, quia intellectus eum apprehendens ac si esset Deus, cum tamen non sit, illum denominat falsum Deum.

39. Sequitur porro *Quartum Dei attributum nempe Bonitas*: Circa quam prænotanda Bonitatis distinctio in Transcendentalem, naturalem & moralem: *Transcendentalis* est conformitas rei cum voluntate: *Naturalis* est conformitas rei cum sua natura, ita ut omnia habeat, quæ faciunt ad sui perfectionem naturalem: *Moralis* est conformitas rei cum rationis rectitudine: Transcendentalis iterum est duplex, *vel per Essentiam*, quæ notat convenientiam prorsus

prorsus independentem, quâque & ipsum subjectum denominatum & bonitas denominans prorsus sunt idem: *Et hoc modo solus Deus est bonus*, quia omnis bonitas, quæ in illo est, convenit illi per essentiam & independenter ab alio: *vel* 2. *per participationem*, quâ res eam quam habet bonitatem ab alio participatam habet, qua ratione creaturæ dicuntur bonæ.

40. His suppositis dico, quod simplex ista bonitas in Deo reperiatur: 1. *Bonitas transcendentalis est conformitas essentiæ divinæ cum sua voluntate*: Quodque illa in Deo sit eminentissimè, ita ut habeat rationem summi boni, probatur: 1. *Ex Entitate Dei*: Omne Ens est bonum, & sic summum Ens est summum bonum; Ratio: Quia entitas rei est radix bonitatis, ita ut illam hæc proportionatè sequatur sicut passio suum subjectum: Atqui Deus est summum Ens, Ergo. 2. *Ex effectibus Dei*: Quicquid est in effectu præexistit in causa: Atqui effectus Dei omnes sunt boni. E. omnis eorum bonitas præsupponitur in Deo: Ideoque Deus erit summe bonus.

41. Porro pro majori enodatione in hac bonitate poteris notare 1. *Materiale* quod est ipsa essentia divina, quatenus illa q. substrata apprehenditur attributo bonitatis: 2. *Formale*, quod est conformitas sive convenientia ejusdem cum voluntate, ita tamen in illo formali intrinsece involvatur ipsa essentia: Ideoque *bonitas Dei nihil est aliud quam essentia Dei*, cum connotatione volibilitatis (ut sic loquar) sive volitionis, reflexæ supra illam, *quatenus illa talis est, qualem eam vult esse voluntas divina* 3. *Terminus* ad quem sese refert conformitas illa, qui non est ipsa essentia Dei præcise & formaliter sumpta, sed voluntas divina: Sicut enim omnes res creatæ dicuntur bonæ, quia habent conformitatem cum voluntate divina, (ita ut tales sint quales illas Deus voluit esse) sic etiam essentia divina dicitur bona, quia suæ voluntati conformis est: Neque hic necessarium *ut terminus conformitatis, ratione cujus res dicitur bona, sit in re ab essentia bona diversus*, Quia illud in Deo ob summam suam independentiam esse non potest, Ideoque etiam ille in ordine ad alterius voluntatem bonus dici nequit, sic enim in bonitate penderet ab ipsa, quod ἄτοπον. *Recognosce thes.* 32.

41. Bonitas

42. *Bonitas naturalis in Deo nihil aliud est, quam convenientia Dei cum seipso ita ut omnia habeat quæ ad esse Dei perfectum requiruntur:* Et hæc, quia coincidit cum Dei perfectione, infra tractabitur, ubi de perfectione.

43. III. *Bonitas Moralis*, (quæ ex bonitate Dei entitativâ & naturali fluit) *est congruentia indefectibilitatis & rectitudinis divinæ, quatenus illa objicitur naturæ divinæ eam quasi dictitanti, & voluntati eam approbanti:* Et illa de Deo probatur: 1. *Ex summâ Dei bonitate entitativâ:* Quod summe bonum est, non potest admittere malum sive defectum ullum, & sic etiam est moraliter bonum, *Ratio est:* Quia cum summo bono non stat ullus gradus oppositi mali: At Deus est summe bonus. Ergo. etiam est moraliter bonus. 2. *Ex Dei perfectione:* Quicquid est perfectissimum Ens, est moraliter bonum: Atque Deus est Ens perfectissimum. Ergo. *Ratio majoris est:* Quia si moraliter malum esset, jam maximè esset imperfectum: Malitia enim illa moralis dicit defectum & imperfectionem: 1. *Ignorantiæ* & cæcitatis sive *erroris* in intellectu, quô ille in apprehensione rerum deceptus voluntati monstrat objectum vitiosum, eamque q. movet & allicit: 2. *Inordinationis* in voluntate ad objectum inconveniens & malum eligendum 3. *Pugnæ sive luctus appetitus cum voluntate*, ubi ille quasi Dominus sui arbitrij, voluntatis ad arbirrium flecti non vult, sed inclinat in objectum malum, contra quam voluntas & ratio dictitarant. Has autem imperfectiones Deo tribuere nefas. *Deinde:* Si Deus vitiosè agit, aut inde est, quia non potest, aut quia non vult aliter: Si non potest aliter, in intellectu erit error, ignorantia, impotentia: &c. si non vult aliter, voluntas ejus erit mala & imperfecta, quæ omnia quis dicat de perfectissimo nostro Deo?

44. Hinc patet 1. *Quam longè illi à vero abiverint, qui duo olim finxere principia prima,* unum bonum, omnis boni, & malum alterum, omnis mali: Principium enim primum esse & tamen malum esse involvit contradictionem, quia dicit principium primum non esse principium: Nam de ratione primi principij est, esse Ens perfectissimum, & sic omnem excludere imperfectionem & malitiam; At principium primum mali non est perfectissimum quia malum: E. principium primum mali non est principium.

primum: 2. *Quam illi turpiter errent, qui mali alicujus causam in summe bono Deo quærunt:* Hi enim pariter ex Deo faciunt non Deum: Nam: Deus est perfectissimum Ens: At Deus ille qui causa mali est, non est perfectissimum Ens. Ergo Deus ille, qui causa mali est non est Deus: *Major patet* ex dicendis de perfectione. *Minor probatur:* Quia defectus in effectu, supponit defectum in causa producente; Non enim ille defectus ex perfectione, sed imperfectione rei oriri potest: At malum est defectus: E. supponit defectum in causa: At ubi defectus est, ibi nequit esse summa perfectio.

45. Porro circa essentiam Bonitatis hujus Moralis notanda seqq. 1. *Materiale*, quod ipsa Dei essentia est, 2. *Formale*, potest explicari 1. *negativè* per indefectibilitatem, sive negationem defectuum & vitiorum, ut ita *bonitas illa moralis nihil aliud sit quam essentia divina ut carens defectibus & vitiis* 2. *relative* per rectitudinem, quatenus illa objicitur essentiæ divinæ eam quasi naturaliter dictitanti, & voluntati eam probanti, ut ita *bonitas illa* hoc modo *nihil aliud sit quam essentia divina cum connotatione rectitudinis conformis cum seipsa:* Unde patet 3. *Terminus* ad quem sese refert illa rectitudo qui duplex est: 1. *Principalis* est essentia divina: Nam ideo Deus rectitudinem illam habet, Quia conformis est essentiæ divinæ: sicut contra ideo Deus à vitiis abhorret: Quia naturæ ipsius maxime repugnant 2. *Secundarius* est Dei voluntas, quæ (propter summam cum essentia Dei identitatem & harmoniam) rectitudinem istam vult esse rectitudinem, quia congruit essentiæ divinæ.

46. Hinc colligo praviter hallucinari illos: *Qui ex sola Dei voluntate putant peccatum aliquod esse peccatum*: Non inquam hæc res v. g. furtum ideo solū peccatum est, quia Deus illud vult esse peccatum, sed quia naturæ divinæ illud maxime contrarium est: Pariter ac hæc res v. g. justitia, virtus est, non quia solum Deus vult illam esse virtutem, sed quia etiam naturæ divinæ illa maximè conformis est: Terminus enim ad quem se refert rectitudo moralis principaliter est essentia Dei, & secundario voluntas. Ideoque etiam vitiositas moralis ideo est vitiosa quia essentiæ Dei est dissonis: Et Patet: 1. Quia sic nullum esset *ex se & sua natura* vitium

tium & peccatum sed solum pro voluntatis Dei arbitrio sic æstimaretur. Et sic aliquando posset non esse peccatum, modo Deus vellet: Et sic porro: Si Deus vellet blasphemias, abnegationem sui, non essent peccata, quia illa Deus jam non amplius vellet esse peccata sed approbaret: *Dicis*: Deum non posse velle blasphemias, neque ullum aliud peccatum, & sic rationem hanc nihil colligere: *Resp.* Cur non potest velle? Non quia non vult: Sic enim petis principium, quia sic dicis eum non posse velle quia non vult velle, & vicissim: non vult velle quia non potest, quod ridiculum. Neq; 2. Quia peccata per se mala sunt: Nam quare sunt mala, rationem enim hujus quæro: E. 3. Ideo Deus non potest velle mala, & ideo mala sunt mala, quia *naturæ* Dei intime adversantur, non v. solæ voluntati: *Secundo:* si ex nuda Dei voluntate æstimas peccata, cur non ex nuda Dei voluntate æstimas peccati pœnas? Et si hoc, Deus poterit peccata punire & non punire pro arbitrio, quod tamen summæ Dei justitiæ adversum est.

47. Quarto notandus *Modus essendi*, *Quomodo sc. Bonitas ista moralis sit in Deo?* Non enim putandum eam esse in Deo per modum *habitus* supervenientis ad essentiam divinam, sive *virtutis* ratione cujus illa possit recte agere, uti illa est in creatura rationali: sed est in illo modo analogico & eminentissimo: & nihil est aliud, quam ipsa essentia Dei, quæ *ex se* est sufficiens actus istos moraliter bonos modo non aliunde in volvant imperfectionem, sine aliquo superveniente attingere; Quod etiam non ignorat Arist. *l.* 2. *Magnor. Moral. c.* 5. quando ita: οὐκ ἔστι θεῷ ἀρετή. ὁ δὲ θεὸς βελτίων τῆς ἀρετῆς, καὶ οὐ καθ' ἀρετὴν ἐστὶ σπουδαῖος: οὕτω δὲ βελτίων ἔσται ἡ ἀρετὴ τοῦ θεοῦ Conf. *l.* 7. *Ethic. Nicom. c.* 1. Hinc Averr. *supr. l. prior. Deus non est bonus quomodo homo, sed bonitas ejus supergreditur genus humanæ naturæ.*

48. Ex bonitate Dei porro fluit *1. Appetibilitas quæ est proprietas quædam ex bonitate Dei orta* (non vero ipsa formalis ratio boni, ut alij volunt, hæc enim propositio causalis vera est, Quia Deus bonus est, appetibilis est, non vero contra: Quia Deus appetibilis est, bonus est,) *quâ ille movet quasi & inclinat omnia, ut appetant illum sub ratione summi boni & ultimi finis.*

49. Hæc autem ut dextre intelligantur, duo demonstrabo: 1. *Omnia esse propter Deum ideoq; eundem esse finem omnium rerum ultimum.* 2. *Omnia agere propter Deum, & sic eundem appeti ab omnibus ut finem ultimum.*

50. 1. *Deum esse finem omnium rerum probatur:* Datur aliquis finis ultimus Quia in causis finalibus non potest dari progressus in infinitum: Finis enim habet rationem ultimi, quod appetitur ut ultimum, Unde, qui ponit causam finalem tollit etiam processum in infinitum, eo ipso quia ponit ultimum Conf. Javell. *2. Metaph. q. 7.* Suaretz *d. 24. Metaph. s. 1. n. 2.* At finis ille ultimus non potest esse nisi Deus: Quia ultimus finis quem Deus intendit in suis actionibus non potest esse aliquid aliud à seipso: quod ita confirmo: Deus aut fecit mundum temere aut propter finem: Non illud. Deus enim & natura nihil agunt frustra secundum vulgatissimum illud pronunciatum Arist. *l. 2. Phys. c. 7. t. 25. & c. 8. t. 77. l. 1. de cælo c. 4 t. 32. l. 2. de cæl. c. 11. t. 59. l. 1. de gener. anim. c. 1. l. 2. de an. t. 37. l. 3. de an. t. 60. & alibi*: Hoc igitur: Finis autem ille propter quem fecit totum hoc universum debet esse melior universo producto: Quia finis semper est melior iis quæ sunt propter illum: At illud non potest esse nisi aliquid improductum: Quia si productum esset, jam pars Universi esset, E. est Deus: Quia nihil improductum est præter Deum: Confer Vallet. *de sacr. Philos. c. 90.* Elegantèr ad hanc rem Scal *exerc. 250 sect. 1. Omnia propter illud unum sunt, quod non est propter aliud. Ergo erunt omnia propter Deum, quia Deus non est propter aliquid aliud præter se.*

51. *Dicis*: Omnia quæcunque propter aliud sunt, illi, propter quod sunt, sunt aliquod bonum: Ideoque etiam videntur omnia hæc, quæ propter Deum sunt, afferre Deo bonum aliquid: quemadmodum etiam omnia sunt propter hominem, quia illi bonum, sive commodum aliquod afferunt: At quid Deo ex creaturis resultat commodi? Resp. eum Scal. *exerc. 250 s. 1. Ambigua significatione sumitur illa propositio, cum dicimus omnia esse propter hominem, & homo* (cum reliquis creaturis) *propter Deum: Quia ut esset & ut bene esset, opus his habuit: Deus autem non ita: Imo Deo opus habet homo, ut sit & ut bene sit.* Distinguendum igitur inter finem indigentiæ

gentiæ & perfectionis: *Homo est finis indigentiæ* rerum aliarum creatarum, quia ad sui commodum indiget rebus illis: *Deus autem est finis perfectionis*, à quo omnia accipiunt perfectionem indeq; etiam ad illum sese referunt.

52. Quæris: *Anne Deus possit esse finis sibi ipsi?* videtur ita colligi posse ex dictis: Nam Deus agit creando hoc universum, & agit propter finem: At finis ille non est nisi Deus ipse: E. agit propter seipsum Et sic sui ipsius finis est: Neque ab hac sententia alienus videtur Soncin. *5. Metaph. q. 1.* quando asserit actiones Dei immanentes esse propter aliquid, nempe propter essentiam Dei, At actiones Dei immanentes sunt realiter ipsa essentia Dei. Ergo essentia Dei est propter seipsam: *Majorem confirmat:* Quia amat Deus omnia propter seipsum: At amare est actus immanens, Ergo. *Hæc tamen sententia non procedit si finem intelligas proprie dictum*: 1. Quia finis (in communi opinione) est causa realis & physica, At Deus non potest esse causa sibi ipsi realis. E. nec finis sibi ipsi: *Deinde:* Finis (ut causalitatem exercet in Ente rationali) movet agens ad agendum: At Deus non movetur proprie à seipso ut agat &c. Interim tamen Deus quodammodo dici potest finis sibi ipsi, *non positive* quasi in Deo aliquid sit, quod *reali influxu & motione* quadam moveat Deum ad agendum, ideoque ejus sit finalis causa: sed 1. *negative*, quod nihil sit extra Deum quod ratione illius illum ad agendum movere adeoque ejus finis esse possit: 2. *terminativè*, quod sc. actus isti immanentes terminentur quasi (modo tamen simplicissimo) in ipsa essentia Dei, ideoque idem quasi sit terminus sui ipsius, non aliter ac *figura orbicularis* terminus sibi ipsi est, seipsam q. claudit, omnibus sui partibus *in se* vergit seque includit: Quo refer quod *Trismagistus* Deum dixit *intelligibilem* sphæram, forte quia figura sphærica Deum præ omnibus aliis maxime refert 1. *In simplicitate:* circulum enim una linea & sphæram una claudit superficies, 2. *In similitudine* partium: In sphæra enim omnes partes sunt æquales: Ita & in Deo æqualitas maxima: In sphæra est centrum à quo ad omnes partes est prospectus: Ita & Deo cuncta obvia: 3. *In fortitudine:* Sphærica figura omnium maximè resistit: Ita & Deus fortissimus omnium: 4. *In capacitate*, quia sphæra est figura figura-

rum

rum æqualis aliàs ambitus capacissima: Ita & Deus comprehendit omnia, estque ut Arist. loquitur *l de mund. ad Alex. c. 6.* ἐπέχων τὸν κόσμον &c. Conf. Scalig. *exer. 30. s. 1.* Solutionem ad objecta facile desumes ex dictis.

53. *II. Omnia agere propter Deum, & sic appetere eum ut ultimum finem* probatu videtur valde difficile: Nam, Finis non exercet causalitatem nisi ut desiderio & amore sui movet agens ad agendum: At desiderium sive amor, quia actus voluntatis est non potest esse sine prævia cognitione intellectivâ: Ignoti enim nulla cupido: nullus amor: E, finis præsupponit cognitionem sui: *Hinc ita colligo*: Quodcunque non potest cognoscere finem ultimum non potest ejus desiderio & amore moveri ut appetat illum sub ratione finis ultimi: Atqui agentia inanimata & vegetabilia nulla ratione possunt cognoscere finem, sunt enim omnis cognitionis expertia, *Deinde*, animantia bruta licet habeant cognitionem sensitivam, illa tamen non sufficit, ut per illam cognoscatur finis ultimus ut est ultimus sed requiritur cognitio intellectiva, ideoque etiam illa finem hunc cognoscere nequeunt. Ergo inanimata & bruta animantia non possunt ejus desiderio & amore moveri ut appetant illum: Porro: In agentibus per intellectum sæpe etiam Deus non habet rationem finis ultimi qui appetatur ab iis: Nam Finis debet esse cognitus ab agente: At illa agentia intellectualia sæpe non cognoscunt finem hunc ultimum, quia quandoque cum operantur propter finem particularem, nihil omnino cogitant de ultimo fine: Ergo etiam ita non appetunt eundem. *Unde videtur consequens:* Illa solum agentia appetere Deum sub ratione finis ultimi, quæ intellectualia sunt: Quia illa possunt eum præcognoscere, & sic moveri, impelli, & allici ab illo ad agendum: *Deinde*: Nec omnia agentia intellectualia hunc finem necessario appetere, sed saltem quæ ex arbitrio se eo dirigunt ut illum cognoscant: Possunt enim etiam se non dirigere ad illum finem, ideoq; nec appetere illum.

54. Pro decisione hujus hic pauca observo: 1. *Ex parte agentis propter finem non est necessaria præcognitio finis nisi agens illud sit intellectuale:* quod etiam videtur asserere Bened. Perer. *l. 8. Phys. c. 3.*

Ex

Et *ratio est*: Quia illa præcognitio aut est necessaria, quia est ip. causalitas finis, aut quia est conditio ad causalitatem requisita *Non primum*: 1. Quia illa cognitio non est à parte finis cogniti se à parte cognoscentis illum & intendentis: At causalitas est ratio fine ipso orta: 2, Quia alias ea non agerent propter finem, quæ f nem non præcognoscerent, quia causalitate finis, præcognition sc. destituerentur. *Neq; secundum esse potest* (quod tamen apud c mnes philosophos receptum putans Suaretz pro suo modulo de fendit *d. 23., Metaph. s. 7. n. 2.*) Quia si cognitio finis est conditi necessario requisita ad causalitatem finis, aut requiritur ex part finis, aut ex parte agentis: *Non illud*: 1. Quia finis non cognosc sed cognoscitur, Imò 2. Fines plurimi sunt qui cognitionem nul lum habent; *Neq; hoc*: Esset enim necessaria illa præcognitio, at propter agens Universale, aut propter particulare: *Non propte Universale*: Quia sic hoc solummodo ageret propter finem, non vero agens particulare, quod absonum est: Nam *præcognitio illa requiritur ut ratio propter quam agens moveatur ad agendum*; Ergo ubi illa non præcedit, neque motio finis sequitur, quæ agens impellat ut agat: Et sic neque agens, quod non prænoscit, agit propter finem, quod tamen absurdum est *Neq; propter particulare*: Quia multa agentia particularia sunt v. g. bruta & inanimata, qua finem non præcognoscunt, Et tamen agunt propter illum. Ergo præcognitio (quod erat concludendum) non est necessaria ex parte agentis propter finem.

55. Dixi tamen limitatè, præcognitionem non esse necessariam, *nisi agens sit intellectuale*: Nam illa, modo agere velint propter finem; debent præcognoscere illum: Quia in illis operatio propter finem libera est & voluntaria: At nil volitum, quin sit ab intellectu præcognitum: *In agentibus vero necessariis*, quia operatio propter finem est necessaria & naturalis, non requirit cognitionem: Quia quæ necessariò agunt sine prævia cognitione agunt. Unde porro.

56. Observ. 11. *Ex parte agentis naturalis sufficit, ut dicatur agere propter finem, quando in finem suum simpliciter tendit, aut dirigitur*, absque eo tamen quod se libere moveat. Quod fit, *quando illud quod finis dicitur, ultimò terminat actionem illius, & omnia*

media alia, tanquam id ad quod tendunt & cujus gratia illa fiunt. Et ita agens naturale propter finem agere quis neget?

57. Observ. *III. Appetitus finis ultimi Dei opt. max. potest esse vel virtualis* & mediatus, *vel formalis* & immediatus: *Appetitus virtualis est*, quo agens inclinat in bonum finemq; particularem, qui in quantum est finis, & bonus, participat de ratione summi finis, unde, quia agens illum finem particularem formaliter appetit, censetur etiam virtualiter, (in virtute illius sive mediatè) inclinare in illum summum finem: Et hic appetitus quia virtualis est, non necessario requirit appetitum formalem & immediatum ultimi finis. *Appetitus formalis & immediatus est*, quo agens immediate movetur à fine ultimo ut inclinet in illum sub ratione finis ultimi & summi boni:

58. Observ. *IV. Finis duplex est: vel ille qui agentis actioni praeexistit*, ita tamen ut ab illo possidendus sit: Et dicitur vulgo *finis objectivus*, sive (ut Perer. loquitur *l. 2. Philos. c. 5.*) *finis qui est citra motum Physicum, vel 2. ille qui per actionem agentis acquiritur*, & potest esse quandoque modus, quo objectivus potest possideri: Et dicitur *finis formalis, vel finis per motum Physicum.* Ubi imprimis certum est: *Finem ultimum non posse esse finem formalem* h. e. talem qui per actionem producatur, eò quod illi productio prorsus repugnat, *sed objectivum*, qui ut praexistens ante actionem, per illam possidetur.

59. His praemissis tandem dico pro decisione: *1. Deus ab omnibus creaturis appetitur sub ratione finis ultimi, appetitu saltem virtuali & mediato*: Patet: Quia omnes inclinant in aliquod bonũ saltem particulare, & omnes agunt propter finem particularem, qui finis participat de ratione summi & ultimi finis: Et sic mediante hoc fine particulari & in virtute illius inclinant in ultimum finem: *Et ita appetunt Deum ut finem ultimum: 1. Inanimata, 2. Vegetabilia, 3. Bruta animantia 4. Creaturæ rationales* illæ, quæ operantur propter finem particularem, sine cogitatione quam habere possent de ultimo: Inclinant enim hæc omnia immediate in finem particularem, ita ut non appetant formaliter finem ultimum.

60. Dico *2. Deus à solis creaturis rationalibus sub ratione finis ultimi appetitur appetitu formali & immediato*: Quia illæ solum præcognoscere possunt finem ultimum, ut est ultimus, ideoq; moveri & impelli ad illum: Unde porro.

36. Dico

61. Dico 3. *Deus non præcognoscitur ab omnibus ut finis ultimus, licet sit ultimus*, sed solum à creaturâ rationali: Quia Deus potest habere rationem finis, indeq; appeti, licet non sit cognitus immediate: Neque enim est necessaria præcognitio ex parte agentis propter finem, sufficit si simpliciter feratur in illum.

62. Dico 4. *Deus à sola creatura rationali appetitu formali appetitur ut finis objectivus*: Quia hæ solum Deum appetunt sub hac ratione ut illo aliquando fruantur, eumq; possideant. &c. Hinc sume solutionem ad objecta.

63. Ex bonitate Dei fluit. *II Communicabilitas, quâ Deus sese creaturis, pro ratione receptivitatis ipsarum liberè communicat:* Et hæc de Deo facilè probatur: Quia omne bonum est communicativum sui; Ad rationem enim boni pertinet seipsum diffundere & communicare, Unde: *Quo aliquid eminentiorem bonitatis gradum obtinet, eo etiam universaliorem habet se communicandi appetitum, suamq; bonitatem latius diffundit*, ut inquit Dionis. *de divin. nom. c.* 4. Atqui Deus habet eminentissimum bonitatis gradum. Ergo etiam modo eminentissimo se diffundit & communicat.

64. Notandum tamen quod *modus communicationis* 1. *Ex parte Dei* communicantis sit *liberrimus & voluntarius*, quo se ille ex libero arbitrio, creatoris bonitatem creaturæ communicat: 2. *Ex parte subjecti recipientis accommodatus* & aptus: *Omne enim receptivum* juxta regul. Scalig. *recipit per modum receptivatis suæ, non vero per modum imprimentis:* Et sic etiam: *Omne communicabile communicatur ad modum non communicantis, sed recipientis*: Ideoque Deus non quovis modo se communicat: Nam 1. non potest sese communicare *Formaliter, essentialiter, & per modum absolutæ æqualitatis*; ita ut creaturæ essentiâ suâ communicet, hoc modo, ut illa etiâ fiat *formaliter* & essentialiter Deus, essentialiter infinita, &c. Hoc n. fieri nequit, Quia aliâs creaturæ essentia destrueretur: *Formaliter inquã & essentialiter*: Alias n. modo prorsus ineffabili ex unione Dei cũ homine hypostatica fluxisse realẽ essentiæ & proprietatũ divinarũ ad humanam naturam communicationem fide compertum habemus de quo Theologi. sed 2. communicat sese *effectivè* sive in ratione causæ efficientis, quando ille creaturarum entitates & bonitates è potẽtia objectiva ad actũ deducit. Unde hac ratione *creaturæ participant de bonitate creatoris*, quia hæc illas produxit. 3. cõmunicat sese

finaliter, sive in ratione causæ finalis, movendo quasi & alliciendo creaturas, ut bonitatem ejus omnes appetant: quod quomodo fiat dictum est modo. Et his bonitatem Dei finimus.

65. *Quintum attributum Dei est Perfectio:* Ubi prænotanda: 1. *Æquivocatio* Perfectionis: Potest enim perfectio intelligi vel 1. *de actu effectivo*, quo perficiens aliud perficere dicitur: quemadmodum etiam v. g. *ædificatio* est actus effectivus architecti, *unio* actus unientis, *compositio* actus componentis: *Et hac ratione perfectio perfecto omnino est extrinseca*, indeq; illud intrinsecè perfectum denominare non potest: vel 2. *de actu formali, sive formâ intrinsecâ*, quâ res, quæ dicitur perfecta, intrinsecè constituitur in esse perfecti, quemadmodum etiam v. g. unio sæpe sumitur pro actu formali sive formâ quæ ex unitione resultat, &c. *Priorem*, quando de Dei perfectione sermo est, *intelligere non possum*: Quia Deus non habet perficiens aliud extra se, ratione cujus ille perfectionem hoc est actionem perfectivam admittat. Hanc igitur hic intelligito.

66. Prænot. 2. *Æquivocatio* Perfecti: Sumitur enim illud 1. *Relativè* in ordine ad aliquod perficiens, ut perfectum hoc modo sit illud, quod ab aliquo perficiente est perfectum, quemadmodum etiam *compositum* dicimus, quod ab aliquo componente est compositum, *calefactum*, quod ab aliquo calefaciente est calefactum &c. Et in hoc sensu quod est *perfectum*, magnam nihilominus *dicit imperfectionem dependentiæ ad suum perficiens*, unde suas perfectiones accipit: Ideoque statim patet: *Deum hoc modo perfectum non esse*, quia ille prorsus ab alio perficiente est independens. 2. Perfectum sumitur *negativè* (præcisâ relatione quæ sit ad perficiens) pro eo quod non est imperfectum, quod non habet carentiam perfectionis (sive illa ab aliquo perficiente sit sive non sit) Et hoc modo Deum perfectum dicere possumus, neque enim aliter in nostra imperfectione Ens illud longe maximum possumus describere: Nam, quæ verba sunt Thom. *p. 1. sum. q. 4. art. 1. Balbutiendo, ut possumus excelsa Dei resonamus: Quod enim factum non est, perfectum dici proprie non potest; Sed, quia in his quæ fiunt, tunc dicitur esse aliquid perfectum, cum de potentiâ educitur in actum, transsumitur hoc nomen perfectum ad significandum omne illud, cui non*

non deest esse in actu, sive hoc habeat per modum perfectionis (actionis à perficiente ortæ) *si non.*

67. Porro: *Perfectum dicitur vel à perfectione transcendentali*, qua rei nihil deest eorum quæ ad essentiam rei pertinent; Quomodo omne Ens est perfectum, eo ipso quia Ens est, sic enim habet essentiam, ideoque nequit carere iis, quæ pertinent ad essentiam: *vel 2. à perfectione naturali*, quâ rei nihil deest ad debitas à natura operationes perficiendas, *vel 3. à perfectione morali*, qua rei nihil deest ad operationes secundam rationis rectitudinem instituendes: Et his modis omnibus Deus dici debet perfectus non modo, sed & perfectissimus.

68. Tertio: *Perfectum sumitur vel summè & eminenter, vel comparative, sive specialiter & in certo gradu*: Illud dicitur quod habet omnes perfectiones in genere Entis possibiles: sive quod caret omni imperfectione, sive illa sit privativa, (quâ deest id quod debebat ad esse,) sive negativa, (quâ deest illa perfectio quæ poterat esse in genere Entis) Hoc vero dicitur, quod non habet omnes perfectiones in genere Entis possibiles, sed saltem sibi debitas, qua ratione quodvis Ens in suo genere perfectum est: Hic autem, cum de Deo loquimur, perfectum intelligimus illud quod est summe & eminenter tale h. e. perfectissimum Ens.

69. His suppositis dico: quod *Perfectio Dei sit attributum, quo apprehenditur Deo nihil omnino imperfectionis adesse, sed potius cognoscitur ille habere omnes perfectiones, quæ sunt in genere Entis possibiles* Et probatur de Deo: Quia quodcunque habet omnes perfectiones possibiles in genere Entis, est perfectissimum Ens. Atqui Deus illas habet: Ergo: *Minorem confirmo: 1. De perfectione existente:* Deus est causa æquivoca omnium perfectionum in creaturis existentium: nihil enim esse potest præter Deum nisi sit à Deo: E. etiam omnes istæ perfectiones in creaturis repertæ præsupponuntur, modo longe nobiliori, quam sunt in creaturis, esse in Deo: Quia causa æquivoca suo effectu est nobilior: Ergo etiam Deus omnibus creaturis est perfectior. Ergo est Ens perfectissimum eorum quæ existunt. *2. De perfectione possibili*; Nam: Deus non solum est perfectior iis quæ sunt, sed etiam quæ esse possunt: Si enim aliquod posset esse Deo perfectius, illud *vel esset actu*, & sic esset illud

Ens de quo quærimus, perfectiſsimum ſc. quod nos vocamus Deum, *vel ſolum poßibile eſſet*, & ſic non eſſet Ens perfectiſsimum, quia demum producendum, neque eſſet Ens neceſſarium, neque primum, neque prima cauſa, unde multas imperfectiones involveret, ut perfectiſsimum dici nullatenus poſſet. *Deinde*: Quicquid poſſibile eſt, illud non niſi à Deo eſſe poteſt: Ergo etiam perfectio poſſibilis. E. præſupponitur modo eminentiori eſſe in Deo Quia nihil poteſt eſſe à Deo niſi aliquo modo ſit in ipſo. *Deus igitur eſt Ens perfectiſſimum* non ſolum quia involvit omnes perfectiones actu in creaturis repertas, ſed etiam *quia dicit omnem perfectionem poſſibilem*: Si enim aliqua perfectio eſſet poſſibilis & illa deeſſet, jam illud eſſet perfectiſſimum, quod illam unâ cum omnibus aliis involveret.

70. Hic autem accurate tenendum; *Quomodo perfectiones in creatura repertæ inveniantur in Deo?* ſunt autem perfectiones in creatura repertæ duplices uti notat Suaretz *diſp. 30. Metaph. ſ. 1. num. 8. Quædam ſunt ſimpliciter ſimplices*, quæ nullam involvunt imperfectionem, vel repugnantiam, oppoſitionemve cum alia majori aut æquali perfectione: *Quædam vero ſunt perfectiones ſecundum quid*, quæ aliquam involvunt imperfectionem, perfectiones tamen dicuntur, quia ſubjectum illud, cui adjacent perficere putantur: ſic v. g. *potentia generativa* in creatura eſt perfectio κατ' ἀ, quæ multas dicit imperfectiones: *1. eſſentiæ accidentalis*, *2. materialis*, 3. *corruptibilis &c.* Dicitur tamen perfectio quia ſubjectum illud inde perficitur &c. *Deinde & hoc notandum*: *Quod continentia poßit eſſe vel formalis vel virtualis* & eminens: *Illa dicitur*, quâ formalis & propria illius rei entitas continetur, quemadmodum homo v. g. formaliter continet riſibilitatem, docilitatem &c. quia entitas riſibilitatis, docilitatis &c. in homine reperitur, *Hæc vero eſt*, quæ non habet propriam rei entitatem ſed aliquid eminentius illa, eſſentiam ſcilicet talem, quæ poſsit vel entitatem illam producere, vel actus illius effectivos attingere, qua ratione v. g. *calor, eſt in ſole* non quaſi entitas caloris ſit in ſole, ſed eminenter, quia ſol habet eſſentiam talem, quæ per inſitam virtutem calorem poſſit in alio corpore producere.

71. Dico igitur *1. Perfectiones in creaturis repertas* ſimpliciter

ſimpli-

simplices *esse in Deo formaliter*, h. e. secundum *propriam* suam entitatem; *Ratio est*: Quia in formali suo conceptu nullam dicunt imperfectionem sed puram perfectionem involvunt; Ideoque etiam in Deo debent esse formaliter; Quia formaliter eas habere melius est, quam carere illis: sic v. g *sapientia* quia est perfectio simplex in Deo est secundum propriam suam entitatem, (quæ est esse, non accidens, non creatum aliquod, sed esse rerum exactè cognoscitivum:)

71. Observandum tamen: Quod perfectiones illæ, quæ in Deo & creaturis sunt formaliter, non tamen in iis sint *univoce, & adæquate*, ita sc. ut secundum æqualem prorsus rationem, quam habent in creatura etiam sint in Deo, hoc enim falsum est: Quia hac ratione plurimæ perfectiones secundum rationem materialem in creaturis sunt accidentia, quæ tamen in Deo per modum accidentium non sunt, sed potius realiter eadem cum essentia Dei, *Sunt igitur in iis analogicè & inadæquatè*: Quia, licet formalem aliquam convenientiam secundum eas Deus habeat cum creatura, ratione cujus perfectiones secundum idem nomen & rationem eandem, sive conceptum sint in Deo & creaturis, analogicè tamen illas Deus sibi vendicat, partim removendo omnes eas imperfectiones quas materialiter ut sunt in creaturâ involvunt, partim eas creaturis communicando: Unde hæ eas possident per dependentiam à Deo.

72. Dico 2. *Perfectiones* κατὰ ἡ *non sunt in Deo formaliter sed eminenter*: Non inquam sunt in Deo *formaliter*, quia sic involvunt imperfectionem quandam quæ Deo tribui nequit: *Eminenter tamen sunt in illo*: Quia eminenter continere perfectionem aliquam, est habere essentiam talem, quæ possit eam vel producere vel actus ejus effectivos attingere: Atqui hoc modo omnes perfectiones κατὰ ἡ in Deo reperiuntur: *Primo*: *Quia ille habet essentiam talem à qua omnes illæ productæ sunt*: Quo sensu etiam *creatrix essentia eminenter omnia* dicitur ab August. *lib. 4. de Genes. ad lit.* Sic Hermes Trismegistus eleganter apud Scalig. *exercit. 365. sect. 9.* οὐδὲν γὰρ ἔστιν ἐν πάντι ἐκείνῳ (τῷ κόσμῳ) ὁ οὐκ ἔστιν αὐτὸς· ἔστιν αὐτὸς καὶ τὸ ὄντως, καὶ τὸ μὴ ὄντως: τὸ μὲν γὰρ ὄντως ἔφα-

νέρωσε

νέρωσε τὰ δὲ μὴ ὄντα ἔχει ἐν ἑαυτῷ. Est inquam ille emineuter omnia, quia habet essentiam, qua possit producere omnia.

73. *Secundo:* In Deo reperiuntur perfectiones κατά τι eminenter, *Quia habet essentiam eminentiorem, quâ possit attingere actus aut effectus earundem:* Sic in Deo eminenter est *discursus*, quia ille habet aliquid eminentius ipso, quo possit attingere *simplicissima sua cognitione intuitiva*, quod nos attingimus discursu: Sic in Deo eminenter est *potentia generandi*, quia in illo est aliquid eminentius virtus sc. creatrix, qua potest attingere creatione, quod nos possumus virtute generatrice. Et ita est quoque in reliquis, *sit illi Creatori nostro perennis gloria.*

ζητήματα Physica De Cælo.

I. Estne Cœlum orbibus cælestibus realiter distinctis concameratum? *Orbes imaginarios non realiter distinctos concesserimus.*

II. Potestne Cœlum nostro tempore nobis vicinius factum esse, quam fuit temporibus priscis Ptolomæi? *Resp. Qui ita ajunt, extra omnem rationis orbem se evehunt, & quid dicant fermè nesciunt ipsi.*

III. Estne cœlum corruptibile? *Dixerimus quidem (contra vulgatam Aristotelicorum opinionem) verum eundem corruptionis modum, qualis est in his inferioribus ei non adsignaverimus.*

IV. Estne Stella pars cœli? *Resp. si affirmaveris, & tamen cœlum immotum dixeris, facile tibi contradixeris.*

V. Estne Cœlum Qualitatibus primis formaliter imbutum, indeq; etiam qualitatibus secundis inde ortis præditum, & sic v. g. formaliter vel calidum vel frigidum, vel humidum, vel siccum, vel densum vel leve, vel rarum, vel solidum, &c. *Resp. Illis, quibus cœlum corruptibile est, hoc usq; adeo non erit improbabile.*

VI. Suntne igitur Stellæ, v. g Sol, Jupiter, &c. formaliter his qualitatibus præditæ, ut indè calidæ, frigidæ, humidæ, &c. dici possint? *Resp. Posset illud probabiliter negari, apud eos, qui negabunt stellam esse cœli partem.*

VII. Estne per rationem demonstrabile Cœlum in tempore cepisse? *Cæpisse quidem per creationem, est demonstrabile, in tempore vero cæpisse demonstrabit nemo.*

COLLEGII PNEUMATICI

Disputatio Quinta

DE

INFINITATE, INDEPENDENTIA, ACTUALITATE, IMMUTABILITATE, ÆTERnitate, Immensitate, & Omnipræsentia Dei,

Quam assistente divini & immensi numinis præsentiâ,

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Proponit discutiendam ad diem 7. Martij horis locoq; solitis

PETRUS BOETHIUS Norstrand. Holsatus.

Scaliger exercit. 359. sect. 7.

Illa vero (æternitas) solus Deus est & ipsemet solus Deus: Ætas enim in nobis est quia tempus in motu primo, Ævum in Angelis, & æternitas in Deo, quæ Deus ipse est; Et quia ipse est, illi sunt.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0117
DFG

Literatissimo Dn. RESPONDENTI.

PRincipium sine principio est *sine fineq;* finis,
Ens *absq; Ente* Deus, Rex & sine Rege gubernans,
Omnia commutans, *non immutatus* ab ullo,
Qui sine mensurâ mensurat & omnia, nusquam
Mensus, at *immensus* dextrâ concludit Olympum;
Intra *omnes præsens* res, non inclusus in illis,
Extra omnes præsens, sed non exclusus ab illis,
Absq; loco; locis præsens, *sine tempore* tempus
Quiq; cito fugiunt, remeantes repparat annos!
Id dicis! magnum dicis diumq; *Boethi*,
Ergo tibi magnum & dium promittere numen,
Quod studio & genio feliciter imperet, ausim!
Audentem Deus ipse juvet: mea vota secundet;
Atq; tuis Præses Ductorq; laboribus adsit.

L. M. Q.

M. STEPHANUS CLOTZ.

AOniæ nunquam te grata vireta Camœnæ,
Aut Vatum doctos deseruisse choros
PETRE liquet, verâ Sophiæ dum disseris arte,
Præside CLOTZENIO, quæ tribuenda DEO:
Undiq; *quod* Præsens adsit, *nec carcere clausus,*
Qualis erat quondam *stoicus ille Deus.*
Quodq; sit immensus, *quo nil sublimius uno,*
Quem nequit ingenti claudere terra sinu.
Quodq; sit Æternus, *cunctis antiquior annis*,
Cui neq; principium; *cui neq;* finis *erit.*
Macte isto studio; *nec te invigilasse pigebit*
Aoniis, quando grata βεαβεια *dabunt.*

Ita doctissimo Dn. Respondenti, Populari ac Amico suo percharo, ex animo gratulatur

JOHANNES ANDREÆ
Holsatus.

Dulci-

DUlcisonas quondam cum præteriturus ULYSSES
Esset Syrenes cum sociis subito,
Aures ipse sibi cera obturavit, ut arte
Vitaret scopulos, insidiasq; Deûm.
Sic tu Blanditias, mollesq; Cupidinis arcus
Jam fugis, ast Sophiæ limina docta petis
Quo tandem felix possis tu PALLADIS arcem
Scandere, vel nulla jam remorante mora,
Insuper & voveo pergas sic scripta Sophorum
Volvere, non dubium, quin cluis arte ΣΟΦΟ.

Gratulationis ergô Populari & Commensali suo per-
quam charo apponere voluit

JOHANNES PIPER Itzeboa Holsat

P rudens ingenio censetur jure sagaci
B elli dux cautè bella movere sciens:
E t vel tela parum vel vulnera sæva morari:
O mnia pro voto quo superare queat.
T une ſies O amice mei pars altera cordis,
E t Genio prudens Ingenioq; ſagax?
R ecto cum noris percommoda bella movere,
T empore, queîs palmâ Victor *abibis ovans;*
V ulnera, quæq; tuis ſtudiis nocitura videntur,
I mpugnare gravi cum pietate tuâ.
S unt Ericyna Venus ſunt noxia pocla Lyæi
V ulnera. Væ Juveni quem modo cunq; tenent.
S trenuus hæc ſupera Petre *dono Numinis almi*
Strenuus ut capias grata βεβαια tibi.

PETRUS BOETHIUS

Αναγραμματιθεὶς

U mutato in i.

HEUS! TORPES? TIBI.

HEUS! quid agis? TORPES? non sic: sed sedulus adsum
Musis. Hoc laudo. hinc laus TIBI magna cluet.

HUBERTUS KONIUS Lubecensis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0120
DFG

Σὺν Θεῷ.

Disputatio Quinta Pneumatica

DE INFINITATE, INDEPENDENTIA, ACTUALITATE, IMMUTABILITATE, ÆTERNITATE, IMMENSITATE ET OMNIPRÆSENTIA DEI,

RESPONDENTE,

PETRO BOETHIO
Norstrand: Holsato.

Thesis I.

EX perfectione porro fluit *Dei Infinitas*: Pro cujus descriptione prænoto: *Infinitum ambiguè dici*: Est enim infinitum (vi vocis) quod non habet finem vel terminum. Hinc 1. Illud infinitum vocatur, quod nondum est finitum sive ad finem perductum, sed solummodo inchoatum apud Suarez *d. 30. Metaph. s. 2. n. 25.* 2. Infinitum dicitur, quod est indefinitum, indistinctum, vagum aut confusum, & sic *ratione nostræ cognitionis* nondum est perfectè finitum. 3. Infinitum est, quod difficulter admittit fines in actione, Quemadmodum infiniti laboris est exhaurire mare &c. 4. Infinitum est in quantitate, cujus quantitas termino non est finita, de quo agit Arist. *l. 3. Phys. c. 4. 5. 6. 7. 7. & 1. de Cœlo c. 5.* Et illud vicissim (omissis aliis significatis recensitis apud Arist. *cit. l. & Magir. l 1. Phys. c. 7.*) potest pro ratione quantitatis esse vel Infinitum in magnitudine vel in multitudine: & Utrumque iterum vel Infinitum actu vel potentia: *Infinitum in Magnitudine quoad actum*, est corpus ita extensum, ut quantitas ejus actu terminata non sit, neque ad eam ulla fieri possit additio,

Et tale infinitum dari non potest. *Infinitum in magnitudine quoad potentiam est*, cujus quantitas in infinitum multiplicari potest. Idq; vel *quoad Divisionem*, cujus partes in infinitum sunt divisibiles, vel *quoad Additionem*, cujus partes per additionem partium in infinitum extendi possunt: Et tale infinitum revera dari potest. *Infinitum in Multitudine quoad actum* est numerus innumerus, h. e. talis, qui actu non sit terminatus, & sic per additionem alterius numeri non possit augeri: Et talis numerus non datur, neq; enim est numerus ita magnus, cui non possis addere majorem, *Infinitum in Multitudine quoad potentiam* est numerus actu quidem terminatus, in infinitum tamen multiplicabilis, Et illum dari posse, nemo negat qui numerare potis. Porro 5. Vox infiniti translata est à quantitate molis ad indicandam quantitatem perfectionis: Quemadmodum enim infinitum in quantitate est, quod terminum non habet, ideoque omnem quantitatem possibilem in se continere videtur; sic etiam *Infinitum in perfectione & essentia* vocamus, quod in essentia & perfectionibus suis non potest habere fines, ideoque omnes essentias & perfectiones, quæ modo possibiles sunt, eminentissimo quodammodo videatur involvere: A Quantitate enim molis, quam sensu cognoscimus per proportionem quasi evehitur mens nostra, ad cognoscendam quantitatem perfectionis (quia res non concipimus nisi per sensus & ad modum corporum) ideoque ex infinitate illius hujus quoque infinitatem quasi mensurat. Et hoc infinitum in essentiâ & perfectione, quando de Deo sermo est, intelligi debet.

2. *Infinitas* igitur *ista est attributum Dei, quo intelligitur essentia ejusdem carere terminis in essentia & perfectionibus omnibus, ideoq; omnes quæ modo sunt possibiles perfectiones includere*: Unde statim constat, infinitatem vel nihil vel parum habere à perfectione discriminis, quod bene observat Suaretz *d. 30. Met s. 2. n. 25. Modus enim*, inquit, *perfectionis à nobis expositus convertitur cum infinitate rectè declarata, & infinitas quatenus sub illa negatione perfectionem indicat, pertinet ad perfectionem simpliciter, atq; adeo ad summam entis perfectionem &c.* Unde facile infinitatis in Deo *Existentia* probatur 1. *In Genere, Ex perfectione Dei*: Nam Quod est summe perfectum est infinitum, Infinitum enim est, quod habet summam

mam perfectionem: Atqui Deus est summè perfectus. Ergo. *Deinde:* Quod includit omnes perfectiones, etiam involvit infinitum esse, Quia infinitas est magna perfectio, & finitas magna imperfectio, & sic quod finitum est omnes perfectiones habere non potest. Atqui Deus includit omnes perfectiones. Ergo. 2. *In specie*: Et quidem 1. *Deo competit infinitas in essendo*, quâ omne sive initium sive finem ratione essentiæ excludit; *Non* inquam *Deus potest habere in essentia initium*: Quâ alias non esset principium primum, sed aliud se prius illique dans initium essendi præsupponeret, & sic nec Deus esset: Et hinc manat Dei *independentia* ab alio se priori, de quâ paulo post, *Neq; potest habere essentiæ fines*: Esset enim illud vel ex natura Dei intrinsecâ, vel ab agente extrinseco: Quicquid enim tandem definere potest, illud vel naturâ suâ vergat ad interitum, (ut videmus in corporibus fieri) vel saltem ab extrinseci agentis vi potest eò cogi (ut accidere potest in spiritibus creatis) At neutrum potest Deo accidere: *Non primum*: Quia id esset vel ex principiis corruptionis intrinsecis vel saltem ex libera Dei voluntate, *Non illud*: Quia Deus principia corruptionis intrinseca, materiam v. g. eiq; annexam privationem contrarias qualitates &c. non habet, indeque ad interitum non vergit: *Neq; hoc esse potest*: Quia omnia appetunt sui (non interitum sed) conservationem in esse, vel si aliquando quis appetit non esse fit illud ex inordinata voluntatis depravatione, quam Deo tribuere non poteris. *Neq; secundum esse potest*: Quia si Deus ab extrinseco agente potest destrui, illud necessario est perfectius ipso, quia poterit agere in Deum tanquam fortius quiddam & valentius: Omnis enim actio, quæ fit cum finali agentis victoriâ, est à fortiori: At repugnat conceptui quem de Deo formamus, illum admittere aliquid perfectius se: *Porro*: Deus haberet in se potentiam passivam quâ posset recipere alterius activitatem, indeque esset imperfectus, ex potentiâ & actu compositus, mutabilis &c. Quæ omnia repugnant? *Adde & hoc*: Quod omnis limitatio in essentia sit vel ex voluntate agentis, vel ex capacitate recipientis: Quicquid inquam finitum est, vel tale est, propter causæ efficientis libertatem, quæ tantam & non majorem voluit conferre perfectionem; vel propter sui incapacitatem, quod tantam & non majorem

potuit recipere: At Deus causas has finitatis non agnoscit, cum non habeat aliud extra se, quod illi conferat perfectiones, neque capacitatem habet qnâ limitatas & non majores possit recipere. Ergo.

3. *II. Deo competit infinitas in durando:* ita ut sit æternus de quo speciatim ubi de æternitate.

4. *III. Deo competit infinitas in adessendo,* ita ut sit immensus & omnipræsens, uti monstrabitur ubi de immensitate & omnipræsentia agetur.

5. *IV. Deo competit infinitas in agendo:* 1. Quia uti se res habet in esse ita & in operari: operatio enim individuus essentiæ comes est. Indeque: Quod in essentia est infinitum, est quoque infinitum in virtute agendi: Atqui Deus est in essentia infinitus. Ergo 2. *Finitas in agendo vel est:* 1. *propter dependentiam à causa superiore,* ita ut, illud sit finitum agens, quod se solo absque superioris causæ concursu agere non potest, Indeque accipit ab illo limitationem in agendo: *vel 2. propter dependentiam à materia aut subjecto:* Nihil enim quod in agendo finitum est, quicquam sine materiæ vel subjecti præexistentia producere potest: vel *3. propter dependentiam ad certum objectum,* quemadmodum non quidvis ex quovis, sed saltem determinatam & sibi debitam speciem agens hac ratione producit: homo v. g. hominem generat, non asinum aut equum: vel 4. *Propter dependentiam ad certam activitatis sphæram,* ita ut agens finitum non possit in infinitum spargere virtutem suam, sed saltem per debitam distantiam passi ab agente: Atqui Deus neutro horum modorum in agendo est finitus: *Non* enim 1. *est dependens à causa* se superiore, in agendo: Quia nullum se superius agens agnoscit: *neq; 2. à materiâ,* Quia potest rem ex nihilo, h. e. nullo præsupposito subjecto producere, quemadmodum illud indicat virtus creandi, quâ stabilivit mundum de qua infra σὺν θεῷ. Unde etiam speciale argumentum ad probandam Dei infinitatem ex *virtute creandi* desumit Suaretz *disp. 30. Metaph. s. 2.* Nam virtus creandi est infinita 1. *Ob modum agendi ex nihilo:* Est enim infinita distantia inter objectum creationis & potentiam creandi, qualis est inter Ens & non Ens: Ergo etiam debet infinita potentia quæ distantiam istam superet, 2. *Ob latitudinem objecti*

creabilis

creabilis (ut sic loquar) Hoc enim in infinitum extenditur, & quamcunque perfectionem finitam determinate signabilem superat, ideoque requirit in causa infinitam vim & perfectionem : Et sic 3. Deus in agendo non est dependens ab objecto, Quia quodvis producibile quod non involvit repugnantiam produci potest ab ipso: neque 4. est dependens à certa agendi sphæra vel distantia : Quia potest agere in infinitam distantiam. Ergo (quod erat concludendum) Deus in agendo non est finitus. Et hinc fluit *Omnipotentia* Dei de qua inferius.

5. Porro in *essentia* Infinitatis *formale* non est *privatio* finitatis, ita ut Deus dicatur infinitus quia de facto nullum habeat terminum, licet alias eundem admittere possit, sed *negatio* finitatis in essentia & perfectionibus, vel si mavis, infinitas est *positivus* quidam *conceptus* in Deo, (quem negatione propter imperfectionem nostram quasi exprimimus,) qui denotet tam omnes in Deo perfectiones, quam etiam omnes perfectionum gradus eosq; quoad fieri potest, eminentissimos.

6. *Dicis:* Si Deus est infinitus involvendo omnes perfectiones in creaturis, non poterit à creaturis distingui, vel saltem creaturæ non erunt distinctæ à Deo : Quia sic habet *in se* omnia ea quæ in creaturis reperiuntur : At distinctio debet fieri per aliquid proprium in utroque distinctorum non repertum : *Resp:* Infinitum Ens distinguitur à reliquis, 1. *per perfectiones ipsas*, Quia non involvuntur eæ omnes in cæteris Entibus, quæ sunt infinito Ente, 2. *per modum habendi illas* : Sunt enim illæ modo eminentiori in Deo quam in reliquis : in illo ut causa, in his ut effectu, in illo independenter, in his dependenter &c. reperiuntur.

7. Ex infinitate Dei fluit 1. *Independentia* ejus, quâ apprehenditur ut carens omni causa superiore producente illum, Quæ facile illi inesse intelligitur, ex iis ubi dictum *Deum carere omni initio*. Termini æquipollentes cum independentia sunt : 1. Esse *Ens à se*, h. e. non ab alio se priore productum : Deus enim est à se non per positivum influxum, quasi seipsum produxerit è non esse ad esse, sed per negationem influxus ab alio, quod produxerit illum. *II. Esse Ens increatum*, Ubi *in* increatum non intellige *in sensu*

negativo, quasi Deus sit increatus per negationem omnis Entitatis positivæ in illo, quomodo non Entia increata dicimus, Esset enim contradictio Deum Ens dicere & tamen hoc modo increatum affirmare, sed potius τὸ increatum accipe in *sensu quasi positivo*, per positionem realis entitatis, quæ tamen non sit creata vel producta ab alio. Conf. Dn. Scheibler. *l. 1. Metaph. c. 13. n. 19.* *III. Esse Ens per essentiam*, h. e. tale, quod per sese & ex vi suæ essentiæ essentialiter habet esse non receptum, nec participatum ab alio, Suaretz. *d. 28. Met. s. 1. n. 13.* Quomodo solus Deus est Ens per essentiam. *IV. Esse Ens necessarium* h. e. tale, quod neque potuerit incipere esse, neque poterit desinere, quod solius Dei proprium est. Poterit tamen hic notari cum Javell. *d. 12. Metaph. q. 30.* quod *Ens necessarium duplex* esse possit: 1. *Per causam intrinsecam tantum*, quod in se non habet principium intrinsecum (licet admittere possit extrinsecum) quo possit non esse: Et sic etiam angeli & Animæ rationales sunt entia necessaria. 2. *Per essentiam suam*, & per habitudinem terminorum, ita, ut, si non esset, sequeretur contradictio, & est illud cujus esse non dependet ab alio imo suum esse est de essentia sua: Et hoc modo solum primum principium est necessarium Ens, Quia cum dico: *Deus est*, τὸ *est*, est de essentia ejus, & sic si dicas, Deus non est, contradictionem involvis; Nam in subjecto (Deus) involvitur τὸ Esse, Quia Deus est suum esse, unde si in prædicato dicas eum non esse, idem dicis simul esse & non esse; Et hinc patet, *Deum nulla ratione posse dici Ens possibile vel contingens:* Quia absolute necessarium omnem possibilitatem (quæ est à non esse ad esse) & contingentiam (quæ est ab esse ad non esse) penitus excludit.

8. Ex infinitate Dei II, fluit *purissima ejus actualitas*: Ubi prænotandum: *Purum actum posse dici*, vel 1. *respectu potentiæ materialis*, qui negat omnem omnino materiam, qua ratione etiam Aristot. *l. 8. Metaph. t. 16.* mentes vocat actus puros, vel 2. *respectu potentiæ passivæ* simpliciter, qui negat omnem omnino passivam potentiam: Qua ratione solus Deus est purus actus: Uti patet 1. *Ex Dei simplicitate*, Esset enim alias Deus ex potentiâ (passivâ) & actu compositus, si passivam potentiam in se reciperet quod esse non posse supra visum: 2. *Ex Dei perfectione:* Enti perfectissimo non potest

com-

cõpetere potentia passiva, quippe quæ magnam dicit imperfectionem, 1. *Absentiæ* actus quem habere potest, 2. *Perfectibilitatis* ab illo, 3. *Mutabilitatis*, res enim quæ passivæ potentiæ obnoxia est, mutari potest vel in melius vel in deterius &c. Atqui Deus est perfectissimum Ens. Ergo.

9. Patet hinc: Accurate loquendo *Angelos minus commodè dici actus puros*: Quia (licet à materiâ, attamen) non sunt depurati ab omni potentiâ passivâ: Est enim in illis 1. *potentia objectivâ*, quâ non esse deduci potuerunt ad esse, 2. *potentia logica* qua ab esse poterunt per Dei potentiam deduci ad non esse, 3. *potentia passiva*, quâ ab esse hoc poterunt deduci ad melius esse, recipiendo majores in sese perfectiones accidentales: *Nam* quæ verba sunt Fonsec. *l. 5. Met. c. 8. q. 4. s. 3. nulla substantia finita est, quæ naturaliter juxta conditionem propriæ naturæ non subsistet qualitatibus aliquibus, Ideoq; semper habebit potentiam receptivam in ordine ad sua accidentia*: Indeque errorem magnum Arist. esse putat, dicentis angelos esse actus puros. In eandem sententiam Scalig. *exerc 359. Solus Deus*, inquit, *est causa sine causa & Ens absq; ente: Mera namq; essentia: Intelligentia vero tametsi non est composita ex materiâ & forma, tamen constat ex aliquo tanquam potentiâ & aliquo tanquam actu: Potentiam illam dicimus ejus esse, actum vero ejus essentiam:* Sic sect. 12. ejusdem exerc. *Eodem modo de Angelis dicendum est; Eos esse compositos ex substantiis duabus alterâ simili potentiæ, alterâ simili actui &c.*

9. *Est* igitur *Actualitas illa pura attributum soli Deo conveniens quo cognoscitur esse expers omnis potentiæ passivæ.* Igitur *Formale* illius *est negatio* vel (si mavis) positivum quid negatione expressum removens potentiam passivam: *Passivam*, inquam, *non vero activam*, Hæc enim quia actus est in Deum maxime cadit: *Observa etiam: Actualitatem istam esse in Deo* non per modum actus primi à secundo distincti, ita ut aliud ibi sit activitas sive agendi potentia, aliud actus (immanens, de transeunte enim non loquor) sed *per modum actus simplicissimi*, ubi realis inter activitatem & actum immanentem sit identitas: Nam si in Deo actus primus à secundo distinctus esset, jam ille actus primus esset in potentiâ passivâ, ut ulterius posset perfici à secundo: Quia ultimata rei perfectio, sive

ut

ut *Scalig.* loquitur, ultimum naturæ momentum est in actu secundo: Cognosce hinc: *Ipsas potentias activas* ut sunt in creaturis repertæ, *in sese nihilominus aliquam potentialitatem passivam, quâ à secundis actibus perficiuntur continere*, indeque in Deo illam reperiri longe aliter &c. Sed de potentia Dei inferius.

10. Ex infinitate Dei III. fluit *omnimoda ejus Immutabilitas*: Ubi suppono: Immutabile esse aliquid vel *privativè*, quod quidem aptum est mutari, sed non mutatur, Et ita Deus immutabilis dici nequit, vel *negativè*, quod nulla prorsus ratione mutari potest, Et ita Deum immutabilem appello: *Est* autem *Immutabilitas attributum in Deo, quo apprehenditur ut expers omnis mutationis, quâ se possit habere aliter nunc, quam prius*, *Et illa* de Deo probatur: 1. *Ex actualitate ejus*: Quod puri actus rationem habet, est immutabile Ratio: Quia mutationis radix est potentia passiva: Quod enim mutatur, est in potentiâ passiva ad aliquid de novo acquirendum: At Deus est purus actus, potentiam passivam non habens. Ergo. 2. *Ex perfectione summâ*. Mutatio non fit nisi vel in melius ad addendam rei perfectionem vel in deterius ad imperfectionem: At Enti perfectissimo nihil addi demive potest perfectionis: 3 *Ex independentiâ & prioritate*: Mutatio est actus mutantis in mutabili receptus: Ideoque quod mutabile est admittit actionem mutantis causæ, se prioris, Deus autem à causa se priori est independens: *Deinde*: Quæ posset esse causa mutationis in Deo: Esset illa aut Deus ipse, aut alia præter eum, Non illud: Quia sic se mutaret vel in pejus vel in melius, quod fieri nequit: Neque hoc, Quia illa causa Deo fortior & valentior esset, quod rursum esse nequit. 4. *Ex remotione specierum mutationis*: Mutatio in Deo erit vel ratione existentiæ, vel ratione accidentis, vel ratione loci, vel ratione cognitionis, vel ratione decreti, plura enim mutationis genera dari facile non possunt: At neutrum esse potest: *Non ratione existentiæ*, Quia est Ens necessarium & æternum, quod non potest non esse, ideoque hac ratione existit immutabiliter: *Non 2. ratione accidentis*, Quia propter summam suam simplicitatem & perfectionem accidens à se distinctum non recipit in se. *Non 3. ratione loci*: Quia est immensus, ideoque ille non potest mutare locum ut hoc deperdito acquirat novum, uti alias accidit rei creatæ. *Neq; 4. ratione cognitionis*: Quia

Quia illa in Deo est infinite perfecta, & omnia eo modo quo sunt exactissime intuetur, ut mutari nequeat: Mutatio enim in cognitione oritur ex *ignorantia* & imperfectione rem exacte non intuentis, quam postea videt exactius, indeque cognitionem priorem immutat. At de Deo dici nequit illum ignorare res, neque eas ut sunt intueri. E. etiam in intuitu & cognitione earum est immutabilis: *Neq; 5. ratione decreti sive voluntatis:* Quia omnia maturo judicio nec in consulto decernit: Ideoque nisi Deum arguere velis vel inconstantiæ vel imperfectionis, eum etiam in decretis immutabilem dicito: Nam, si Deus decretum mutat, vel prægnoscit ab æterno se mutaturum decretum suum, indeque prius illud irritum fore, vel non prægnoscit: *Si prius dicas* arguis eum *inconstantiæ & imprudentiæ*, quod eandem animi sententiam semel conceptam post mutet in aliam: Et dicito, quæ causa erit, quod eam post immutet? Sane erit vel *incogitantia*, *imperfectioq; intellectus*, qua nondum plenè considerarit rem, nec judicaverit de illâ, neq; de mediis plene consultaverit, indeque certò nondum perspecta habuerit omnia quæ ad rem decernendam requirebantur, *vel saltem ἀτρεξία voluntatis*, qua illa bene monstranti & judicanti intellectui cedere nolens suum se flecteret ad arbitrium: Quæ omnia, de magno nostro Deo vel cogitare est impium: *Si posterius dicas*, eum non prægnoscere, argues scientiam Dei magnæ imperfectionis. Neque dicere potes: *Deum posse suspendere decretum, ita ut voluntas nec eligat partem alterutram, nec decernat, quid post eligendũ, sed aliquo modo differat*: Quia suspensio ista decreti Deo eandem affricat imperfectionem, Nam si v. g. Deum fingas deliberationem electionem aut decretum quandoq; suspendere quasi in futurũ, vel Deus præscit quid postea sit electurus, & sic est valde irrationalis suspensio, vel non præscit & sic in intellectu magna est ignorantiæ imperfectio.

11 Quæris: *Quomodo actiones Dei transeuntes in Deo facere non possint mutationem? Deus enim per creationem mundi v. g. ex non creante fit creans, indeq; dicitur nunc creator mundi, qui ante ejus existentiam denominari ita non poterat. Ergo mutatur, quia aliter se nunc habet, quam prius ante creatum mundum.* Et confirmatur: *Quia per productionem creaturæ exurgit de novo relatio quædam inter Deum*

& illam, quæ relatio non potest esse rationis, quia Deus & creatura dicunt σχεσιν illam ad se invicem sine rationis nostræ opera, sed realis: E. Deo in tempore aliquid accedit reale, (quia relatio realis) *E. mutatur.* Resp. Duplex hic proponitur difficultas de Actionibus Dei ranseuntibus, & relationibus in tempore illi advenientibus: Ideoque *Dico* 1. *Actiones transeuntes in Deo nullam facere mutationem,* Quia actio transiens non est IN agente sed AB illo, ideoque non introducit mutationem in illo, quia non recipitur in illo, sed solum in effectu producto: Ideoque etiam: Deus quidem creat in tempore, verum illa creatio non facit in Deo mutationem sed in creatura, per illam producta, Et sic, porro, licet Deus in tempore incipiat dici creator, fit tamen illud denominatione (non intrinsecâ per formam novam in creatore receptam sed) extrinsecâ ex positione rei creatæ, vel potius actione creatrice orta, quæ nullam in Deo mutationem facit: Non aliter ac per denominationem extrinsecam paries sine sui mutatione dicitur visus &c.

12. 2. *De relationibus in tempore Deo advenientibus diversimode sentiunt* Dd. 1. Plurimi cum Thoma *p. 1. sum. q. 13. art. 7.* Suaretz *d. 47. Met. sect. 15. n. 17.* Fonsec. *l. 5. Metaph c. 15. q. 1. s. 5. & 6.* &c. asserunt, nomina illa, quæ Deo in tempore adveniunt in Deo non significare relationem realem sed solum in creaturâ, & sic in illo etiam mutationem nullam facere: Distinguunt enim *inter relationes mutuas*, ubi utrinque inter extrema est habitudo realis, *& non mutuas*, ubi ex altera parte realis, ex altera rationis habitudo consurgit: Et has dicunt esse illas quæ Deo in tempore adveniunt, quæ secundum hanc rationem Deo nihil reale addunt, ideoque eum neque immutant, quia ex parte Dei solum dicunt respectum rationis. *Thomas cit. supr. l.* ad hanc rem *relata ponit in triplici differentia:* 1. quædam ex utraque parte non nisi secundum appreheusionem rationis σχεσιν & habitudinem dicunt, quod fit cum idem dicimus referri ad seipsum: Et hæc sunt *Relata Rationis:* 2. Quædam ex utraque parte habent σχεσιν secundum aliquid realiter conveniens utrique, & sunt *Relata Realia* (mutua) 3. Quædam vero extrema sunt diversorum ordinum, h. e. non habent convenientiam & connexionem in ratione generica vel specifica, vel alias unũ illorũ *ex se non petit ordinari ad aliud,* licet hoc ad ipsum: Et hæc faciunt *relationem*

tionem non prorsus realem, sed quodammodo *mixtam*, qualis v. g. intercedit inter scientiam & scibile, quia hæc eatenus sunt diversorum ordinum, quatenus scientia quidem petit ordinari ad scibile, verum scibile non ordinari petit ex se ad scientiam. *Cum igitur*, quæ verba sunt Thomæ cit. l. *Deus sit extra totum ordinem creaturæ & omnes creaturæ ordinentur ad ipsum, & non è converso, manifestum est quod creaturæ realiter referantur ad ipsum Deum, sed in Deo non est aliqua relatio ejus ad creaturas, sed secundum rationem tantum, in quantum creaturæ referuntur ad ipsum. Et sic nihil prohibet, hujusmodi nomina importantia relationem ad creaturam prædicari de Deo ex tempore, non propter aliquam mutationem ipsius, sed propter creaturæ mutationem; Sicut columna sit dextera animali, nulla mutatione existente circa ipsam &c.* Et hæc est sententia Thomistarum, 2. Aliorum sententia probabilior est, *Deum habere in tempore relationes reales, prædicamentales*, quas ante non habuit, sine ulla tamen sui mutatione, ideoque falsum esse, quod relationes illæ ut sunt ex parte Dei, sint rationis: Conf. ita sentientem Hurtad. de Mendoz. *disp. 15. Metaph. sect. 2. §. 18.* (qui ut alibi ita & hic renovat antiquas Nominalium opiniones) cum quo non penitus dissentit ipse Suarez *d. 47. s. 15. n. 19.* Tria autem hic dicuntur: 1. Deum habere in tempore relationes (non rationis sed) reales, 2. prædicamentales, & 3. sine sui mutatione, quo probato nostra de immutabilitate Dei fixa manebit sententia.

13. Probo singula: *I. Deus habet in tempore relationes reales*: Quia relatio rationis est conceptus rei omnino extrinsecus, formaliter existens in nostro concipiendi modo: sed Deum esse creatorem Dominum, &c. non est conceptus omnino extrinsecus Deo, neque solum dependet à nostrâ cognitione, etiam ut à parte Dei est, sed prius est in Deo antequam quisquis concipiat Deum esse creatorem, Ergo conceptus illi creatoris, Domini, &c. non sunt relationes rationis, Ergo sunt reales. *II. Deus habet relationes reales* (non transcendentales sed) *prædicamentales* Quia relatio transcendentalis dicit dependentiam à termino saltem possibili, ita ut illa esse non possit si terminus sit impossibilis: Ideoque illa nihil est aliud quam entitas alicujus rei respiciens aliam saltem sub esse possibili: Atqui Dei entitas existeret quoad omnem sui perfectio-

nem etsi omnis creatura quoad existere impossibilis esset, Ergo Deus Entitas non dicit respectum transcendentalem: Et sic relatio Deo adveniens est prædicamentalis: Minorem hujus argumenti latius non confirmo: vide Mendoz. *d. 15. Met. sect. 9.* & Suaretz *d. 46. Met. s. 3. n. 6. & sect. 15. n 15.* III. *Deus accipit relationes reales in tempore sine mutatione sui:* Quia relationes reales non sunt realiter diversæ à suis fundamentis, Conf. Mendoz. cit. l. Javell. *l. 5. Met. quæst. 22.* Indeque porro: Relatio non est aliquid ab essentia rei aut suo fundamento realiter diversum, sed est ipsa essentia fundamenti, cum connotatione rei coexistentis illi: Et facit illa in re denominationem partim intrinsecam, ab entitate rei sive fundamento, partim extrinsecam à termino coexistente ortam, Quemadmodum v.g. esse Dominum dicit in Deo partim entitatem ipsius Dei partim creaturam coexistentem cum dependentia ab illo: *Antecedens (* de identitate relationis ad suum fundamentum *) probo:* Relatio similitudinis inter duas albedines, non differt ab ipsis essentiis earum, quæ sunt fundamentum illius: Nam duæ istæ albedines relationem illam habent *per suammet entitatem præcise quocunq; alio extraneo*, sunt enim per suam entitatem similes, ideoque non indigent, alia forma (relationis) superadditâ per quam sint similes, Ergo similiter reliquæ relationes non differunt à suis fundamentis quia eadem (hic) ratio omnium: Sic v. g. *Deus & creatura* dicunt relationem causæ & effectus, ubi relatio illa non est aliquid diversum ab essentia Dei & creaturæ: Quia Deus per suammet entitatem sine ullo addito est causa, creator, & creatura per suammet entitatem est effectus, remoto enim omni extrinseco & extra essentiali, creatura nihilominus quoad esse suum est creatura, E. etiam sine addito per suam entitatem dicit relationem effectus, creaturæ &c. Hoc supposito facile vides, quod *relatio nova non faciat necessario in re ipsa mutationem*, aut additionem rei alicujus novæ intrinsecè receptæ in illâ, *sed saltem sit ipsa rei entitas* (sive fundamentum relationis) *cum coexistentia novi termini entitati illi omnino extrinseci:* Quod etiam ipse Thomas *opusc. 48. tract. 5. de prædicam. ad Aliquid c. 2.* non diffitetur quando ita: *Si quis in India, inquit, fieret modo albus, fieret similis mihi, & ego sibi nulla in me factâ mutatione: Similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem,*

albedinem, quæ realiter fit in me &c. Ita etiam in simili, per relationem novam Dei ad creaturas, in Deo formaliter nihil mutatur, sed saltem infertur termini sive creaturæ coexistentia: Et sic, si fiat creatura, Deus erit creator, nulla facta mutatione in illo: Quia existentia illa creaturæ supra virtutem creatricem (ut fundamen relationis illius) in Deo nihil superaddit. *Ita igitur concludo*: Quod nullam rei superaddit novam entitatem, ei intrinsecè inhærentem, sed saltem ponit coexistentiam rei alterius sive termini cum illa, illud non facit mutationem in illâ (sed solum in termino) Quia mutatio non fit nisi introducatur forma rei intrinseca. Atq; relatio nova realis nullam Deo novam entitatem superaddit, sed dicit saltem ipsam essentiam Dei, cum coexistentia rei alterius dependenter ab illa, uti dictum. Ergo relatio illa non facit mutationem in Deo. Unde cognosce hanc sententiam priori Thomisticâ probabiliorem esse.

14. Difficultas insignis est: *Quomodo Deus possit esse immutabilis & tamen liber?* Nam uti infra videbimus, Deus est agens liberum ita ut *intrinsecè* & formaliter in illo reperiantur actus liberi: Ergo etiam in Deo est aliquid *intrinsecè* & formaliter mutabile: Quia de ratione actus liberi est, posse esse & non esse, ideoque Actus ille 1. dicit in subjecto possibilitatem & mutabilitatem quandam, quâ se possit aliter habere nunc quam prius, Et 2. se habet tanquam aliquid subjecto superadditum, quod tollat indifferentiam subjecti & quasi determinet ad hoc vel illud objectum: Et confirmatur illud in actibus liberis in Deo repertis: Actus namq; hi necessario sunt aliquid additum Dei essentiæ Quia illi possunt esse & non esse quod de essentia divinâ dici non potest: Indeq; ulterius essentia Dei ratione illorum actuum commode dicitur mutabilis, quia est perfectibilis ab illis &c. *Resp.* Conrad. Vorst. *in not. ad disp. 3. de Deo* difficultatem hanc facile solvit, eo quod non admittit realem identitatem actuum liberorum ad essentiam Dei, sed dicit eos differre ab illa, ut accidentia à subjectis: Indeq; etiam illi absonum non erit Deo quandam mutabilitatem assignare: Quia eo ipso ponit in Deo potentiam quandam passivam quâ aptus sit recipere accidentia: At ubi illa est, ibi etiam mutabilitas est: verum ille (ut ferme in omnibus aliis ita etiam) hic nimis abjectè &

craſſe de Deo judicat: Deus enim nullius accidentis capax eſt, ut *in præced. diſp.* monſtratum: Ideoque miſſam facimus hanc ſententiam, & aliter ſolvimus propoſitam difficultatem. Præſupponimus autem: 1. *Actus liberos in Deo nullam dicere pluralitatem* aut diſtinctionem realem, vel ſucceſſionem ad invicem, *ſed eſſe unicum ſimpliciſſimum, & indiviſibilem actum in Deo*, qui & vi ſimpliciſsimæ ſuæ entitatis poſsit objecta omnia volibilia, (ad quę attingēda alias creatura requirit plures actus) ſufficientiſsime attingere: ut in ſeqq. videbo: *Ratio hujus eſt*: Quia actus liber ut in Deo eſt, propter identitatē quā habet cum eſſentiâ Dei infinita & perfectiſsimâ, nō poteſt eſſe niſi unicus: Eſt enim ille infinitus & perfectiſsimus, ideoq; omnes perfectiones aliorum actuum eminenter & infinities pluribus modis includit: At repugnat eſſe plura infinita & perfectiſsima &c. Præſupp. 2. *Actum hunc liberum poſſe conſiderari vel ut in Deo eſt formaliter ſine σχέσι ad objecta extrinſecâ, vel ut ſe practicè ad objectum aliquod producibile extendit*: Priori modo actus ille nullam dicit libertatem ad Eſſe vel non Eſſe *in ratione ſui* ſed ſummam neceſsitatem: Ratio: Quia eſſentia divina eſt Ens neceſſarium; At actus ille eſt eſſentia divina. Ergo eſt Ens neceſſarium: Idem tamen actus ſumme neceſſarius ſe liberè extendit ad ſuum objectum, ita ut ſine ulla vel mutatione ſui vel additione ex ſeipſo libere ſe extendat & determinet ſine acceſſu actus ſecundi (ut fit in libertate creaturæ,) Quomodo autem eſſentia illa ex ſeipsâ ſe liberè flectat ad objectum, ita ut etiam ſeſe potuiſſet non flectere ad illud, & quomodo nihilominus, poſtquam ſe eo flectit, *verè illa* amet & velit, *& tamen nihil ideo plus habeat actus ille, quam ſi non amaret*, exprimere ſatis non poſſumus, eo quod ferè myſterium videatur noſtram exſuperans rationem, *Dicimus igitur ad difficultatem ſuprà poſitam, negando connexum*. Quia Actus ille liber non eſt liber ut in Deo eſt *& ratione ſui*, ſed neceſſarium quid, eſt tamen liber, & quidem ſine ulla ſui mutatione vel additione, *ratione objecti*, quatenus ſe libere determinat, ad hoc vel illud, vel volendum vel reprobandum, &c. Indeque Actus ille non poteſt eſſe & non eſſe ut eſt in Deo, ſed ſaltem, manens idem, poteſt objectum ſine ſui immutatione producere vel non producere, &c. *Unde porro*: Actus ille *in Deo* nullam ponit potentialitatem, ſed ſolum dicit *indifferentiam*

rentiam sui, ut *ad objectum* hoc vel illud determinari vel non determinari queat, ipso nihilominus immutabili: &c.

15. *Ex infinitate IV. fluit Æternitas*: Ubi notanda: *1. Notatio Nominis:* Æternum dicitur quasi *extra terminum*, seu sine termino existens, & ita æternum solet dici quod existit ita ut nunquam finiendum sit, vide Suaretz *d. 50. Met. sect. 3. n.* 3. Aliter æternum est q. *aviternum*, ab ævo, ævum autem ab ἀιὼν, hoc autem dicitur quasi ἀεὶ ὤν Conf. Dn. D. Jacob. Martin. *exercit. Metaph. l. 2. th.* 13. *pag.* 828. Ideoque *Æternum*, vi vocis, *dici potest illud quod perpetuo durat.* Hinc porro II. sumitur *Distinctio nominis* æquivoci: Nam *1.* Æternum dicitur esse idem quod longævum; *Sicut enim quod difficilimum est solet dici impossibile, & quod est ingentis magnitudinis, solet dici immensum, aut infinitum, ita quod longissime durat solet dici æternum*, verbis Suaretz *cit. l.* 2. Æternum dicitur, quod (non longè sed) perpetuo durat: Estque hæc significatio frequentior. *Porro*: Æternum hoc est *vel simpliciter* & Absolute tale, *vel secundum quid* & comparate: Illud dicitur quod initij & finis in sua duratione nullatenus potest esse capax, ideoque dicitur *æternum à parte ante & à parte post.* Hoc est, quod (licet ab æterno in æternum durare poterit, attamen) non habet repugnantiam ad novitatem essendi, cujus ratione admittere possit initium vel finem. Priori modi solus Deus æternus est, (posterior enim & creaturis competit) & demonstratur illud: *1. Ex infinitate ejus*: Deus secundum totum suum Esse est infinitum Ens, Ergo etiam secundum durationem est infinitum, Quia duratio rei intrinseca (etiam in re creata) non differt ab essentia ejus: Ideoque: Uti se res habet in essendo ita & in durando: At Deus in esse est infinitus. Ergo etiam in duratione. *II. Ex independentia*: Quodcunque est Ens independens & primum, est quoque æternum: Primum enim Ens dicimus, quod nullam sui causam agnoscit, ideoque nec durationis: Quia eadem sunt principia essentiæ & durationis, Quod igitur ratione essentiæ causam non habet, neque agnoscit ratione durationis: *Clarius:* si Deus non esset æternus, potuisset aliquando incipere esse, Ergo per aliud se prius potuisset incipere. E. non fuisset Ens independens, &c. *III. Ex necessitate*: Ens necessarium non potest non esse: Ergo semper est, & æternum: At Deus est

Ens

Ens necessarium: E. *IV. Ex immutabilitate*: Quod prorsus immutabile est, æternum est: Ratio: Quia alias, si posset incipere, per inceptionem sui admitteret mutationem è non esse ad esse: At Deus est prorsus immutabilis. Ergo.

16. Hinc patet definitio: *Æternitas enim nihil aliud est, quam eminens perseverantia in esse*, ut scribit Hurtad. de Mendoz. *d. 17. Metaph. s. 4. §. 23* sive: *Est duratio quæ nullam successionem admittit neq; in esse neq; in propriis & internis actibus seu operationibus rei æternæ*, juxta Thom *p. 1. sum. q. 10 art. 5.* sive: *Est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*, juxta vulgatam definit. Boeth. sive: *Est duratio Dei omnis mutationis & successionis expers, quâ illum omne initium aut finem admittere prorsus repugnat.*

17. Formalitas igitur æternitatis ejusque ab aliis durationibus & attributis differentia in tribus consistit: *I. Æternitas est interminabilis*, & habet repugnantiam ut admittat initium & finem, Unde æternum (non illud, quod actu non incipit vel desinit sed) illud est, quod neque incipere neque desinere potest: Qua ratione etiam *creaturæ, si quæ ab æterno fuissent, (uti multi volunt fieri potuisse de quo infra) æternæ tamen non fuissent*: Nam æternitas dicit repugnantiam ad posse incipere vel desinere: Creaturæ autem etsi ab æterno extitissent, potentiam tamen logicam habuissent, quâ illis non repugnasset extra æternitatem in tempore incipere: quemadmodum illud ita etiam factum esse credimus: Unde etiam August. *l. 12. de civit. Dei c. 15.* dicit *Angelos si ab æterno creati essent, non fuisse coæternos suo creatori*: Et alibi: *Etsi semper aliquid vivit tamen si mutabilitatem patiatur, non proprie æternum appellatur*: Ideoque puto solius Dei esse, æternum esse, licet ab æterno esse etjam creaturis non repugnare scribant Suarez *d. 50. Met. s. 3. n. 15.* Dn. Scheibl. *l. 1. Met. c. 16. n. 26.*

18: *II. Æternitas est tota simul*, h. e. omnis successionis & mutationis, prioris & posterioris, præteriti & futuri expers: Nam: Præteritum & futurum magnam in re dicunt mutationem: *Præteritum* enim est, quod fuit nec est amplius indeque mutatum est ab esse ad non esse. Æternitas autem est duratio prorsus immutabilis: Unde patet successionem rei corruptibili competere, non

verò

verò Deo: Et hoc est ita evidens ut etiam Ethnicis illud bene notum fuerit: Hinc eleganter Plato in Timæo: *Erat & erit, inquit, non rectè æternæ substantiæ assignamus:* Et Plutarch. θεός ἐστι κατ' οὐδένα χρόνον ἀλλὰ κατὰ τὸν αἰῶνα τὸν ἀκίνητον καὶ ἄχρονον καὶ ἀνέγκλητον καὶ οὗ πρότερον οὐδέν ἐστι οὐδὲ ὕστερον οὐδὲ νεώτερον ἀλλὰ εἷς ὢν ἐνὶ τῷ νῦν τὸ ἀεὶ πεπλήρωκε. Qui sane meliores longe sunt Vorstio, *qui in not. ad disp. 3. de Deo p. 222. Deo asscribit durationem successivam:* 1. Quia illi assignantur temporis differentiæ, *Heri Hodie*, &c. & 2. voces quæ temporis diversitatem involvunt, ut *recordari prævidere*, &c. Verum, dicat quæso Vorstius, *qua ratione Deus sit in tempore?* vel enim illud est, quia mensuratur â tempore, vel quia est pars, vel accidens, vel terminus temporis, vel quia tempori coexistit, tot enim modis res in tempore esse dicitur ex Arist. 4. *Φ. c. 12.* Henning. Arnis. *epit. Phys p. 167. At primum dicere non potest*, quod sc. Deus mensuretur à tempore physico: Quia illud (præterquam quod id summa Dei actualitas & perfectio non admittat,) neque est in creaturis omnibus: Quia illa proprie à tempore mensurantur, quorum duratio intrinseca, & sic etiam essentia est successiva: *Ideoq; porro*: Quia solum Motus in corporibus repertus habet esse successivum ille etiam in rigore loquendo â tempore solum mensurabitur: *Ratio Antecedentis* est, ex illo Arist. *l. 10. Met. c. 1.* desumpta, ubi ita ait: ἀεὶ συγγενὲς τὸ μέτρον, μεγεθῶν μὲν γὰρ μέγεθος, καὶ καθ' ἕκαστον μήκους μῆκος, πλάτους πλάτος, φωνῶν φωνὴ βαρους βάρος, μονάδων μονὰς. Conf. Suaretz *d. 40. Met. s. 3. n.* 11. & 14. Ideoque Ens successivum non potest esse mensura nisi Entis successivi, Et sic motus corporum solùm erit in tempore per applicationem sive mensuram motus cœlestis ad illum: Unde colligere licet. 1. Spiritum à tempore non mensurari de quo etiam fuit disp. 2. multo minus spiritum illum simplicissimum à tempore mensurari: 2. *Nec ipsa corpora proprie â tempore mensurari*, nisi quatenus in iis reperitur Motus tempori subjectus, ad cujus comparationem etiam illa mensurantur, eo ipso enim, quia motum per se mensurat tempus, rem ipsam cui motus inest, per accidens mensurare dicitur. *Nec secundum dicet Vorstius*: Quod sc. Deus sit pars, vel accidens, vel ter-

minus temporis? Sic enim Deo tribueret imperfectissimum esse, nempe successivum, quod vel cogitare est impium: Ergone igitur tertium dicet, Deum sc. ideo esse in tempore, quia coexistit tempori: verùm (præterquam quod ille hoc non intendat) sic revera vocibus ludit; Nam aliud est dicere *Deum esse in tempore & Deum coexistere illi*: Illud Deo neutiquam recte assignaveris: Hoc vero quodammodo: Quia quando temp⁹ est, Deus est, & sic illi coexistit non tamen propterea in tempore est, quia in nulla successione est.

19. Quæris: *Quomodo æternitas coexistere possit tempori sine successione sui?* Nam aut æternitas habet partes correspondentes, præterito, præsenti & futuro, aut, si hoc non est, saltem omnia erunt simul, & præteritum, erit præsens &c. Utrumque autem est absurdum: *Resp.* Æternitas coexistit tempori non per partes, sed *tota simul*, neque coexistit omnibus temporis partibus *simul sumptis*, hoc enim tempori tanquam successivo enti repugnat, sed cuilibet parti temporis dum fluit *integra* correspondet. Sic tota æternitas coextitit diei hesterno, tota coexistit hodierno, tota crastino, Quod declarari aliquo modo potest *simili desumpto ab homine*, qui stans in ripâ fluminis videt prætereuntes aquas, videt ille immotus & integer partes aquæ successive moveri, ita tamen ut ille totus cuilibet parti successivè fluenti nec magis uni quam alteri correspondeat; sic etiam æternitas videt successive res in tempore fluere & refluere, oriri & interire, ipsa tamen immobilis manens & sine successionè, tota cuilibet parti coexistit.

20. *Ad rationem Vorstij primam dico*: Deum humano more nobiscum loqui, quia humano more ipsum intelligimus: Sic etiam quia æternitatem apprehendimus ad modum alicujus durationis *fluentis* sine principio, & ita etiam sine futuro fine, non aliter ac intelligimus durationes nostras, Deus etiam uti aliquando solet, cum de seipso loquitur vocibus successionem indicantibus ut ex duratione nostra in æternitatem quasi evehamur: Quilibet enim experitur se quando concipit æternitatem, concipere illam ad *modum alicujus temporis infiniti*, (non aliter ac nostra duratio temporanea est) in quo Deus durasse videatur: Et sic etiam Deus dicitur *Heri & Hodie*: Quia apprehenditur ut existens in tempore hesterno, & post in hodierno, ideoque videtur quasi *plus durasse* hodie.

hodie quam heri: Verum in re ipsa res aliter se habet: *Deus enim heri est & hodie* non quia fuit *in heri & hodie*, sed quia fuit, quando *heri & hodie*, fuit, neq; Deus hodie *plus duravit quam heri*, sed solũ *plus temporis duravit cum Deo* hodie quam heri: Indeq; locutionibus istis debet potius indicari Dei perennitas & æternitas quod sc. non possit dari temp⁹ cui Deus non solum coextitisse, sed etiam illud infinities mille modis superasse dicatur. Hinc patet & hoc observandum esse: *Quod quando vocabula successionem temporis denotantia, de Deo dicuntur, sub ratione affirmationis solum*, (non vero negationis, quam alias unâ ut in creaturâ reperiuntur, involvunt) *illi tribui debeant*: Præteritũ n. (ut in creatura est) dicitur illud quod fuit, sed non est amplius. Futurum est quod erit, sed nondum est: sic pariter voculæ illæ, *fuit, erit* &c. usurpantur, verũ Deus dicitur fuisse, ut semper esse intelligatur, & futurus esse, ut non sit de novo acquisiturus esse, sed in esse quod jam habet, permansurus. Hinc eleganter Hieron. apud Arnis. *Epit. Phys. p. 167. Deus fuit h. e. nunquam defuit, Deus est, h. e. semper est, Deus erit, h. e. nunquam deerit.*

21. *Ad secundam eadem fere responsio est*: Deus enim dicitur prævidere, non quasi ipse prævideat, sed quia ac si prævideat à nobis apprehenditur: Ideoque locutionibus istis utimur ad captum prout possumus, non prout volumus. Eleganter ad hanc rem Scalig. *exer. 365. s. 8. Quare*, inquit, *ut illud quoq; subtilius excutiamus, ne verbum quidem illud prævidere Dei convenit omnipotentiæ, nisi quoad nostra mutila intellectione metimur infinitatem, nobis quidem, quibus est futurum, prævisio illa est; Deus cui nihil futurũ est nõ prævidet, sed videt simplicissime quod est præsens. At omnia præsentia.*

22. *III. Æternitas est perfecta & adæquata rei duratio*, non solum quantum ad essentiam, sed etiam ea omnia quæ in essentia possunt cogitari sive attributa sive circumstantia: Ideoque Deus non solum sed etiam omnia quæ sunt in Deo attributa dicuntur æterna: Et ratio hujus facile petitur ex summa identitate attributorum ad essentiam Dei, unde eandem cum eâ durationem habent: *Dico notanter de attributis in Deo*: Nam *externi actus* à Deo provenientes, diversam & longe aliam durationem admittunt: Quia enim illi cum successione sunt, in tempore sunt, Qua ratione etiam Deus dicitur (denominatione extrinsecâ) in tempore agere, creare, conversare destruere mundum,

23. *Summatim igitur*: Formale æternitatis est *negatio* (vel ſi mavis cum Mendoz. [*d. 17. Metaph. ſect. 4. §. 27.*) conceptus poſitivus expreſſus per negationem) omnis ſucceſſionis actualis & poſſibilis in *toto* eſſe rei æternæ, omnis prioritatis & poſterioritatis, omnis principij & finis, non ſolum actualis ſed etiam poſſibilis: Unde merito ridetur *Ferrar, qui cit.* Suaretz *d. 30. Met. ſect. 3. n. 7. formalem rationem æternitatis putat eſſe menſuram divini eſſe*, non quidem ſecundum rem cum ſit ipſum eſſe Dei ſed ſecundum rationem, ideoque illa relatio menſuræ includitur (juxta illum) in ratione æternitatis & per ipſum formaliter completur: Ridetur inquam ille (qui alias in menſuris aſſignandis immenſus eſt) 1. Quia nulla duratio conſtituitur eſſentialiter per rationem menſuræ, ſed unice per permanſionem in eſſe, vide prolixe Dn. Scheibl. *l. 1. Met. c. 16. n. 21. ſeqq.* Ideoque etiam æternitas formaliter non poteſt eſſe in relatione menſuræ, 2. Menſura eſt extrinſeca denominatio ab intellectu menſurante facta: At æternitas eſt intrinſecum Dei attributum ipſi competens ſine ullâ intellectus opera. *Hoc tamen addo.* Quod *Menſuræ ratio poſsit tanquam Conſequens quoddam*, non quidem ut à parte rei eſt, ſed ut eſt ſub noſtro intelligendi modo, *in æternitate apprehendi*, Æternitas enim duo illa videtur quodammodo involvere: 1. Ipſam durationem præciſè ſumtam, 2. Interminabilitatem, ſive indefectibilitatem quæ eſt in illa, ubi duratio ut aliquid menſurabile, indefectibilitas vero ut menſura concipitur: Duratio enim Dei ideo cognoſcitur eſſe æterna, quia eſt indefectibilis, Et ſic *indefectibile* eſſe eſt quaſi menſura durationis, eam nobis notificans, Conf. Cl. Dn. D. Jac. Mart. *l. 2. exer. Met. 4. theor. 13. p. 829.*

24. *Ex infinitate V. fluit Immenſitas*: Ubi obſervo: *Æquivocationem vocis*: Immenſum enim 1. eſt idem quod infinitum, & hoc modo immenſitas cum infinitate coincidit, 2. dicit habitudinem ad Ubi, ſive præſentiam rei in rebus omnibus apud Suaretz *d. 30. Met. ſ. 7. n. 1.* Et ita coincidit cum omnipræſentia: 3. dicit *aptitudinem* ſive diſpoſitionem ſubſtantiæ divinæ, quâ Deus ita exiſtit & fuit ab æterno, ut ſine ſui mutatione poſsit intimè eſſe in quavis re, ſi illam velit creare, ita tamen ut nondum menſuretur ab illâ in præſentia ſed etiam ſe extendat ultra illam; Et ita eam hic intelligimus,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0140
DFG

ligimus, & de Deo probamus 1. *Ex infinita ejus perfectione*: substantia infinitè perfecta non potest alligari ad aptitudinem adessendi finitam; Quia Modus adessendi sequitur modum essendi: Igitur: Cujus esse est infinitum, illius adesse non potest esse nisi infinitum, præcipue cum in illo esse & adesse non differant realiter. Atqui esse Dei est infinitum. Ergo. *Deinde*: Est magna imperfectio esse in finito spatio: contra vero, maxima perfectio esse immensum, cum aptitudine ad existendum in infinitis spatiis: E. esse in finito spatio Deo derogamus, & immensū esse tribuimus. 2. *Ex Æternitate* Æternitas apprehenditur, ut extensa adinfinita tempora, ita ut illa finito tempore comprehendi nequeat, sed semper intelligitur infinitas mille modis esse ante & post illud: Ergo etiam Immensitas apprehenditur in Deo ut extensa quasi adinfinita loca, ita ut illa finito Ubi nequeat comprehendi, sed intelligatur infinities mille vicibus esse extra & supra illud: *Ratio connexionis est*: Quia qualem rationem habet æternitas ad tempora, talem quoque dicit immensitas ad spatia, &c.

25. Definitur igitur *Immensitas attributum Dei quo cognoscitur cum aptitudine sive dispositione sui, ut possit sine ulla mutatione esse in quovis spatio ita tamen ut nondum mensuretur ab illo, sed infinitis modis, illud superet*: Formale igitur qnod essentiæ divinæ videtur addere, est negatio possibilitatis existendi in finitis spatiis, ut ita *Immensitas adæquate apprehensa nihil aliud sit quam essentia Dei cum connotatione hujus negationis*. Quæ tamen negatio videtur secum coinferre positivum quid, nempe *aptitudinem illam ad existendum in infinitis spatiis*, quam nos (qui omnia admodum corporum extensorum in hoc statu cognoscimus) nobis imaginamur per modum alicujus infinitæ extensionis, ad infinita spatia imaginaria: quemadmodum etiam æternitatem ad modum infinitæ extensionis ad infinita tempora apprehendimus, de quo antè.

26. *Ex immensitate fluit Omnipræsentia*: Et sumitur illa vel pro attributo quo Deus cognoscitur esse non solum in spatio finito, sed etiam in spatiis iis omnibus quæ nobis imaginari possumus extra hunc mundum, Et ita coincidit cum Immensitate: vel sumitur pro attributo, quo Deus cognoscitur adesse toti huic Universo à se creato. Illa alias dicitur *præsentia absoluta hæc relativa*: An-

Iequam autem hanc demonstrem, ulterius noto: *Præsentiam aliam esse solum ex immediatione virtutis* (ut loquuntur) *aliam vero etiam ex immediatione suppositi:* Illa virtute insitâ operatur *in distans* sibi: Qua ratione Sol dicitur *præsens* hisce inferioribus suâ (non essentia sed) virtute calefactivâ &c. Hæc vero unà cum virtute infert *essentiæ* agentis cum passo intimam conjunctionem: Confer Conimbr. *l 2. Phys c. 7. q. 14. art. 2.* Utraque hæc præsentia apud creaturas in Deo reperitur: *Præsentia virtutis* constat ex ejus actione, quâ totum hoc universum produxit & porro conservat, quæ operationes ad minimum virtutem præsentem indicant: Neque hac solum præsens est, sed etiam præsentia suppositi: Uti illud probatur: 1. *Ex immensitate ejus:* Immensitas dicit aptitudinem ad existendum in spatiis infinitis & omnibus à Deo (si loqui sic liceat) creabilibus: E. impossibile est Deum rebus à se creatis omnipræsenter non adesse, 2. *Ex creatione*. Deus immediatione suppositi omnia creavit: Non enim potuit hic uti virtute quadam à sese distincta, Quia virtus illa utique creata esset, & sic nihilominus Deum ut ante *suâ essentiâ* præsentem supponeret, E. etiam omnibus rebus à se creatis præsens est immediatione suppositi, & sic (quod inde consequitur) toti huic Universo: Quia nihil in toto hoc Universo, & in minima etiam universi parte reperitur quod etiam quoad minimam sui partem non habeat aliquid in se à Deo creatum: Sic v. g. Corpora (de spiritibus enim non dubito) saltem habent materiâ primam in se à Deo creatam, Igitur etiam huic à se creatæ Deus præsens erit: Ergo etiam formis omnibus, eò quod formæ intimè permeant materiam. 3. *Ex conservatione rerum à Deo creatarum:* Deus omnia conservat aut virtute solùm sine suppositi præsentia, aut cum illâ: Non illud: Quia virtus illa à Deo in creaturas transfusa, aut erit creata aut increata: Non illud; Quia virtus illa creata, eò ipse quod creata est, indigebit concursu primæ causæ: De quo concursu rursum quæro idem: sitne creatus vel increatus: Si creatum dicas, eum alio novo concursu dices indigere, de quo repetam denuo eandem quæstionem usq; in infinitum, donec necessario sistas in concursu quodam increato sive virtute tali, quæ sit *ipsum Dei esse*, hæc inferiora conservans: virtus enim illa, quia non nisi increata esse potest, est ipse Deus, Nam plura

præter

præter Deum increata esse repugnat. 4. *Ex perfectione:* Perfectius est agere immediatione supponi, quam virtutis: Quia virtute solum agere in distans est perfectio orta ex imperfectione finitatis adessendi: Ideo enim res creatæ virtute à se sparsa, quasi vicaria sui utuntur, quia essentiâ præsentes esse non poterant: Ergo etiam Deo perfectio ista tribuenda est, ut perfectissimo enti, 5. *Ex prohibitione vacui*; Aqua v. g. quando ascendit ad replendum vacuum impellitur ad ascendendum immediatè à Deo: Et similiter omnia alia corpora quæ contra naturam vel ascendere vel descendere coguntur, ut vacuum impleant, à Deo immediatè coguntur, E. Deus illis præsens est, *Antecedens ita probo*: Aqua quando ascendit ad repletionem vacui, movetur aut motu naturali, aut præter naturali, aut violento: Quia quartum non datur: *Non naturali*, Quia unius corporis simplicis non potest esse nisi unicus simplex motus: Aquæ igitur quia naturalis est descensus, non poterit illa naturaliter ascendere: *Neq; præternaturali*: Quia præter naturam illa fieri dicuntur, quæ naturæ nec conveniunt nec repugnant, sed *permittente* illa fiunt: At aquam sursum moveri fit cum repugnantia sive resistentia aquæ semper deorsum inclinantis: *Ergo movetur motu violento*: Et sic motus ille erit à principio extrinseco aquam ad ascendendum quasi (si barbare sic loqui liceat) violentante: Illud a. principium aut erit aer aquam attrahens, aut terra aquam pellens, aut aqua aquam pellens, aut vacuum impleri volens, aut vacui evitatio inde consequens, aut deniq; causa universalis nempe Deus: *Non aer*: Quia prorsus inepta est aqua ut ab aere tanqnã corpore levi attrahatur, propter suam gravitatem: Et aer est ineptus ut attrahat propter levitatem: *Non terra aquam pellens*: Quia illa nisi prius pulsa reliquam aquam non pelleret, indeque supponit causam aliam quæ hunc impulsum efficiat, *Deinde*: Sic terra se contra naturam sursum pelleret quod esse nequit: *Nec aquâ aquam pellens*, Quia sic illa (pariter ac terra) nisi prius pulsa non pelleret, ideoq; aliam causam impellentem supponeret &c. *Nec vacuum impleri volens*: Quia illud est non ens, ideoq; etiam nullius rei causa est, *Imo*: Illud hoc ipso sibi sponderet interitum, per aquæ subituræ motum: At nihil sibi quærit interitum: *Neq; vacui evitatio*: Quia hæc rationem finis habet non efficientis causæ: Et producitur illa per aquæ

adscen-

adscensum, non vero producit illum: Restat igitur ut Deum dicas hujus rei causam, indeque corporibus hisce præsentem.

27. Et hæc Dei præsentia substantialis non omnino ignota fuit Ethnicis, qui asseruerunt, πάντα εἶναι θεῶν πλέα apud Arist. *l. de Mund. ad Alex. c.* 6. qui dixere apud Virgil. *l.* 4. *Georg.*

Deum namq; ire per omnes,
Terrasq; tractusq; maris cœlumq; profundum,

Hinc *Heraclitus*, quando casam aliquando ingressus furnariam caloris hyberni gratia diutius ibi consedit, alios etiam, qui interrogabant eum, cur in tam vili hospitio tam diu hæreret, fidenter ingredi posset, *Quoniam*, inquit, *ne huic quidem loco Dij desunt immortales*, apud Arist. *l.* 1. *de part. anim. c.* 5. sic etiam *Thales* opinatus est πάντα πλήρη θεῶν εἶναι apud Arist. *l.* 1. *de anim. c.* 5. *t.* 85. Ipse tamen *Arist. quid hac de re senserit* non videtur certô constare: Verum si dicere liceat, quod res est, videtur Ægyptiorum sententiam secutus, qui Deum in cœlesti domicilio ut in proprio loco statuebant, ideoq; ipsum, ut erant Hyeroglyphicis assueti, cærulea veste indutum, manu alterâ zonam, altera sceptrum tenentem pingebant, ubi per zonam, potentiam, per sceptrum dignitatem regiam, per vestem cæruleam ejus in cœlo habitaculum designabant, uti referunt Conimbr. *l.* 8. *phys. q.* 1. *art.* 1. Nam Arist. *l.* 8. *φ. c.* 8 *t.* 84. primum motorem dicit esse in circulo sive circumferentiâ, Et *l.* 1. *de Cœlo c.* 3. *t.* 22. dicit, quod omnes eum qui sursum est locum Deo tribuant, quia sic immortale immortali coaptatum sit, Et *l.* 2. *de Cœlo c.* 12. *t.* 66. dicit terram non moveri & quæ propinqua sunt paucis motibus, quia maximè distent ab ultimo & divinissimo principio (motus) nempe Deo, Imò expresse *in l. de Mundo ad Alex. c.* 6. (quem librum quidem Aristotelis esse plurimi negant, noviter tamen contrarium defensitavit *Olaus Worm. Med. D. & phys. Prof. in Acad. Haffn. in comm. super libr. hunc, in proæm.*) refutat sententiam illorum, Qui dixerunt omnia esse Deorum plena, & concludit summam & primam sedem mundi Deo convenire: 1. Quia omnibus rebus præsentem esse non congruit naturæ Dei, quæ alias ad modum operarij posset defatigari, 2. Inde quod Deus secundum essentiam in suprema mundi sede sit, à veteribus ὕπατος dictus est, Hinc Homer. *Odyss.* 1. *fere in init.*

3. Quia ideo maximè vim ejus sentit corpus quod proxime situm est, tum quod secundum ab hoc est, & unumquodq; deinceps prout situum ordo ad nostrum usque locum naturâ constitutus est, Ideoq; terram infirmitati maxime obnoxiam, concinnitatis vero sibi alias consentaneæ expertem esse putat, quia à Dei essentia sit remotissima, 4. Quia naturæ divinæ magis consonum videatur, ut ipsa in cœlo maneat nec se immisceat inferioribus, præcipue iis, quæ adire Deum esset minus honestum aut necessarium: Declarat illud simili à regibus Persiæ desumpto, qui in magna pompâ aut Susis aut Ecbatanis residebant, ac raro sese conspiciendos dabant, sed omnia per famulos & emissarios dirigebant. Arist. igitur saltem in his locis Dei omnipræsentiam denegare videtur, ut mirum sit eum ab hoc errore penitus absolvi à Dd. Conimbr. *l. 8. phys. c. 10. q. 1. art. 2.* Tolet. *l. eod. c. 10. quæst. 7.*

27. Aristotelis argumenta non sunt tanto Philosopho digna: Nam *in primo fallit connexio*: Quia defatigatio non oritur ex operatione simpliciter sed ex operatione materiali, eaq; non omni sed) tali 1. *quæ fiat cum dispendio spirituum & caloris vitalis*, ut præcipuè videmus in motione locali, per quam cutis q. extenditur, dein, extensione factâ pori aperiuntur, indeq; per illos transit calor & spiritus exhalant unde sequitur defatigatio, 2 *Quæ fiat cum resistentiâ mobilis ex reactione ejus in movens*, uti pariter in motu progressivo deprehendimus; Ibi n. mobile resistit moventi, ex quâ resistentia & partium impulsu defatigatio consequitur: Unde si aliquod agens materiale agat sine resistentia passi (& detrimento sui) non sentiet defatigationem: Quemadmodum etiam si motor aliquis cœli esset materialis, non tamen ille defatigaretur si modo cœlum non resisteret, juxta Suaretz *d. 29. Met. s. 1. n. 11.* itemq; Sol etsi ab æterno illuminasset, non tamen defatigaretur illuminando, quia sine resistentiâ aut reactione modum illuminaret: Ideoq; etiã *in Deo non erit ex præsentissima sui in omni re operatione ulla defatigatio*: Quia neq; materialis est, neq; cum resistentia passi: Unde etiam ipse Arist. *l. de Mund. c. 6.* sibi q. contradicens fatetur, quod δύναμις Dei sit ἄκοπος h. e. omnis defatigationis expers, sic etjam *l. 12. Met. c. 7.* asserit quod vita & operatio Dei sit ἀΐδιος καὶ ἀρίστη, Qui igitur posset defatigari.

28. *Ad secundum dico*: Deum ὕπατον dici non à loco sed ab imperio, eminentiâ, & majestate summâ: *Alias enim* uti loquitur August. *si in cœlo tanquam in loco Deus esse creditur, melioris meriti essent aves, quarum vita esset Deo vicinior, In tertio* supponitur manifeste falsum, Nam omnia inferiora pro ratione capacitatis æque admittunt in se Dei virtutem, Imò ἐπὶ πᾶν διικνεῖσθαι πέφυκε τὸ θεῖον, inquit ipse Arist h. l. virtus igitur Dei, quia per omnia est diffusa, non est, unde eâ quæ à cœlo sunt remotiora remotiora quoque sint à Dei efficaciâ. *Quartum itidem refutatione non eget*: Quia sicut indecorum non est, Deum res creasse, ita pariter indecorum non est illum adesse iisdem: *Simile* de Regibus Persiæ ridiculum est, ideoque non moror illud.

29. Definitur autem *Omnipræsentia, quod sit attributum Dei, quo cognoscitur tam essentiâ quam etiam virtute suâ intime adesse toti huic Universo, & omnibus etiam minimis illius partibus*, ita ut nulla sit pars rei creatæ ubi essentia Dei tota non sit & simul ejus præsentia tota: Ubi pro majori enodatione tria adverto: 1. *Omnipræsentiæ formale*, 2. *terminum* 3. *Modum*.

30 I. Circa formale dico: 1. *Omnipræsentia non est entitas modalis essentiæ divinæ superaddita, & ab illa realiter diversa*, quemadmodum sese habet præsentia in creaturis: Patet: Quia omnipræsentia est attributum Dei intrinsecum, At attributa non sunt aliquid additum essentiæ divinæ & realiter ab ea distinctum: Dico 2. *Omnipræsentia non est formaliter in operatione transeunte solum*: Quia operatio transiens non facit denominationem intrinsecam in agente sed extrinsecam: At præsentia per aliquid intrinsecum Deum dicit præsentem: *Adde tamen*: Operationem nihilominus inferre præsentiam ut prærequisitam ad eam: Res enim non potest operari nisi sit præsens & approximata passo. Dico 3. *Omnipræsentia formaliter est in relatione essentiæ Dei ut existentis in creaturis omnibus*: Quia illud est formalis ratio alicujus rei, quod in illa concipitur ut omnium primum, eam in suo esse constituens: At omnium primũ, quod q constituat omnipræsentiam est relatio illa quâ Deꝰ cognoscitur adesse creaturis: Ergo. *Est autem relatio illa non rationis sed realis*: 1. Quia relatio rationis facit denominationem extrinsecam in re cui tribuitur: At Deus est intrinsecè omnipræsens per aliquid

sui:

sui: *Deinde*: Relatio rationis non est nisi eam ratio cogitet esse: At Deus est omnipræsens etsi id nemo cogitet.

31. *II. Terminus ad quem sese refert omnipræsentia, est omnis res creata:* Est n. illa, uti visum, relatio realis, ideoq; requirit terminum realem: Requirit inquam, ut non solum id, Quod præsens est, sed etiam id *Cui præsens* est, sit reale Quid: Ergo etiam Deus non nisi rebus creatis præsens erit. Colligo hinc: *Deum non recte dici præsentem spatiis imaginariis extra hunc mundum,* quemadmodum vulgo asseritur à Mendoz. *disp.* 14 *phys. s.* 3. §. 18 *seqq.* Fonsec. *l.* 3. *Met. c.* 15. *q.* 9. *s.* 4. Colleg. Conimbr. *l.* 8. *phys. c.* 10. *quæst.* 2. *&c.* Quia præsentia realis requirit terminum realem: Quis enim v. g. hominem unicum (si per impossibile remotis omnibus aliis Entibus solus supereset) nihilominus alicui præsentem diceret? At spatia illa sunt mera Entia imaginaria & purum putum nihil (ridiculi enim hic sunt Conimbr. qui *cit. l.* asserunt spatia illa non esse aliquid rationis) Extra mundum enim nihil est, quod creatum sit: Quia mundus res omnes creatas comprehendit: Ideoque extra mundum nihil est præter Deum, & sic etiam Deus ibi spatiis imaginariis minus commodè dicitur præsens:

32. *Dicis: 1.* Deus hac ratione immensus non esset, si solum partibus hujus mundi præsens esset, Quia mundus hic non est immensus sed finitus: *Resp.* Deus ita est in hoc mundo & omnibus ejus partibus, ut etiam in pluribus aliis, imo in infinitis mundis, si possibiles essent esse possit, Ideoque hac ratione ille immensus est. *Dicis* 2. Est tamen Deus extra hunc mundum in spatiis illis: *Resp.* Est ibi non positivè aliis præter se, sed negative sibi præsens: quemadmodum ante creationem mundi non fuit in aliquo loco sed in semetipso, Quia ibi nihil præter ipsum. &c. *Dicis 3.* Potest Deus facere novum corpus in spatiis istis: Ergo supponitur ibi esse Quia actio supponit præsentiam: *Resp.* Est omnino ibi, sed non per præsentiam realem ad spatia *Dein:* Aliud est fundamentum omnipræsentiæ, aliud præsentia ipsa: Illud supponitur in Deo ut in se habens virtutem, quâ ponere possit coexistentiam rei alterius ex quâ posita post resultat relatio omnipræsentiæ: Et hoc semper ad actionem præsupponitur: Ipsa tamē præsentia ut dicit relationem ad creaturam & denominationem ab existente illa factam, non præsupponitur ad actionem, sed potius ex actione creaturam coexistentem producente consurgit.

33. *III. Mo-*

33. *III. Modus Omnipræsentiæ divinæ, 1. non est circumscriptivus & loc alis*, ab ambiente sive continente corpore factus, ita ut extra illud continens non sit, qualis proprie præsentia est corporum, loco ita circumscriptorum, ut extra illum non sint; Ideoque quia hæc præsentia spiritibus denegatur, multo magis Deo: Quæris: *Quomodo igitur Deus dicitur esse in omnibus locis, si non continetur ab illis?* Resp: Est quidem in omnibus locis, non tamen, *ut in locis*, localiter & circumscriptivè, sed ita, ut etiam sit ibi, ubi est res illa quæ dicitur locus: Quemadmodum (ut simili rem declarem) si duo corpora se penetrarent, unum quidem esset, ubi est aliud, non tamen unum esset locus alterius, neq; *esset in alio* propriè loquendo, ita etiam Deus est ibi ubi locus est, non tamen res illa, quæ locus est, locus Dei est. Neq; 2. *Modus præsentiæ divinæ est definitivus*. Quia illa ita definit mobile ad unum spatium, ut non possit simul esse præsens alij: At Deus ita est in hoc spatio, ut simul sit in aliis omnibus. Est igitur 3. *Repletivus & prorsus Indivisibilis*, juxta quem modum Deus est in omni re creatâ totus non solum, sed etiam in quavis ipsius parte, *quoad essentiam & præsentiam* totus: *Quoad essentiam* quidem: Quia talis modus adessendi, quâ res essentiam habet totam in toto, & totam in quavis parte spatij, etiam competit spiritibus creatis: Spiritus enim quia non habent partes *extra partes*, essentiam suam habent in indivisibili, &, ubicunque sunt illam totam habent, sic v. g. anima rationalis, etiam in corporis parte minutissima tota est, quia ibi illi nihil deest, quod pertineat ad ejus essentiam & perfectionem, Multo magis igitur Deus totus in toto hoc universo, & totus in qualibet minutissimâ ejus parte erit, quoad totam suam essentiam & perfectionem: Dein: *Quoad præsentiam:* Quia Deus in nulla sui perfectione admittit divisionem in partes: Ideoque ubi præsentia Dei est, ibi tota est & indivisibilis, Et sic etiam præsentia Dei tota non solum est in toto hoc Universo, sed etiam in quavis minutissima universi parte tota: *Et hic Modus præsentiæ soli Deo proprius est:* Nam creaturæ v. g. spirituales licet habeant essentiam totam in quavis parte spatij, non tamen ponunt præsentiam totam in quavis parte, sed pars spatij proportionatè exigit partem præsentiæ: In Deo autem illud non est: *Finio hic. Sit tibi ô præsentissimè Deus perennis gloria.*

(o)

COLLEGII PNEUMATICI

Disputatio Sexta

DE

VITA ET GRADIBUS VITALIBUS, INTELLECTU NEMPE ET VOLUNTATE DEI,

QUAM

Ex voluntate ζώου ἀιδίου καὶ ἀρίστου

ET

Ex autoritate & permissu venerandi Philosophorum Senatus in inclyta Rostochiensium Academiâ

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Publicitus exhibet examinandam in ἀκροατηρίῳ *Majori ad diem 28. Martis horis matutinis*

MICHAEL FREYHUB

Regiomonto-Borussus.

Arist. lib. 12. Metaph. c. 7.

Φαμὲν δὲ τὸν θεὸν ζῶον ἀΐδιον καὶ ἄριστον ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0149

DFG

Literatissimo DN. RESPONDENTI.

VIta *Deus, vivensq; suos se volvit in annos,*
Et vivens nostros perpete lege regit:
Cognitioq; *Dei terramq; polumq; per errat,*
Quæq; sit ignotæ mentis abyssus, habet,
Format & ex nihilo dextrâ omnipotente voluntas,
Quod mare, quod tellus, quod gerit omne polus,
Hanc monstras docte vitam, post cognitionem,
Atq; voluntatis quod siet ingenium!
Et vitam, & magnos hinc cognitionis honores,
Quæq; voles, tandem viva βεαβεια feres;
Scilicet! E meritis fluat hic Phœbeus, ut opto,
In meritos riguo fonte perennis honos.

Cursim sed
L. M. Q.
M. STEPHANUS Clos.

MICHAEL FREIHUB REGIOMONTANUS.
per anagram: H. mutetur in A.
CHARUM LUMEN BEAT, O FIAS REGIONI.

UT sol in cœlis recreat lux ut BEAT omnes
LUMEN qui solis cernere discupiunt.
Ut CHARUM LUMEN fulget, sic fulgida reddit
Omnia quæ florent luminis intuitu.
Sic quoque FREIHUBIUS doctorum dogmata volvit.
ut fiat LUMEN dulciculæ patriæ:
Sic quoque FREIHUBIUS Sophiæ nunc themata cudit,
audiat ut LUMEN solque simul patriæ
O sic mi MICHAEL O sic jam pergere perge,
Et sectare bonos, & Sophiam redama,

Ut

LUMEN FIAS REGIONI, ſicque beabis
permæſtam patriam, triſtitiamque patris.

l. mg.
appoſuit
CONSTANTINUS GIESE *Boruſ:*

OMnia percipiendo mox fieri Intellectum,
Teſtantur docti, Philoſophiq; viri,
Quid Freyhub de intellectu dum diſſerit aptè,
Fiet? difficilè eſt jam mihi conjicere.

Φιλίας ἕνεκεν
f.
ARNOLDUS von Holten Dantiſcanus.

MOx DEUS, aut lapis, aut animal, nec omnia fiet:
Aſt jam Intellectus non niſi totus erit.

αὐτοχεδιαζὶ
f.
JOACHIMUS SCHRADER Dantiſc.

EXeris ingenij dotes animique vigorem
Quem tibi conceſsit ſummus ab axe Deus,
Quidnam divinum mortali in corpore fulget,
PRÆSIDE ſub docto diſſerere inſtituis;
Quidnam INTELLECTUS valeat valeatque VOLUNTAS
Quæ bona præ brutis poſsidet omnis homo.
Ergo tuum inceptum quis non bone amice probaret?
Gratulor, & læto pectore fauſta precor;
Ut labor iſte tuus divino cedat honori
Et patriæ quondam commoda multa feras.
ANDREAS TROSIN Bartenſtein: Patruus.

Σωῖ Θεῷ.

Disputatio Sexta Pneumatica

DE VITA DEI.

RESPONDENTE,

MICHAELE FREYHUB
Regiomonto-Borusso.

Thesis I.

EX infinitate Dei VI. fluit *Vita* ejus perfectissima. In cujus tractatione videbo, *I. Distinctionem nominis, II. Existentiam, III. Essentiam, IV. Modum essendi, V. Gradus vitæ.*

2. *I. Distinctio* nominis varia est: Quia vox *Vitæ* est ὀκ τῶν πλαχῶς λεγομένων ut ex parte vidi *disp. 2. th. 64.* Conf. Clarisſ. Dn. Scheibl. *tract. de Anim. p. 1. d. 8. th. 2.* In re præsenti ita habe: Vita potest intelligi vel prædicamentaliter vel transcendentaliter: *Prædicamentaliter* sumta est ἐντελέχεια corporis animati quâ illud vivit Arist. *l. 2. de an. text. 6. 26. 37.* ideoque est ipsa anima, quæ seipsâ corpus denominat & facit *vivens*, Et hinc porro vita (non aliter ac ipsa anima) dividitur 1. in *vegetativam*, quæ sese exerit per operationes vegetativas, generationem, nutritionem, accretionem: 2. *sensitivam*, quæ per operationes sensitivas sive externas sive internas, 3. *locomotivam*, quæ per operationes loco-motricês, & 4. *rationalem*, quæ per operationes rationales, intellectionem sc. & volitionem sese ostendit. Et *hæc vita* unicè in creaturis corporeis reperitur, *neutiquam Deo assignanda*, 1. *propter esse incompletum:* Vita hæc ex sese est Ens incompletum h. e. tale quod sua natura sit destinatum ad complendum essentiam alterius, ideoque sit pars illius: At

omnino repugnat Deo esse Ens incompletum sive partem alterius, propter summam sui perfectionem, Ergo 2. *propter esse materiale:* Vita hæc in esse & operari à materiâ dependet ita ut vel penitus non possit operari sine materia, vel saltem prævias in materiâ dispositiones ad operandum requirat: At Deus nulla prorsus ratione est à materiâ dependens. Ergo. *Transcendentaliter* sumpta vita nihil aliud est, quam essentia rei quæ operationibus immanentibus sese actuat & perficit, præscindendo jam, sive ista perfectio fiat ab anima aut forma rei effectivè, sive aliundè oriatur; Et hæc vita Deo nunc designanda.

3. *II. Existentia* itaque ejus in Deo formalis probatur *1. Ex spiritualitate:* Ens spirituale est vitale, vivens ad minimum vitâ intellectuali, Recognosces hoc latius ex *th.* 68. 69. *disp.* 2. Atqui Deus est Ens spirituale. E. 2. *Ex perfectione:* Perfectio magna (eaq; simpliciter simplex) est esse vivens: Ideoque etiam vivens (cæteris paribus) est nobilius non vivente: Ergo etiam erit in Deo, omnes perfectiones imbibente, non solum eminenter, sed etiam, quia est perfectio simplex, formaliter. Hinc 3. Colligo *ab effectu*: Creaturæ quædam sunt viventes vitâ tali quæ ex se nullam dicat imperfectionem, uti v. g homines vivunt vita rationali, Ergo illam habent à Deo participatam, E. Deus illam in se præsupponit, modo quodam nobilissimo, Quia in effectu nihil, quod non præhabeat suo modo causa. *Porro*: Deus vitam præhabet non eminenter solum. Quia formalitas vitæ Deo non repugnat, cum nullam dicat imperfectionem, E. etiam formaliter. Estque hoc satis evidens, *Cum incredibilius sit, aliquid inanime, tanquam lignum vel lapidem esse Deum, quam nullum esse Deum*, uti ait Francisc. Suaretz. *d.* 30. *Metaph. sect.* 14. *n.* 3.

4. *IV Essentiam* definitione sic exprimo: *Vita est attributum Dei, quo essentia ejus actuose vivere, & in seipsâ & ex seipsâ vi agendi movendiq; prædita esse, adeoq; agere & operari, ac agendi aliis vim communicare intelligitur*, cum Excellentiss. Dn Jacob Martin *l.* 2. *exercit. Metaph.* 4 *theor.* 16. *p.* 838. sive: *vita est attributum Dei, quo intelligitur essentia ejus se perfectissimè actuare, per actus immanentes cognitionis & volitionis.*

5. Duo hic dico: *I. Vitam esse attributum Dei, II. actuosum per-*

per actus intrinsecos cognoscendi & volendi: Illud q. *materiale est*, quod vita cum reliquis attributis commune habet, ut sc. cum iis conveniat non tam *in Esse subjecti*, essentiæ nempe divinæ, quæ omnibus attributis substrata esse intelligitur, quam etiam *in Esse attributi*, Hoc vero est *formale*, quo rationem vitæ à reliquis attributis divinis q. dispescimus. Puta tamen *I. Formale illud in Deo non esse accidens, qualitatem, potentiam, aut actum primum vitalem distinctum ab actu secundo, & ipsa operatione vitali*, ut vitam actus primi à vita actus secundi distinctam reperis in creaturâ: Quia hoc non admittit 1. *Dei simplicitas*, quâ ille ut Ens simplicissimum omnem compositionem realem longissimè removet: At, si in Deo reperire liceret actum primum vitalem distinctum ab operatione vitali, statim inde consurgeret compositio ex potentiâ (receptivâ) & actu, quia actus primus operationem à se productam reciperet in se. 2. *Purissima actualitas*: Actus primus est principium passivum recipiens in se secundum. At in Deo nulla est potentia passiva, quia est purissimus actus. 3. *Independentia*: Actus primus vitalis per veram efficientiam producit secundum: Ideoque hic in esse suo est dependens ab illo: At in Deo nihil esse potest quod sit dependens, aut productum, 4. *Infinita perfectio*: Actus primus perficitur à secundo: Ultima namque naturæ perfectio est in operatione: At in Deo nihil est, quod ulterius à quoquam perfici possit, cum sola essentia divina omnes perfectiones in sese perfectissime præsupponat: E. nullus ibi actus primus. *II. Neq; formale illud in Deo esse per modum actus secundi talis, qui sine interveniente actu primo immediate* ab ipsa essentia Dei *sit elicitus*: 1. Quia actus secundus semper dicit ordinem ad primum Conf. Suaretz *d. 30. M. s. 15. num. 12.* At in Deo nullus est actus primus, sive enim illum dicas essentiam Dei, sive accidens superadditum, nihilominus simplicitati, actualitati, independentiæ &c. derogabis. 2. Actus ille secundus esset per veram efficientiâ à Deo productus & receptus in illo? At repugnat illud etiam inde: Quia maxima Dei perfectio est vita: At si illa formaliter esset in actu secundo & in aliquo producto, jam summa Dei perfectio in aliquo producto consisteret, quod cogitare nefas. Ideoque *III. Formale illud non est in aliquo reali superaddito ad essentiam divinam, sed est á parte rei ipsa essentia Dei,*

quæ ut inadæquate apprehenditur cum actuatione sui ipsius dicitur vita: Est igitur ratio vitæ in Deo nihil aliud quam *actus purissimus, simplicissimus, ultimus*, quo essentia divina seipsam actuat, ita tamen ut ad exercitium hujus actus non indigeat extrinseco quodam accidente, aut actu primo, aut operatione propriè dicta à se distincta, ideoque nec per veram efficientiam, sed per essentiam suam immediate possideat totam actualitatem hujus vitæ: Ideo enim vitam hanc dico actum *ultimum*, quia omnem operationem se posteriorem, *simplicissimum*, quia omne, quod essentiæ divinæ est extraneum; *purissimum*, quia omnem potentiam passivam excludit. Ex dictis facile colligo phrasin illam, quâ in definitione, dicimus: *Deum actuare seipsum vivendo* esse intelligendam non *positivè*, quasi Deus per verum influxum effectivum, sibi tribuat vitam, *sed negativè*; quod actualitatem istam non habeat ut ab alio productam, Neque enim in hac rerum caligine de Deo commodius loqui possumus.

6. *IV. Modus vivendi* in Deo I. est *simplicissimus*, 1. Quia non fit per aliquid ab essentia Dei diversum & ab illâ productum, uti creatura vivit, sed immediate per essentiam ipsam, 2. Quia non fit per multiplicationem aut successionem actuum vitalium, uti est in nobis; simplicitas enim & perfectio Dei non admittunt nisi unicum & perfectissimum actum vitalem qui ex se sufficientissime attingere potest omnia illa, quæ alias creatura non nisi per plures actus vitales contingit. *II. perfectissimus*; Deus enim est perfectissimum Ens, ideoque etiam perfectissimum vivens: Est enim perfectissimus non solum *extensive*, quod habeat in se omnes perfectiones possibiles, sed etiam *intensivè*, quia habet omnes perfectiones in perfectissimo gradu. *III. felicissimus*, quia sufficientissimus; Neque enim ullo alio extrinseco indiget, vel ut sit, vel ut bene sit; Ipsa enim essentia divina sine addito ullo est actualissimè vivens, & sic in se continet omnia, quæ ad vitæ felicitatem requiri possunt. *IV. immutabilis*, Quia nec incepit nec desinet, nec augetur, nec imminuitur, nec alteratur aut aliter mutatur vita in Deo, aut mutari potest. *V. æternus*, quia nec initium accepit, neque finem videbit, uti illud colligitur ex ratione essentiæ Dei, cum quâ vita coincidit &c.

7. Tan-

7. Tandem V. *Gradus Vitæ*, prout concipit noster intellectus in Deo reperiuntur duplices; *Intellectus & voluntas*: Ubi notandum *non esse discrimen reale inter intellectum & voluntatem Dei*, ut existunt à parte rei in illo, sive illa apprehendas ut potentias diversas, qualiter in homine diversæ vulgo sunt potentiæ intellectus & voluntas, sive intelligas ut actus diversos; uti in homine distinguuntur intellectio & volitio: Nam (præterquam quod modus ille concipiendi sit illegitimus ubi in Deo aliquid concipimus ad modum potentiæ, & aliud ad modum actus immanentis orti ab eâ uti mox videbo) 1. *Intellectus & voluntas* uti dicunt potentias ad actus suos *non possunt distingui in Deo realiter*; 1. Quia, uti visum *disp. 3. th. 37.* attributa Dei non differunt realiter ab invicem, 2. Lis adhuc suspensa est, numne etiam in creaturâ rationali intellectus & voluntas vel inter se vel à suo subjecto differant? Si Cæsari Philosophico præbeas aures, illumque dictitantem sequare, non affirmabis, Consule *exercit. 37. sect. 15. Dicimus*, inquit ibi (intellectum & voluntatem) *non esse accidentia neq; absoluta, neq; relativa, neq; realiter, ut loquuntur vulgo, differre à se invicem, neque utrumq; ab essentiâ animæ: Decet enim animam propter suam dignitatem fungi suis officiis, suasq; exercere potestates, absq; ullius accidentis aut inhærentis vel præsidio vel adminiculo, sed sine ullo medio statim per essentiam suam &c. II. Intellectus & voluntas in Deo*, ut dicunt ipsos actus ultimos, intellectionem sc. & volitionem, *non differunt realiter*: Quia actus isti eo quod immanentes, æque sunt attributa Dei, ideoque reale discrimen non habent, sed potius una & eadem simplicissima Dei essentia est, quæ sine addito & ex se, res dicitur intelligere vel velle, pro ratione diversi tendendi modi in objecta, & sic etiam unus & idem actus in Deo est qui modo intellectio dicitur, modo volitio &c.

8. Porro notandum: *Esse tamen rationis ratiocinatæ discrimen, quo Intellectus & voluntas in Deo dispescuntur*, Una, inquam, & eadem res est, quam vocas in Deo intellectum, & post voluntatem, quia tamen eam *ad modum non rei unius sed plurium* apprehendis, indeq; in plures conceptus q. partiris, parturis inde distinctionem rationis: *Occasionem & fundamentum* hujus distinctionis potissimum desumis *ex diversis effectibus* ab una ista virtute divinâ ortis:

Quia enim vides aliud esse effectum velle sive producere creaturas, aliud vero, eas sine actuali productione solum apprehendere, colligis etiam in Deo esse *principia distincta* istorum effectuum, cum tamen unus & idem simplicissimus actus sit, qui vel dicatur volitio, quando ponit actu creaturas extra se, vel sine ulla sui mutatione aut additione, imminutioneq; solum eas contemplatur & cognoscit, & dicitur Intellectio.

9. *De Intellectu* primum: Ubi considerabo *I. Existentiam, II. Essentiam, III. Objectum, IV. Modum, V. Divisionem.*

10. *I. Existentia* hujus in Deo patet: 1. *Ex vita Dei:* Deus est vivens, uti modò visum, At non poterit esse alio modo vivens nisi per intellectum, cum reliqua vitæ genera ex intellectu non orta imperfectionem dicant, 2. *Ex effectu:* Totum hoc Universum non potuit produci nisi à naturâ summè intelligente: Cum operis artificium quo majus est, eo majorem in artifice laudet prudentiam: *Deinde:* Homo habet in se intellectum, & quidem participativè à Deo, E. ille in Deo præsupponitur, non solum eminenter & virtualiter, sed etiam formaliter & secundum propriam entitatem, Quia esse intelligens est perfectio simpliciter simplex quæ ex se nullam involvit aut supponit imperfectionem, ideoq; Deo omnino formaliter inerit. Plura in re evidenti non cumulo.

11. *II. Essentiam* sic definio: *Intellectus est essentiale Dei attributum, per quod omnia & singula verè, sine ullo errore aut mutabilitate propriè, uno, æterno, & simplicissimo actu simul perfectissimè, evidentissimè & distinctissimè in suâ essentiâ introspicit, & à priori exactissimè scit & intelligit, nihil unquam ignorans, nihil more humano successivè cognoscens, vel addiscens, nihilve obliviscens,* cum Clariss. Dn. D. Jacob. Martin *lib. exercit. Met. 4. theor. 18. p. 843.*

12. Omnia hæc definitionis membra distinctius cognosces, ubi perceperis objectum & modum intelligendi, de quibus paulo post: Nunc saltem *circa Formale* (in quo propria ratio & quiditas intellectus divini, ut à reliquis attributis distinctus est, reperitur) *inquirere liceat, in quo illud consistat?* Dico autem. 1. *Non esse illud in aliquo reali superaddito ad essentiam divinam, per quod illa constituatur in esse naturæ intelligentis:* Quia illud non admittit 1. *simplicitas Dei*, quæ plurium essentiarum sive substantialium sive accidentalium

talium unitionem in Deo excludit, 2. *Perfectio infinita ejusdem*: Additum illud, quod essentiam divinam ex non intelligente faceret intelligentem, hac ratione maximè perficeret eam! At essentia divinâ quia non est imperfecta, sed perfectissima, non potest perfici ab alio, Perfici enim, non perfectio est sed imperfectio. 3. *Immutabilitas*: Mutaretur essentia divina, vel saltem esset in se mutabilis ab accidente illo, quia ex naturâ non intelligente faceret intelligentem, 4. *Actualitas*: Essentia divina ex se haberet potentiam quandam receptivam quâ apta esset recipere illud accidens &c. At repugnat illud. Conf ea quæ dixi *disp. 3. th. 62.* Hinc fluit porisma: *Intellectus in Deo non est Qualitas aut potentia aut habitus intelligendi essentiæ divinæ accedens.* Neutrum enim esse potest propter dicta.

13. Dico 2. *Neq; formale illud esse in operatione immediatè elicitâ ab essentia Dei, per quam res cognoscat*, uti nos facimus; 1. Quia sic intellectus esset aliquid productum ab essentiâ Dei, ideoque dependens ab illâ, At in Deo nihil dependens, nihil productum, 2. In intellectione Dei perfectio sita est: At illa non est in aliquo producto, Conf. quæ dixi generalius *th. 5. n. 2.* Hinc collige: *In Deo non esse intellectionem per modum veræ operationis ab intellectu productæ*, uti illa est in creatura, Quia intellectus & intellectio, *id Quod*, & *id Quo* intelligit, in Deo coincidunt neque differre possunt: Imò difficulter habes, *unde hic ut ratione ratiocinatâ diversa concipias intellectum & intellectionẽ*: Quia hæc distinctio rationis debet habere fundamentum in re, ideoque ea quæ sic distinguuntur, ad minimum debent habere diversas formalitates (barbaro sed non inscitè vocabulo juxta Scalig. *exercit. 307. s. 15.*) quarum una non imbibatur in alia, idque propter occasionem ex re desumptam: At intellectus non habet fundamentum sive occasionem, cur intellectum & intellectionem Dei distinguere possit: Nam non poterit illud esse aliud, nisi quod in creatura deprehenditur potentia intelligendi ab intellectione realiter diversa, ideoque inde occasio quasi arripitur ad distinguendum illa eodem modo (licet ratione) in Deo: Ergo etiam pariter in Dei intellectu concipiet aliquid per modum principij activi sive virtutis intelligendi, quod vocet intellectum, & aliquid per modum operationis ab illo principio productæ,

ductæ, quod vocet intellectionem, Alio namq; modo hæc in Deo dispesci nequeunt; At tales conceptus sive distinctiones rationis Deo affricarj repugnat: Suut enim illæ falsæ, eo quod in Deo imperfectionem ponant, & Deo tribuant illud quod non habet in se; Nam intellectus divinus non potest concipi ut producens, neque intellectio ut producibilis: Quia intellectus divinus non habet esse producens neque intellectio habet esse producibile. Unde mirere, Suarez *disp. 30. Met. s. 15. n.* 13. asserere, *quod possimus in Deo aliquid concipere per modum actus primi quod sit* VIS (NB.) *intelligendi, præscindendo ab actuali intellectione, & ab hoc, quod illa vis sit activa vel ipsemet formalis actus*: Nam talis præcisio esse non potest: Vim enim si concipias, potentiam activam concipis, ideoq; talem quæ possit elicere actus secundos: At in Deo talis vis intelligendi non est.

14. Dico 3. *Formale intellectus divini esse actum ultimum & purissimum cognitionis, sive essentiam divinam apprehensam ut cognoscentem omnia*: Essentia, inquam, divina, est de ratione formali intellectus divini, ita tamen ut in illo conceptu absoluto essentiæ sese nondum absolvat, sed ulterius aliquid ratione distinctum superaddat, *in quo nos formalitatem intellectus conlocamus*, quod est *esse cognoscitivum*: Ratio enim cum volet apprehendere intellectum divinum duobus quasi utitur conceptibus, primo enim concipit essentiam Dei, verum, quia in illa ita nudè & præcisè intellecta nondum videt rationem intellectivi, porro in ea investigat aliquid quod repræsentat & constituat q. essentiam in esse intellectus & est *τὸ cognoscitivum*: Ideoque hoc ut aliquid (per rationem) superadditum essentiæ divinæ apprehenditur, quod tamen in re non est aliquid ab essentia Dei diversum sed prorsus idem cum illa, Quia essentia divina *ex se & sine ullo addito* habet ut sit cognoscitiva, Ideoque recte dicitur, quod ipsa essentia divina in formali ratione intellectus imbibatur: *Summatim igitur*: Intellectus divinus nihil aliud est, quam essentia Dei cognita ut cognoscens sive seipsum, sive omnia, quæ sunt extra se immediate per essentiam suam, sine ullo accidente extrinseco, aut operatione cognoscente producta ab eâ: Ideoque hic *essentia, intellectus, intellectio*, (quæ

aliàs

aliàs in reliquis entibus differunt & subjectum & accidēs) propter summam simplicitatem Dei coincidunt.

15. *III. Objectum* intellectus divini illud voco, quod attingit sive actuat cognoscendo illud: Et potest esse duplex: *Positivum & Negativum*: Illud est, quod *sub ratione positivi & veri Entis* tanquam sibi conforme apprehendit: Et est *omne Ens* reale quod uti intellectus in genere objectum dicitur ab Arist. *3. de an. c. 4. t. 4.* ita hic speciatim est objectum intellectus divini: Cognoscit autem Ens illud sub ratione veri, ita ut *entitas* ipsa sit quasi *materiale* sive illud Quod cognoscitur, *Veritas* autem sit *formale* objecti, sive ratio sub Qua cognoscitur materiale illud: Positivum rursum potest esse duplex vel *Primarium, vel Secundarium*: *Primarium est* propter quod reliqua omnia cognoscuntur & ad quod in cognitione ultimò referuntur, & est ipsa *essentia Dei*: Sicut enim Deus omnia fecit propter se, ita etiam omnia cognoscit propter se, Et sic essentia divina est objectum cognitionis divinæ ultimum: *Secundarium est*, in quo cognoscens non acquiescit, neque ad illud tendit primo sed propter aliud. Et est *omnis creatura*, quæ aliquando terminat voluntatem Dei, ut vel producta vel producenda sit. *Objectum negativum* est, quod intellectus Dei non sub ratione positivi Entis sed *ratione non Entis* tanquam sibi difforme apprehendit: Estque vel pure negativum vel quodammodo privativum: *Illud est*, quod cognoscitur à Deo sub ratione *puri non Entis* h. e. talis quod neque sit de facto, neque esse possit, Et ita Deus cognoscit *Entia rationis*, sive ficta & *impossibilia: Hoc est*, quod cognoscitur à Deo sub ratione quidem non Entis actualis h. e. talis quod neque sit neque fuerit, neque futurum sit, attamen deprehenditur in illo ratio *Entis possibilis*, h. e. talis quod Dei potentia producere possit, Et ita cognoscit Deus *omnia possibilia* à se, nunquam tamen producenda extra se, item *futura purè conditionata* &c.

16. Singula hæc quæ dixi probo per distincta theoremata: *I. Deus scit sive cognoscit seipsum:* Patet: 1. *Ex ratione essentiæ Dei*, quæ eo ipso quod essentia est, vera est & cognoscibilis in ratione essentiæ ab intellectu aliquo, illique conformis: At intellectus ille erit non nisi divinus. 2. *Ex perfectione:* Magna est perfectio nosse essentiam & proprietates sui ipsius, Quis igitur id Deo derogabit? Et

a posteriori intellectus noster Deum cognoscit, saltem confusè: Ergo multo magis Deus seipsum cognoscit, & quidem distinctè ob intelligentis ad intelligibile proportionem & approximationem debitam Rem evidentem non probo ulterius

17. *II. Deus cognoscit omnes creaturas, quas vult esse extra seſe:* Patet: 1. *Ex voluntate Dei*: Deus cognoscit voluntatem suam: Ergo etiam cognoscit omnia quæ vult illa: Ratio: Quia voluntas adæquate non cognoscetur nisi cognoscas simul actum & objectum illius: 2. *Ex perfectione*: Perfectio est in artifice nosse rationem operis à seſe producendi: Imo necesse est præcognitionem præcedere operis productionem. Cum nihil fieri possit ab agente rationali nisi sit præcognitum: Ergo etiam Deus uti perfectissimus, præcognoscit opera à seſe producenda, Ergo cognoscit omnia in hoc Universo: Quia nihil est, fuit, erit, quod à Deo non sit, fuerit aut futurum sit: Hinc porro.

18. *III. Deus cognoscit res Universales singulares, spirituales & materiales, &c: Singulares:* Quia actio ad & circa singularia est: Deus igitur agendo in singularia præcognoscit illa: *Universales*: Quia cognoscendo singularia cognoscit omnia prædicata quæ sunt in illis, & sic etiam prædicata communia: *Spirituales*, & materiales, Quia produxit eas, ideoque etiam cognovit &c. *Dicis*: Deum non posse cognoscere materialia, Quia cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum ideoque per cognitionem materialium potentia Dei fieret quodammodo materialis, quod esse nequit: *Resp.* Cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum non in esse physico sed intentionali: Neque enim ille qui cognoscit lapidem fit lapis physicè, sed solum intentionaliter, quia habet in se vel speciem intelligibilem vel aliquid aliud repræsentans lapidem, Et ita etiam Intellectus omnia fieri dicitur ab Arist. *l.* 3. *de anim. c.* 5. *t.* 18. quia omnia intelligere potis: Unde etiam dici potest: Deum cognoscendo materiam, esse materiam, quia habet aliquid in se quod repræsenter illam.

19. *IV. Deus cognoscit res* (non solum præteritas & præsentes sed etiam) *contingenter futuras:* Ausus est hanc Dei scientiam enervare Cicero *l.* 2. *de Divin.* ne hominibus videretur auferre libertatem, fortunam, & contingentiam, quam cum infallibili Dei scien-

scientia concordare non putabat: *Nihil*, inquit cit. l. *est tam contrarium rationi & constantiæ quam fortuna, ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur ut sciat, quid casu & fortuito futurum sit: Si enim scit certe illud eveniet. Si certè eveniet nulla fortuna est: Est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio.* De hoc Ethnico & fortuito pronunciato me paulo post videbo prolixius: Primò explico terminum, *& per futura contingentia* non solum *intelligo ea quæ* fortuita sunt & casualia, sed etiam ea quæ generatim loquendo sunt mutabilia, ideoque *ita aliquando evenient ut potuissent non evenire*: Porro: Distinguo futura contingeutia in *absoluta*, quæ reverâ, mutabiliter tamen, futura sunt, & *conditionata*, quæ futura esse non intelliguntur nisi hoc vel illud fiat: Quæ rursum possunt esse duplicia, *vel conditionate futura, vel purè conditionata*: Illa aliquando futura erunt, quia erit hypothesis: Hæc vero non erunt futura, quia non erit conditio, qualiter *Matth. 11. v. 21.* futurum fuisset ut Tyrus & Sidon pœnitentiam egissent si sc. vidissent miracula patrata à Christo: Omnia hæc contingentia futura Deum prævidere assero & probo: *1. Ex infinita Dei perfectione*: Omnia attributa in Deo sunt summè perfecta, sic est in illo infinita duratio, quæ superet omnes durationes finitas, infinita potentia, quæ se extendat ad omnia possibilia, &c. Ita etiam est in illo infinita scientia quæ se extendat ad omnia intelligibilia & sic etiam ad futura contingentia sive illa sint absoluta sive conditionata &c: 2. *Ex immutabilitate*: Certum est Deum res contingentes eas quæ nunc præsenter existunt cognoscere: Ergo eas vel novit etiam antequâ existerent, & ut erant futuræ, vel ignoravit, & sic nunc, quando eas cognoscit, ex non sciente fit sciens, indeque in perfectionibus suis mutatur, & ab imperfectione ignorantiæ ad perfectionem deducitur quod Deo repugnat. *3. Ex purissima Dei actualitate:* Si Deus non præcognosceret res futuras contingentes, esset utique in potentiâ passiva ad cognoscendum eas, Neq; enim ulla à parte illarum est repugnantia ut possint cognosci: At Deus non habet in se potentiam passivam, quia est purissimus actus: Actu igitur eas cognoscit. 4. *Ex providentia:* Deus ab æterno multa efficere decrevit interventu actuum liberorum voluntatis, quemadmodum v. g. leges, respublicas, artes, & alia plurima,

non nisi mediis actibus liberis Deus homini confert & conferre decrevit. E. prænovit illos actus. 5. *Ex æternitate*, quæ est attributum omnis successionis expers, ideoque in Deo hac ratione nihil ponit successivum. Ideoque etiam cognitio Dei est præsentissima, sive sit præteritorum sive futurorum sive præsentium: At quæ præsenter cognoscuntur illa non possunt non cognosci.

20. Decidenda nunc controversia: *Anne* (quod putabat Cicer. cit l.) *præscientia rebus præscitis auferat omnem contingentiam, & imponat necessitatem*? Nam certitudo scientiæ desumitur ex certitudine objecti, Ideoque major certitudo in scientia quam in objecto esse nequit: Hinc igitur: Quod est necessariò, necessario cognoscitur, quod est contingenter, contingenter cognoscitur, At Deus non cognoscit res contingenter sed necessario & infallibiliter Ergo etiam res non sunt contingentes sed necessariæ: *Aliter*: Quod necessario scitur, illud est necessario: Ratio: Quia si non esset necessario, non posset necessario sciri quod esset. At omnia à Deo necessario sciuntur, Quia Dei scientia non est contingens & fallax. E. sunt necessaria. Et hoc olim intendebant Stoici, quibus omnia fatalis necessitatis vinculis erant alligata! Ego ut hinc me expediam præmitto: 1. *Necessitatem rerum esse duplicem*, aliam absolutam & intrinsecam, aliam hypotheticam & extrinsecam: Illa dicitur, quando aliquid est necessarium exigente id *intrinsecâ* rei natura tali sc. quæ ex se & sine positione extrinseci non possit non esse: sic v. g. Ens necessarium necessitate intrinseca est Deus, agens necessarium est ignis, cum urit, sol cum calefacit, &c. Hæc vero est, quâ res in se quidem & ab intrinseco contingens est, per positionem tamen extrinsecæ alicujus circumstantiæ fit necessaria, uti v. g necessarium est Petrum sedere, posito quod sedeat, asinum pennas habere posito quod volet, &c. Hinc deduco II. *Contingentiam intrinsecam non pugnare cum necessitate extrinseca sive hypothetica, sed solum cum absoluta*: Ideoque: Quod contingens est, potest esse necessarium ex hypothesi, non vero necessarium absolute: Ratio hujus 1. *à priori* est: Quia contingentia rei competit ab intrinseco, necessitas vero hypothetica oritur à positione alicujus extrinseci, Ergo illa nequeunt sibi esse opposita. 2. à posteriori ita concludo: Omnis res contingens, quando est, necessario

est,

est, (ex hypothesi hac quia est) Unumquodque enim eo ipso quo est necessario est, ex Arist. *l. de Interpr. c. 14.* Atqui omnis res contingens, quando est, contingenter est, Neque enim res dicitur contingenter Esse, quando vel præterita, vel futura, sed quando in præsenti est: E. quoddam quod est contingenter, est necessario, (ex hypothesi) *Item*: Omnis actio libera in præsenti quando est libera est, Quia omne agens (sicut agit per actionem non præteritam aut futuram sed præsentem ita etiam) dicitur agens ab actione præsenti, videns enim v. g. dicitur qui videt in præsenti, E. etiam *agens liberum* dicitur ab *actione præsenti liberâ*, h. e. tali quæ potuisset in illo instanti temporis quo elicitur à voluntate non elici, (Neque enim probare possumus sententiam Lombardi *l. 2. d. 25.* & aliorum qui putant voluntatem dici liberam non in eo instanti quo vult actu, sed immediate ante illud ad idem volendum & nolendum liberam fuisse, & habere tunc potentiam pro instanti sequenti eodemque modo posse dici liberam in quolibet instanti pro tempore immediatè sequenti &c: Hi enim omnes omnino tollunt *actus liberos*, Confer de hac sententia Fonsec. *lib. 6. Metaph. cap. 2. q. 4. sect. 1.* Mendoz. *disp. 15. de an. s. 4.*) Et tamen actio hæc libera propterea quod in præsenti est, necessaria est (ex hypothesi) E. quoddam liberum est necessarium. Et hoc erat demonstrandum: Hoc supposito ad controversiam propositam dico *1. Præscientia Dei nullam affert rei præscitæ necessitatem intrinsecam, ideoq; iis contingentiam si quam habent, non adimit*: Probatur illud 1. *A cognitione circa actus liberos Dei*: Deus sane scivit ab æterno infallibiliter suos proprios actus liberos, quod sc. voluerit in tempore liberè creare mundum, propagare genus humanum per Adamum &c. Scientia autem illa non poterit actibus istis imponere absolutam necessitatem, sic enim non essent liberi amplius sed necessarij, indeque Deus non esset agens liberum sed necessarium, quod absurdum est. *II. A conditione scientiæ 1. Scientia* (nude sumta & sine conjunctione cum voluntate) *est mere speculativa* quæ res non facit, vel quicquam in iis facere aut mutare intendit, sed ut factas supponit, easque contemplatur: Ideoque Quia à voluntate res pendet in esse & non à scientia, à voluntate etiam res accepit necessarium vel contingens esse, & non à scientia: *2. Scien-*

cia est posterior objecto scibili saltem ut habet rationem scibilis, Ideoq; porro: *Illa sumit speciem ab objecto*, ita, ut res tales vel tales, necessarias sc. vel contingentes cognoscat, quia *in sese* erant necessariæ aut contingentes, *Non vero contra, objectum specificatur à scientiâ* ut sc. res sint necessariæ vel contingentes, quia necessario vel contingenter sciuntur: Etsi enim per impossibile nulla esset scientia res tamen futura esset necessaria vel contingens, *Deinde*: Actus mali cognoscuntur esse mali non necessario scientia mala sed etiam optimâ v. g. divina, Ideoque objectum illud malum specificari non potest à scientia quæ est circa illud: *Hinc concludes*: Quod est posterius objecto, neque specificat illud aut constituit in esse objecti, sed potius ab objecto specificatur, illud non potest necessitatem intrinsecam objecto imponere: Quia necessitas intrinseca est necessitas causæ, & essentiæ, quæ vel propter causas necessarias, vel propter essentiam necessariam ita dicitur & intrinsece in re ipsâ imbibitur: Atqui præscientia est posterior objecto, &c. Ergo. *III. Ab absurdo*: Actus mali præsciuntur à Deo sed tamen illis ideo nulla necessitas imponitur, Alias enim illi qui peccarent essent excusabiles, quia necessario agerent & non possent aliter agere: Imo peccando non peccarent, quia ex necessitate naturæ quæ fiunt, peccata ethica non sunt, quemadmodum ignis ustio, quia naturalis est, vitiosa non est, &c. Qua tamen & plura alia inde fluentia ἀδύνατα sunt. Dico 2. *Præscientia Dei affert rebus præscitis necessitatem extrinsecam & hypotheticam*: Patet illud facile ex præced: Necessitas enim hypothetica oritur in re alias contingente ex positione alicujus extrinsecæ circumstantiæ: Ita etiam res præscitæ, licet aliâs cõtingentes, necessariæ dicuntur per extrinsecam hanc hypothesin quod sc. præscitæ sint. Hæc tamen necessitas uti ante visum, nullam admit rei contingentiam. Dico 3. *Præscientia* (visionis) *circa res futuras contingentes non est necessaria absolute sed solum ex hypothesi*: Supposito enim quod res istæ (ex voluntate Dei) sint futuræ etiam scientia Dei est circa illas & si res istæ futuræ non fuissent, neque scientia Dei fuisset circa illas ut futuras: Scit enim v. g. Deus quod Petrus cras sit nascendus, quia voluit eum nasci, & poterat etiam non scire illud, ut cras futurum, quia poterat non facere: posito tamen, quod facturus

erat

erat Petrum etiam necessario (ex hypothesi illa posita) scivit illud.

21. *Ad objectionem resp.* Contingentia possunt dupliciter considerari uti noto ex Thoma *part. 1 quæst. 14. art. 13.* Uno modo prout sunt in suis causis nondum determinatis ad unum Et ita cognita faciunt solum scientiam conjecturalem & mutabilem, Quia enim omnis dispositio causæ liberæ antecedentis suum effectum est ex se indifferens ad utrumliber, non potest ex vi illius aut in illâ certo præsciri effectus futurus: Uti v. g. Si videas consulem ambulare in foro conjicis quidem eum iturum ad loca Senatoria verum certo id & infallibiliter non prævides, quia poterat consuli, eo ipso dum eò contendit aliquod impedimentum objici, ut alio diverteret, Unde tu deciperere: Deus autem hac ratione solum contingentia futura non prævidet: Igitur alio modo contingentia considerantur ut sunt in seipsis & prout actu existunt, Et ita etiam cognita à nobis faciunt scientiam infallibilem, & necessariam ex hypothesi: Quando enim v. g. vides Consulem ascendere per scalas in locum, quem suspicabare, vides illud jam infallibiliter: sic etiam Deus hoc modo videt omnes res contingenter futuras ideoque infallibiliter & certò. Neque enim ille rem ex causis aut circumstantiis conjecturaliter colligit, sed ulterius vi perspicacissimi sui intellectus penetrat ad ipsum successum: non ille, uti tu ex itione per forum conjicit Consulem ire ad Senatorios consessus, sed ipse ex infinitate sui intellectus itiones istas sive ad hæc sive ad alia quæcunque loca etiam contingentissima ab æterno prævidet. Sed pergo.

22. *V. Deus scit omnes creaturas possibiles etiam eas, quas nunquam volet producere*: Patet illud 1. *Ex potentiæ cognitione*: Deus cognoscit suam potentiam: At illa se extendit ad omne possibile, Ergo etiam cognoscendo eam cognoscet omne possibile ab ea, 2. *Ex perfectione divinæ scientiæ:* Nisi tota multitudo rerum possibilium à Deo cognosceretur scientia ejus perfectissima non esset, neq; se ad omnia scibilia extenderet, quod tamen non est dicendum, Conf. Suaretz *d. 30 Met. s. 15. num. 22.*

23. *VI. Deus scit sive cognoscit Entia à ratione nostra conficta*: Nam cognoscit Deus meam cognitionem sive actum falsum quem habeo

habeo de nõ Ente v.g. de chymæra, ubi puto illam esse Ens; si n. hoc non esset revera nõ esset omniscius: At cognoscendo cognitionẽ de chymæra, cognoscit chymæram, nam si eam non cognoscit, quî scit me chymeram cognoscere & errare in cognitione circa eam? Cognitio enim est objecti repræsentatio, Ideoque qui cognoscit cognitionem, cognitionis objectum nequit ignorare, Non igitur est audiendus Vazquez apud Mendoz *disp. 19. Met. s. 2.* qui disputat Eus rationis â Deo non cognosci, motus ratione eâ: Quia quomodocunque Deus dicatur cognoscere entia rationis, sequitur eum fingere illa, sic enim Deus mente suâ retinet id quod non est, indeque fictum est, licet non primario, tamen secundario, prout sc. fictum est ab intellectu hominis &c. Verum ratio illa non procedit: Quia aliud est cognoscere Ens rationis per modum entis illi attribuendo veram & realem entitatem, & aliud est, cognoscere Ens rationis per modum entis rationis, h. e. talis quod ab intellectu creato sit fictum ideoque revera non Ens, aliud, inquam est facere vel fingere Ens rationis, & aliud, cognoscere fictum vel factum: Posterius Deo tribuimus quidem, sed prius negamus: Quia facere Ens rationis est ex imperfectione intellectus; Nam Ens rationis tum fabricat, quando illud quod est non Ens intelligit ac si esset Ens; At Deus non cognoscit res aliter ac sunt in se, ideoque etiam non cognoscit non Ens ut Ens sed ut non Ens, Ideoque hoc quidem dare licet Vazquezio sed, id, quod inde colligit, nequaquam. Confer etiam Suaretz *d. 54. Metaph. s. 2. à 19.* Mendoz *cit. l.*

24. *VII Deus cognoscit non Entia reliqua, privationes v.g. negationes &c.* non q. illis per cognitionem veram quandam entitatem tribuat, sed quia illa sub ratione non Entis cognoscat: *Ideoq;* quæ verba sunt Suaretz *d. 54. Met. s. 2. n. 22. perfecta cognitio negationis non consistit in hoc quod ipsa directè & per modum entis repræsentetur, sed in hoc, quod cognoscendo clarissime entia positiva in eis cognoscatur, unum non esse aliud, vel non habere aliud, seu hoc non esse unitum illi, absq; illa directa repræsentatione ipsius negationis vel privationis: Et hoc modo perfectissimè cognoscit Deus negationis ipsas, &c.* Hinc ulterius.

25. *VIII. Deus cognoscit mala sivè physica sive moralia:* Sunt enim

e nim illa privationes bonitatis: Igitur Deus cognoscendo oppositas formas bonitatis, deprehendit unà in illis non esse sive negationem illius boni: Adde: Quod Deus circa mala illa specialiter exerceat actus voluntatis suæ, vel puniendo, vel permittendo, vel disponendo &c. ea: E. novit ea: Quia actus voluntatis supponit notitiam circa objectum:

26. IX. *Deus cognoscit impossibilia* (ut sc. sunt impossibilia,) Patet: Quia Deus non posset cognoscere possibilia, nisi eodem actu cognosceret simul ea quæ sunt non possibilia: Dum enim possibilia apprehendit, *negativè* se sistere cogitur in aliquo non possibili: Alias enim vel omnia possibilia non nosset, vel saltem accurate non novisset sic v. g. Deus quia cognoscit hominem esse possibilem eo actu simul apprehendit impossibilem esse hominem irrationalem, sic eo ipso quo cognoscit se esse unum & infinitum novit impossibilia esse plura infinita &c.

27. *IV. Modus intelligendi* est vel *Generalis* & ex æquo communis omni scibili ab intellectu divino, vel *Specialis* huic vel illi: Illo modo *I. est Universalissimus*, quia se extendit ad omnia objecta scibilia, sive præterita sive præsentia sive futura, sive entia sive non entia, sive facta sive ficta, sive possibilia sive impossibilia, sive bona sive mala &c. Cujus probatio sumitur ex dictis.

28. *II. est perfectissimus*, non solum *extensivè*, quia se extendit ad omnia objecta, uti visum, sed potissimum *intensivè*, quia nihil illi deest, quod pertinet ad rationem summæ & perfectissimæ scientiæ: Uti patet ex infinita Dei perfectione, quam intimè imbibunt in se omnia divina attributa, ideoque etiam scientia: Ideoq;

29. *III. Est comprehensivus*, quiditativus & adæquatus: Quia quodvis objectum secundum omnia prædicata quæ sunt in illo ita exhaurit, ut nihil relinquat in eo sibi incognitum: Et ita etiam comprehensivè Deus seipsum cognoscit: Quia sicuti infinitè cognoscibilis est, sic etiam habet infinitam vim cognoscendi, Unde objectum potentiæ est apprime proportionatum, ut ab illo possit comprehendi, quo sensu etiam *Deus* vulgo *dicitur sibi ipsi finitus* quia essentia ipsius non excedit intellectum cognoscentem, sed potius est adæquatè cognoscibilis ab eo.

30. *IV. Est clarus & distinctus*, non vagus aut confusus: Nam

vagè & confuſe rem apprehendere eſt ex imperfectione intellectus rem exactè non penetrantis, ideoque hærentis in uno aut altero prædicato.

31. *V. Eſt verißimus, certißimus & infallibilis*: *Verißimus*, quia rem intuetur eo modo quo eſt, penetrando illam exactiſsimè: Ideoque in illo non poteſt eſſe *falſitas* in cognoſcendo, Quia hæc eſt ex imperfectione intellectus, rem falſo cognoſcentis vel ratione ſimilitudinis quam habet cum alia, qua ratione errat, qui aurichalcum putat eſſe aurum, vel ratione opinionis præconceptæ, uti errat qui idola putat eſſe Deũ, vel ob cauſas alias. At intellectus Dei perfectiſſimus eſt. Non igitur falſus: *Adde* Quod falſitas ſolum ſit in compoſitione & diviſione aut diſcurſu, non in apprehenſione ſimplici: Deus autem non componit & dividit, non diſcurrit, ut mox dicam. E. *Certißimus & infallibilis:* Quia decipi intellectum oritur ex errore falſæ apprehenſionis circa objectum: Nam quando eâ quæ conjuncta ſunt in re, disjungit, vel quæ disjuncta ſunt, conjungit, rem falſo cognoſcit indeque decipitur. At in Dei intellectu nullus error falſæ apprehenſionis Res certa!

32. *VI. Eſt immotus & immutabilis, non fluctuans, non formidoloſus, non probabilis: Immutabilis*: Quia mutatio ſcientiæ eſt ex ignorantia & imperfectione cognoſcentis, quod rem exacte non intuetur antea, ideoque poſt mutat cognitionem priorem: In Deo aut ignorantia non eſt & imperfectio: *Dices* Alia eſt ſcientia qua Petrum videt heri natum, hodie mortuum: Heri enim cognovit illum ut viventem, hodie vero eum non amplius novit viventem ſed denatum *Reſp:* Mutatio alia eſt ratione objecti alia ratione ſcientiæ quæ eſt circa illud. Objectum mutari poteſt ut illud ex præſenti fiat præteritum, ex futuro præſens, &c. cum tamen ſcientia divina non mutetur: Eadem enim ſcientia eſt quâ Deus ab æterno immutabiliter omnes res cognovit, quâ videt Petrum ut heri natum, ut hodie mortuum &c. *Non probabilis aut formidoloſus*: Probabilis enim cognitio vel plerumque eſt cum formidine aſſenſus circa objectum, vel ſi id non ſit ſaltem ponit in certitudinem & inevidentiam in cognoſcente: ſic v. g. probabilis eſt aſſertio apud nos, *Cœlum moveri*, quia etſi illud putemus, formido tamen eſt ad aſſenſum propter inevidentiam quam habemus circa rem illam: Sic probabile eſt, *Matrem diligere filios*, quia inevidens ſaltem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0170
DFG

tem est & incertum apud nos, quoad particulares matres, quas ignoramus anne diligant filios vel non: In Deo autem nulla est inevidentia aut incertitudo, quia illi certo constat anne cœlum moveatur vel non, & quænam matres in particulari diligant filios vel odio habeant, ideoque illi hæ assertiones non sunt probabiles sed certæ.

33. *VII. Est simplicissimus*, sine successione sc. plurium actuum intelligendi, Est namque in Deo unicus actus intelligendi qui continet in se omnem perfectionem intellectualis virtutis, quoque Deus omnia intelligibilia exactissimè penetrat & cognoscit: Patet illud: 1. Quia cognitio in Deo non est accidens, sed realiter eadem cum essentia divina, ideoque non potest esse nisi unica: 2. si in Deo essent plures actus intelligendi, illi utique essent ab illo producti per veram efficientiam: At hoc esse nequit: Quia actus illi vel producuntur sine cognitione per naturalem emanationem ab essentia, quod non est etiam in creatis cognitionibus, vel mediante cognitione: Et sic necessario sistendum in aliqua cognitione increata quæ cum essentia Dei recurrat, Et illa sufficit ad repræsentandum omnia cognoscibilia (ut non sit necesse ponere plures actus) exinde quia est infinitè perfecta, ideoque potest illud ex se præstare quod alias fieri poterat pluribus cognitionibus. 3. In intellectione Dei summa est felicitas: At illa nō est in aliquo creato: Ergo in increato: Ergo etiam intellectio est increata, ideoq; non nisi unica: Quia alibi visum non posse esse plura præter unicum increata. Hinc deduco: 1 *Modum intelligendi in Deo non esse per compositionem & divisionem*, qualiter nos intelligimus plura prædicata per plures intellectiones eaque vel componimus affirmando, vel dividimus negando, Compositio enim & divisio dicit in componente & dividente: 1. imperfectionem in cognoscendo, eo quod in re unum prædicatum cognoscendo non unâ intueatur reliqua, uti v. g. in prædicato *hominis* non distincte cognoscit reliqua, sed aliâ cognitione *animal* aliâ *corpus* &c. apprehendit, illaque prædicata post componit, dicendo v. g. *homo est animal* &c. ideoque 2. poscit successionem & multiplicationem actuum, quibus & reliqua, quæ supersunt, prædicata investiget, & ita prædicatum cum prædicato combinet. At Deus simplicissima & perfectissimâ cognitione apprehendit. *II. Modum intelligendi in Deo non*

esse per discursum, quo sc. ipse sibi acquirat notitiam alicujus rei, uti nos vulgo solemus: Et patet: Quia discursus (sive sit continuus & syllogisticus, sive sit discretus ab uno objecto ad aliud) est variis imperfectionibus obnoxius: 1. Quia implicat pluralitatem cognitionum: Hinc enim dicitur discursus (per metaphoram à motu animalis) quasi mentis cursus, hinc inde ab una notitiâ ad aliam transeuntis: 2. Processum à noto ad eliciendū aliud ignotum, uti fit manifeste in discursu syllogistico, Qui ideo instituitur ut cōclusio tanquā ignota innotescat: At Dei cognitio est simplicissima, quia unica & perfectissima, ideoq; nihil illi ignotum: Hinc Scalig. exerc. 365. s. 8. *Deo* inquit *non discurrit, nō ratiocinatur non proponit, nō colligit, non cum alio confert, non ab ullo accipit. III. In Deo non esse scientiam proprie dictam, sive demonstrativam sive à priori sive à posteriori*, uti nos eam solemus acquirere: Quia scientia à priori est cognitio rei *per causam* tanquam per medium, ita ut ex cognitione causæ deducamur in cognitionem effectus ante incogniti, At Deus non cognoscit *per causam*, sed potius effectum *in causa*, videndo in qua causa sit unuquisque effectus non v. ex cognitione unius deducitur in cognitionem alterius &c. Sic scientia à posteriori est cognitio causæ *per effectum*, vel etiam effectus *per causam* remotam: At Deus non cognoscit unum per aliud, sed unum in alio aut cum illo &c. *IV. In Deo non esse judicium*, eo sc. modo quo est in nobis: Quia illud (definiente Ægid. l. 2. *de anim. tract. 5. q. 1. art. 1.*) est, quando potentia præter actionem quâ apprehendit objectum, elicit alium actum, quo judicat rem esse vel non esse quomodo apprehenditur: Et hoc modo judicium requirit ad minimum duos aut tres mentis actus 1. Apprehensionem objecti 2. Judicium circa illud, quod sc. sese ita habeat, & assensum: At in Deo non est intellectio composita e pluribus actibus. *V. In Deo nō esse consilium* eo modo quo est in nobis: Quia illud 1. dicit multitudinem actuum intelligendi, Consilia enim damus & consultamus diversas sententias conferendo, 2. dicit dubitationem in eligendis mediis & ignorantiam futuri exitus: Consultamus enim ut videamus quodnam medium sit eligibilius, At in Deo non est illa dubitatio & ignorantia, Unde Scalig. exercit 365. s. 8. *Et consilio*, inquit, *non eget Deus, tanquam medio aut instrumento aut idea ad*

guber-

gubernandum: At tam est impia vox in divinis consilium quam plenitudo Deitatis. Dico notanter: *Eo modo quæ est in nobis*: Nam alias Deo tribui potest judicium, quatenus significat cognitionem à temeritate imprudentia aut sententiæ præcipitantia, aliisque imperfectionibus quæ in judicio humano reperiuntur, depuratam; Sic etiam Deo tribui potest consilium, quatenus notat cognitionem ex prudentia & sine temeritate &c.

34. *VIII. Est per essentiam immediate*: Et sic Deus non cognoscit per speciem intelligibilem intellectui superadditam: Sed ipsa essentia ex infinitate perfectionis est non solum intelligens, actusve intelligendi, sed etiam species intelligibilis: Nam species intelligibiles in intelligente, quod perficiunt & ad actum deducunt, magnam imperfectionem notant: 1. *Potentiæ passivæ*: Nam intellectus humanus (inde patibilis dictus) recipiendo species intelligibiles patitur ab illis (passione perfectivâ) & ita intelligit per eas; Hinc enim anima dicitur τὰ τῶν εἰδῶν Arist. *l.* 3. *an. c.* 4. *t.* 4 & intellectio passio *text.* 2. *ejusd. l.* quia est specierum receptio. *Unde obiter Cognosce*: Aliter Intellectum nostrum fieri omnia ex Arist. 3. *de an. c.* 5. *th.* 18. Aliter intellectum divinum esse omnia: Ille fit omnia, recipiendo rerum species in sese, hic est omnia actualiter eas in sese præhabendo &c. 2. *Distantiæ agentis a passo*: Species est vicaria objecti, subrogata vice illius, quando sc. propter distantiam sui non potest immediatè & per se determinare aut in actum deducere cognoscens, Unde si objectum potentiæ cognoscenti intimè sit præsens, non necessariæ sunt species: At Deus est intime præsens omnibus rebus: Ergo non opus habet emendicare species ab illis, mediantibus quibus cognoscat eas. 3. *Dependentiæ ab objecto:* Species actuat sive à potentia ad actum deducit intellectum, eumque determinat ad cognoscendum objectum hoc vel illud, qui alias ex se est indifferens, neque magis petit hoc quam illud cognoscere: Unde est quod potentia dependenter à speciebus & objecto intelligat: *At Deus in cognitione dependet ab objecto neque actuatur ab illo*: Licet enim ille cognoscat res eo modo quo sunt, non tamen fit illud per dependentiam cognitionis à re cognita (ut est in intellectu nostro) sed per summam sui perfectionem &

actualitatem, quâ ille alias in se præhabet illud, quo ab objecto ad intelligendum actuari potuisset. Objectum itaque intellectus divini non est ut actuans intellectionem, sed solum ut terminans illam. Et hinc Thom. p. t. q. 14. a. 5. asserit *Deum omnia cognoscere in se ipso non in ipsis, prout sc. essentia Dei similitudinem continet aliorũ ab ipso*, Quod intelligo ita, quod nõ sit aliud extra Deum actuans intellectum ejusdem ad modum speciei intelligibilis, sed quod ipsa essentia Dei species sit sibi ipsi: Neque enim illa opinio hic locum habet, quæ volet *entia creata à Deo cognosci solum in esse virtuali quod habent in Deo, non vero in proprio & formali esse*: Nam Quod præstat species intelligibilis nostro, illud facit essentia divina divino intellectui: Est namque essentia divinâ instar speciei intelligibilis beneficio cujus ille sit actu cognoscens: At species intelligibilis repræsentat objectum intellectui nostro in esse proprio & formali. Ergo: *Adde*: Deum cognoscere creaturas ut actu existentes; At actu existunt non secundum esse virtuale aut eminens quod habent in Deo sed secundum esse proprium & formale, quod habent extra ipsum.

35. Specialius IX. *Modus cognoscendi creaturas est per Ideam:* Quid Ideæ divinæ sint acriter disceptatum antiquitus inter Platonem & Aristotelem: Ille voluit (uti credunt Arist. *l. 6. Met. c. 6 & l. 5. Met. c. 9. & alibi* Thom. *p. 1. sum q. 15. art. 1. & q. 84. art. 1.* Reg. *probl. L. l. 1. de prædicab problem. 2. & c.*) *Ideas esse substantias quasdã æternas, universales & à singularibus separatas in quibus ab æterno cognoverit esse creaturarum & juxta quas deinde eas effigiarit:* Sic v. g. Deus ab æterno intuitus est unum quendã communẽ hominem, communẽ equum, (tanquã ideã hominis aut equi) ad cujus similitudinem fecit homines & equos singulares, Et sicuti ex uno sigillo plures fiunt impressiones ita ex uno homine fiunt sexcenta millia hominũ &c. Verũ, sive hæc sententia Platonis sit, sive alterius, absurda est: 1. *Quia ponit substantias aliquas Universales* seorsim à singularibus existentes, Cum existentia non nisi singularium esse possit, Et 2. eo ipso quia sunt productæ (non enim possunt esse improductæ si sint aliquid extra Deum) sunt singulares cum actio sit & terminetur ad singularia. 2. *Quia ponit substantias istas æternas & à Deo separatas*, cum tamen ab æterno præter Deum NIHIL fuerit. Conf. Conimbr.

nimbr *in præfat. Porphyr q. 1. art. 3.* Reg. *cit. l.* Fonſec. *l. 7. Metaph. c. 8. q. 2. &c.* Unde certum eſt: Deum non intelligere per ideas realiter extra ipſum poſitas & ſeparatas, quas tanquam ſpeculum creaturarum ab æterno inſpexerit &c. Porro: Alij aliter *Ideas divinas* explicant *eásq; definiunt exemplaria æterna eorum quæ naturaliter fiunt, in Deo exiſtenti a, immortalia inviolabilia, quæ Deus intuetur ab æterno in productione rerum*: (Et ita Platona ſenſiſſe putant Auguſt. *l. 12. de civit. Dei c. 26.* Senec. *l. 8. epiſt. 66.* Apuleius *de dogmat. Platon.* Fonſec. *l. 7. Met. c. 7. q. 2. ſect. 1.* &c. ideoq; volunt Ariſtotelem, quod tamē grande nefas fuiſſet, feciſſe præceptori injuriam) Et ita quis neget (in ſano ſenſu) dari Ideas in Deo, per quas intelligat res creatas? Deus enim eſt agens intellectuale, & ſic rem non intelligit ſine forma aut imagine ejuſdem quæ nihil aliud eſt quam idea objecti: Si more loquendi noſtro rem proponam, ſic dico: Deus ab æterno, antequam decerneret creare hoc univerſum, concipere neceſſe habuit omnium rerum creandarum formas ſive imagines, per ques intellexerit res taliter vel taliter futuras aut eventuras: Illæque imagines dicuntur Ideæ, eaſque poſtea inſpexit, quando res ipſas ad normam illarum produxit: Obſervandū tamen: *Ideas iſtas in Deo nō eſſe plures* ſed ſolum modo noſtro ut plures apprehendi: Eſt enim idea creaturarum nihil aliud quam ipſa eſſentia Dei, quatenus illa eſt actualis creaturarum cognitio ſive repræſentatio: Ideoque non niſi unica: Hinc ulterius: *Idea non eſt in Deo ad modum alicujus concepti ſive producti exemplaris*, (ut eſt idea in mente creaturæ) propter realem identitatem quam habet cum eſſentia Dei: Porro: *Idea non eſt in Deo per modum cognoſcentis, neq; objecti cogniti, ſed ſpeciei expreſſæ formaliter repræſentantis id quod cognoſcitur*: Idea inquam eſt ipſa eſſentia divina inadæquate apprehenſa, (non ut id quod cognoſcit, ſed) ut ſpecies Quâ cognoſcitur & formaliter repræſentatur objectum &c.

36. *X. Modus cognoſcendi creaturas* aliquando vel producendas vel productas *eſt intuitivus*: Cognitio intuitiva vulgo dicitur rerum præſentium ut ſunt præſentes: Id tamen dextrè ni intelligas falſum erit: Modus namque cognitionis in Deo non ideo eſt intuitivus, quaſi Deus omnia videat ex æternitate ut ſibi æternum præſentia aut coexiſtentia: Quia quæ nondum exiſtunt in ſeipſis

neq;

neque illi rei coexistunt, Et: Quæ nondum sunt præsentia neque alteri dicuntur præsentia: At creaturæ ab æterno nondum existunt &c. Ergo *Dein:* Scientia Dei nil mutat in rebus, sed eas cognoscit ut sunt in se: E. etiam res præteritas non cognoscit ut præsentes sed ut præteritas, & futuras non ut præsentes sed ut futuras: Secus enim scientia objecta mutaret quod esse nequit. Ideoque ideo Deus dicitur rem intuitivè cognoscere, quia una eademque cognitione *præsentissimâ præsentissimè* omnia sive præterita sive præsentia sive futura (& in suâ unumquodque temporis differentiâ) cognoscit, neque nova cognitio est, quâ præterita, & alia qua præsentia, & alia quâ futura videt, uti in nobis experimur, (eò quod nostra cognitio actuatur & elicitur quasi cum concursu objecti, & toties producitur nova, quoties se ingerit objectum novum, & toties mutatur quoties mutatur objectum:) sed una est perpetuo & invariabilis cognitio quâ rem videt vel ut præteritam vel ut præsentem, vel ut futuram: Uti v. g. una cognitione scit ab æterno Petrum heri nascendum, hodie natum, cras denatum, Ratio hujus facile sumitur ex immutabilitate scientiæ divinæ de quâ *tb. 32.* Ista tamen cognitio res aliàs in sua temporis differentia præteritas aut futuras non facit præsentes, sed relinquit eas uti alias in se sunt: *Declarari illud potest à simili* alicujus hominis, qui in altitudine turris positus viam intuetur, & inde videre potest omnes sive è linginquo sive è propinquo venientes: Ita Deus in summa suæ æternitatis speculâ constitutus de longe quasi intuetur res omnes, & in suo quamq; loco, h. e. in sua quamque temporis differentia. Conf. Thom. *p. 1. q. 14. art. 13.*

37. XI. Colligo hinc: *Deo non competere proprie memoriam vel reminiscentiam:* Quia dicit illa successionem actuum nos inducentium in cognitionem rei præteritæ ante cognitæ oblivione tamen amissæ: At in Deo talis successio actuum non est, qua aliter præterita, aliter præsentia sciat, *Neq; oblivionem* (nisi metaphoricè eâ notetur subtractio gratiæ aut concursus specialis) quia illa notat actus circa rem præteritam omnimodam delectionem, *Neq; prævisionem:* Quia illa notat actum notitiæ circa rem futuram, eumque talem qui rem præsenter nondum apprehendat &c.

38. *XI. Modus cognoscendi creaturas possibiles* solum, non vero

vero unquam futuras *est abstractivus*: Abstractiva enim cognitio rem solum ut est in suis causis possibilis, cognoscit: At ita cognoscit illa Deus quæ nunquam volet producere intuendo scilicet potentiam suam quâ ea potest producere. Ergo.

39. *V. Divisio* cognitionis divinæ *nulla est à parte rei*: Est n. unica & simplicissima indeque in plures cognitiones reales dividi non potest, uti vidi th. 33. *Ratio* tamen hanc unicam scientiam inadæquatis conceptibus *pro varietate objectorum* ad quæ extenditur, solet dispescere: Ideoque 1. *Scientia Dei est vel merè naturalis vel libera vel mixta* sive media: *Naturalis* est, qua Deus ab æterno cognovit res omnes possibiles: *Libera*, quâ post decretum suæ voluntatis absolutè & determinate cognovit res futuras: *Media* est quâ Deus ab æterno cognovit, quid homines aut Angeli facturi essent, si in tali vel tali statu cũ his vel illis circũstantiis ponerẽtur: Alij hic διχοτόμως procedunt, quibus cognitio Dei vel est *Conditionata*, quâ Deus more intelligendi nostro, priusquam determinata voluntate vellet creare mundum, cogitavit apud se, quid esset secuturum, si cœlum, terram &c. constitueret, *vel Absoluta*, quâ Deus cæpit habere cognitionem eorum, quæ reverâ futura erant, quæque voluntate suâ fieri volebat: Alij aliter, quibus cognitio Dei *vel est intuitiva sive visionis*, quâ Deus cognoscit res revera producendas, *vel abstractiva sive simplicis intelligentiæ*, qua cognoscit ea, qua fieri quidem possunt, nec tamen fient quia ea fieri non volet voluntas Dei:

40. Porro: Thom. *p. 1. q. 14. art. 16.* distinguit scientiam Dei *in practicam & speculativam*: Hæc est, quæ res nudè cognoscit & in illa cognitione simpliciter acquiescit: uti v. g. Deus merè speculative cognoscit se ipsum: Illa est, quæ res cognoscit quidem ita tamen ut etiam secundum istam cognitionem dicat Deum operari: Et ita practicam scientiam habet circa creaturas, quas aliquando volet producere: Imo etiam circa mala practicâ illa scientiâ versatur: *Nam*, quæ verba sunt Thom. *cit. l. licet mala ab eo non sint operabilia, tamen sub cognitionem practicam ipsius cadunt, sicut & bona, in quantum permittit & ordinat ea: sicut & ægritudines cadunt sub practicam scientiam Medici in quantum per artem suam curat eas*: Observandum autem: *Scientiam Dei dici practicam non præcise*

sed cum addito voluntatis: Scientia enim nudè sumpta nihil intendit operari in rebus, sed saltem, ut voluntatem conjunctam habet, Quo sensu etiam scientia Dei dicitur esse causa rerum à Thoma *part.* 1. *q.* 14 *art.* 8. Finio scientiam.

41. *Alter*, quem intellectus in Deo notat, *gradus vitæ est VOLUNTAS*, circa quam observabo *I. Existentiam, II. Essentiam, III. Objectum IV. Modum volendi V. Divisionem, & VI. Consequentia.*

42. *I. Existentia* voluntatis in Deo confirmatur 1. *Ex intellectu:* Intellectus non potest esse sine voluntate sive appetitu intellectivo; Quia omnem formam sequitur appetitus illi proportionatus, ad formam scilicet naturalem appetitus naturalis, & ad formam apprehensam appetitus vitalis, ad sensitivam sensitivus, & intellectivam rationalis sive intellectualis: Suaretz *d.* 30. *Met. f.* 16. *n.* 2. Adde Thom. *p.* 1. *q.* 19. *art.* 1. *& p.* 3. *q.* 18. *art.* 1. Et disput. 2. Pneumat. *th.* 37. Atqui Deus est intelligens. Ergo & volens. 2 *Ex perfectione:* voluntas est perfectio simpliciter simplex, quæ in sua formalitate nullam dicit imperfectionem, & reperitur in creaturâ: Ergo etiam in Deo: Quia perfectiones in creaturis repertæ simpliciter simplices, sunt quoque in Deo formaliter: 3. *Ex potentia Dei:* Aut illa produxit omnia quæ potuit producere, & sic erit exhausta & finita, quod absonum est, aut non produxit omnia quæ potuit, ideoq; per voluntatem est determinata ad producendum hac creaturas & non plures. Voluntas igitur erit in Deo.

43. *Essentiam* definitione sic exprimo: *Voluntas Dei est essentiale ejus attributum, quo omnia quæcunq; vult, ab omni æternitate, à seipso, uno, constantiq; & libero actu vult, cum* Excellentiss. Dn. D. Jacob. Martin. *l.* 2. *exercit. Metaph.* 4. *theor.* 19 *p.* 845.

44. Definitio hæc manifesta erit ubi cognoris modum volendi & objectum volitionis, de quo paulo post: Nunc inde notandum *formale* voluntatis, quod non dicit in eo *accidens, qualitatem aut potentiam voleudi*, uti illa ab actu volitionis est contradistincta, sed *actum purissimum & ultimum volitionis* sive inclinationis in bonum, ita tamen ut ille actus non sit realiter distinctus ab ipsa essentia Dei, sed potius *nihil aliud sit quam essentia divina inadæquatè concepta cum connotatione inclinationis in bonum*: Nam si in Deo volitio differret ab illo, ut actus à potentiâ, esset in illa ratione

tione actuum immanentium potentia activa & receptiva: Activa quia eliceret eos, & Passiva, quia elicitos in se reciperet: Sed hoc esse non potest, Deus enim neque habet potentiam activam neque passivam ratione actuum immanentium, ut illud supra demonstravi, ubi de Intellectu egi: *Dein:* volitio si esset in Deo ut effectus voluntatis, aliquid, quod productum, esset in eo, quod iterum non est. Plura argumenta applica huc ex iis quæ diximus th. 5. 12. 13. Non igitur audiendus Vorstius qui *in not. ad d. 3. de Deo* volitionem Dei quâ vult esse creaturas, dicit accidens: Sane volitio illa quia est accidens Dei est in Deo: E Deus producit eam, perficitur ab ea, mutatur ab eâ, &c: quæ omnia repugnant conceptui quem de Deo formamus, ubi sc. essentiam Dei concipimus esse in sese perfectissimam, quæ habeat omnia perfectionum genera, ita ut nullo accidente alio à quo perfici possit, indigeat. At si tu Deo affrices accidentia, jam essentia Dei ex se non poterit esse perfectissima, quia non habet in se perfectionem illam, quæ ei ex accidente illo accedebat. Caveat igitur Vorstius ne dum Deo tribuit accidentia, ex Deo faciat non Deum.

44. *III. Objectum voluntatis divinæ* est vel *positivum vel negativum*: Illud est quod sub ratione alicujus positivi & boni Entis vult esse, ideoque appetit ut sibi conforme: Estque *omne Ens* reale, quod ideo ens est, quia voluntas divina illud voluit & è non esse ad esse produxit: Vult autem omnia voluntas Dei & appetit illa sub ratione boni, ita ut *entitas* rei sit quasi *materiale* objecti sive illud Quod vult & appetit, *bonitas* autem sit quasi *formale*, sive ratio sub Qua vult & appetit materiale illud: Ideo n. Deus omnia entia vult, quia videt illa esse bona &c. Est autem *objectum positivum vel primarium vel secundarium: Primarium* est quod ultimo vult & appetit & propter quod tanquam summum bonum & ultimum finem vult quoque reliqua: Et est *Deus*: Secundarium est, quod appetitur propter illud: Et sunt *omnes Creaturæ*: *Negativum*, *objectum* dicitur, quod Deus sub ratione alicujus *mali* vult non esse, ideóque illud ut sibi difforme aversatur: Et ita Deus dicitur non velle purè non entia, malitiam moralem &c. Deus enim illa non potest velle, quia non deprehendit in iis positivam aliquam entitatem & bonitatem à se productam, quæ moveat sive alliciat voluntatem

luntatem ad volendum: Et sic *negatio entitatis* est *materiale* quasi sive illud quod Deus non vult, *negatio vero bonitatis* est *formale* sive ratio sub Qua non vult & appetit.

45. Distinctius agam per theoremata: *1. Deus vult seipsum:* Patet: Quia Deus est summè bonus, Ideoque summè appetibilis: Appetibilitas enim fluit proportionatè ex ratione boni: At non potest esse summe appetibilis nisi à voluntate summè perfecta quæ est divina: Et sic quia intellectus divinus videt rationem summi boni in essentia Dei proponit illam voluntati, quæ necessario appetit illam. 2. Omne Ens maxime appetit suum Esse, & amat bonum sibi proprium: Ergo etiam Deus maxime amat bonum sibi proprium & suum esse.

46. II Deus vult res à se creatas: Patet: Quia habent rationem alicujus boni, At quicquid bonum est, illud etiam (ut sic dicam) volibile est & appetibile à voluntate divinà. 2 Quia sunt à Deo creatæ: At nil potuit creari à Deo nisi præcesserit voluntas creandi: Deus enim creaturas non produxit nolens, (quis enim coegit eum ut produceret?) volens igitur.

47. *III. Deus non vult impossibilia*: Patet. Quia voluntas est inclinatio in bonum: At in impossibilibus nullam rationem boni deprehendit Deus: Sicut enim non possunt esse Entia, ita etiam non possunt esse bona:

48. *IV. Deus non vult mala:* Patet illud: 1. *Ex voluntate nostra,* quâ nos nihil vel volumus vel appetimus nisi quod habet rationem alicujus saltem φαινομένως boni, neq; illud cupimus quod novimus esse malũ. E. etiam omnia quæ vult volũtas Dei appetit ut bona non tamen ea quæ sunt, φαινόμενα sed ea quæ verè sunt bona: Est enim ex ignorantia & errore judicij intellectivi rem exactè non penetrantis, & ἀπάτη voluntatis quod verè malum putetur esse apparenter bonum: Ideoque ubi error in intellectu non est neque inordinatio in voluntate, non est appetitus ullius mali neq; apparenter boni sed solum verè boni. 2. *Ex ratione mali:* Malum ut malum dicit difformitatem ad voluntatem divinam, & sic non dicit sed negat volitionem: Quia enim difforme est, non volibile est. Ideoque si Deus vellet malum, vellet aliquid, quod suæ voluntati esset difforme, h. e. quod non vellet, quæ manifesta est

contra-

contradictio, Unde collige: *Philosophiam* sanam neutiquam admittere *ut Deum malorum causam dicas*: Aut enim erit causa malorum naturalis, aut voluntaria: *Non illud*: Quia sic per naturalem necessitatem sine ulla libertate Deus mala eliceret quod dicere blasphemum: *Neq; hoc:* Quia agens voluntarium ἐκ προαιρέσεως, & ex deliberata voluntate & approbatione effectus producendi agit, At Deus nou vult nec approbat peccata. Ergo Conf. *d. 4. th. 44.*

49. Quæris: *Anne saltem Deus possit velle mala per accidens?* Resp. Tripliciter intelligi potest cum Deus dicitur velle peccata per accidens: 1. *Ratione subordinationis*, quod sc. peccata sint media per se ordinata ad bona tanquam fines: Quia enim media ultimò & propter se non vult sive appetit voluntas, sed secundario & propter aliud, hinc illa dicitur quoque velle *per accidens*, Quia si voluntas non vellet finem, propter quem appetit media, neque vellet media quæ appetit propter illum: Sic v. g. ille qui appetit eruditionem ceu finem, per accidens dicitur velle sive appetere vigilias & labores, quia illos appetit propter eruditionem; *Deus autem hoc modo non potest dici velle peccata per accidens*; 1. Quia voluntas quæ hoc modo vult media nihilominus per se & efficaci inclinatione fertur in illâ licet non ultimatâ: qui enim vult vigilias propter eruditionem, ille nihilominus efficaci voluntate vult eas: At Deus non potest ferri per se & efficaci inclinatione in mala uti patet *ex th. præced. 2.* Mala non possunt esse media *per se* ad bonum destinata: Quia in mediis voluntas debet invenire aliquam amabilitatem & *bonitatem*, unde ea eligat & velit: *Ratio*: Quia media etiam voluntatis objectum sunt, quod tamen non nisi bonum esse, vel saltem boni rationem induere debet; At in malis Dei voluntas nullam potest invenire bonitatem vel amabilitatem, quia illa semper cognoscit esse mala. Ergo mala non possunt esse media per se ducentia ad bonum. &c. II. Potest intelligi *ratione intentionis*, quod sc. peccata sint aliquid non per se intentum, sed fini sive bono per se intento adjunctum, ita tamen ut etiam feratur voluntas in illud, uti v. g. vult studiosus eruditionem per se, & divitias per accidens sive secundario: *Deus autem neq; hoc modo vult peccata per accidens*: Quia quæ ita per accidens vult voluntas nihilominus *vere* vult & efficaciter: licet enim tu per se intendas

eruditionem & secundarie divitias, verè tamen appetis illas: At Deus non potest ulle ratione *efficaciter* velle peccata. Ergo III. Potest intelligi *ratione contingentis conjunctionis*, quod sc. peccata sint aliquid, quod non sit volitum sive directè sive indirecte à voluntate Dei, per accidens tamen & contingenter præter intentionem volentis rei volitæ conjunctum, uti v. g. fossor vult fossionem per se, cui tamen si præter intentionem ipsius & fortuitò conjungatur inventio thesauri, hoc modo dicitur eam velle per accidens: *Deus autem neq; hoc modo vult peccata per accidens:* Quia quæ voluntas hoc modo velle dicitur illa fiunt sive accidunt præter intentionem ipsius, sive notitiam: At nihil potest accidere præter notitiam Dei. Esto igitur conclusio. *Deum peccata non velle etiam per accidens.* Unde ulterius colligo: *Deum neq; posse dici causam peccati per accidens* Quia quod Deus non potest velle per accidens, ejus neque potest per accidens causa esse, Ratio, Quia in agente rationali, quale est Deus, actio libera ex voluntate fluit: At Deus non potest velle per accidens peccatum. Ergo.

50. *IV. Modus volendi* variat (non quidem in se sed) pro ratione objectorum: Ex æquo tamen *1. Est simplicissimus*, qui sc. ratione omnium objectorum volibilium non sit nisi unicus, Deus enim non vult pluribus distinctisque volitionibus, neque alia volitione se ipsum, aliâ res creatas vult, (uti nugatur Vorstius) sed unicus est & simplicissimus actus, quo vult omnia: Patet: Quia actus ille in Deo non est per modum accidentis intrinsecè inhærentis, sed per modum attributi realiter identificati (si loqui sic liceat) cum essentiâ divina: Essentia autem divina est unica & simplicissima. Ergo. *Deinde:* Si in Deo essent plures actus voluntatis illi in se & seorsim sumpti essent imperfecti, Quia unicus actus non posset præstare id, quod possunt omnes simul sumti: Atqui nihil est in Deo imperfectum, sed perfectissima omnia.

51. *II. Est perfectissimus*, non solum *extensivè* dummodo se extendit ad omnia objecta, quæ appetibilia sunt, sed etiam *intensivè*, quia perfectissimo & eminentissimo modo vult & appetit: Ratio huius rei petitur ex perfectione quæ imbibitur in omnibus attributis divinis, Non enim est attributum in Deo, quod non sit perfectissimum propter identitatem ejus ad esse Dei &c.

52. *III. Est immutabilis & constans*: Potest autem immutabilitas ista in voluntate variis modis intelligi: 1. *ratione objecti*, quod sc. Deus non possit velle in objectis mutationem: Et ita immutabilis non est, quia objecta mutari vult immutabili suâ voluntate uti v. g. immutabilis voluntas est quâ mundum voluit creari, & tandem volet destrui. 2. *ratione necessitatis agendi*, quod Deus ideo sit immutabilis, quia agere aliter non possit, sed necessario agat, quod agit: Et illud etiam falsum est, eo, quod Deus est agens liberum uti videbo modo, & sic potest (in sensu diviso) idem objectum velle & non velle, neque necessario vult omnia quæ vult: 3. *ratione volitionis* ipsius, hoc modo quod, si Deus actuali volitione rem aliquam decreverit sive voluerit, decretum sive actum volendi non mutet sed constanter perseveret in illo, Et ita puto Deum in voluntate esse immutabilem; Mutatio enim decreti dicit imperfectionem, vel *inconstantiæ*, quâ eadem animi sententia semel concepta post mutatur in aliam, vel *incogitantiæ*, qua res nondum plene consideratur neque exactè fertur judicium de illâ neque de mediis plena & perfecta suscipitur consultatio &c. Ideoq; nondum certo obvia sunt omnia quæ ad rem decernendam requirebantur: At Deo istæ imperfectiones assignari non possunt. Ergo nec mutatio in voluntate sive decreto, vide *disp. 5. th. 10.*

53. IV. Specialius, *Modus volendi* quo Deus seipsum vult & amat *est primarius & ultimatus*: Quia omnia fecit propter seipsum ut ultimum finem, Ergo omnia voluit propter seipsum.

54. *V. Modus volendi* quo Deus vult seipsum & amat, *est summe necessarius*, sive *quoad specificationem* ita ut non possit se odisse, sive *quoad exercitium*, ita ut ab amore non possit cessare: *Non potest se odisse:* Quia odium est aversatio rei malæ vel displicentia circa personam cui volumus malum: At Deus in sua essentia non potest invenire ullam rationem mali, quia est summe bonus. Ergo non potest se odisse. *Neq; potest ab amore sui cessare:* 1. Quia objectum voluntatis divinæ perpetuo quasi excitat & movet Deum ad volendum, ut ita quando deprehendit in eo rationem boni non possit non velle. 2. In Deo non est ratio cur possit aliquando suspendere volitionem circa seipsum: Esset enim illud vel ex defatigatione orta ex continuo amoris actu, vel ex ratione majoris

boni

boni extrinseci propter quod ab amore sui ipsius cessaret, vel saltem ex ἀπαξία voluntatis: At neutrum esse potest: Non primum: Quia Deus in suis operationibus non defatigatur: uti vidi *disp. 5. th. 17.* Non secundum: Quia Deus est summe bonus: Ideoq; majus bonum extrinsecum invenire non potest. Non tertium: Quia voluntas Dei est summe perfecta in qua nulla est ἀπαξία.

55. *VI. Modus volendi* quo Deus vult & amat creaturas *est secundarius*: Quia creaturas non vult tanquam finem ultimum, sed solum ut media inservientia gloriæ divinæ Ideoque secundario.

56. *VII. Modus volendi* quo Deus vult & amat creaturas possibiles, quoad voluntatem simplicis complacentiæ *est necessarius*: Quia Deus amando omnipotentiam suam necessario amat & gaudet, quod creaturæ sint possibiles, quia necessario amat omnipotiam suam, Qui tamen amor non tam est creaturarum quam omnipotentiæ Dei, amatur enim possibilitas creaturarum solum quatenus est connexa cum existentia omnipotentiæ Dei, Unde etiam *Cajetan.* dixit: Deum necessario amare creaturas ut sunt in ipso, non vero ut sunt in seipsis, Confer Suaretz *disp. 30 sect. 16. num.* 42.

57. *VIII Modus volendi*, quo Deus vult creaturas ut existentes *est liber*, non quidem *quoad specificationem*, quasi eas poterit odisse, sed *quoad exercitium*, quod eas poterit etiam non velle: *Deus enim non potest creaturas odisse*, Odium enim fluit ex malitia deprehensa in objecto, quæ elicit dissormitatem cum voluntate, & aversationem ejus: At Deus in creaturis ut creaturæ sunt non deprehendit rationem mali, quia sic sunt valde bonæ. Ergo. *Potest tamen creaturas non velle*: Quia media ad finem non necessaria non appetuntur necessario: At creaturæ sunt media non absolute necessaria ad Dei gloriam, E. non appetuntur necessario: Hinc Thom. *p. 1. quæst. 19. art. 3. Alia*, inquit, *à se vult Deus, in quantum ordinantur ad suam bonitatem ut finem, ea autem quæ sunt ad finem, non ex necessitate volumus, volentes finem, nisi sint talia sine quibus finis esse non potest, sicut volumus cibum volentes conservationem vitæ, & navim volentes transfretare, Non sic autem ex necessitate volumus ea sine quibus finis esse potest, sicut equum ad ambulandum, quia sine hoc*

possumus

possumus ire, & eadem ratio est in aliis, unde cum bonitas Dei sit perfecta & esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur quod alia à se eum velle non sit necessarium absolute &c.

58. Hinc collige: *Deum agere liberrima voluntate ad extra.* 1. Quia uti nunc dictum, potest velle & non velle ea quæ sunt extra se: 2. Si Deus non esset agens liberum, operaretur, quantum posset operari, esset que agens necessarium: Ideoque si Deus jam non comburit mundum, est quia non potest, si enim posset agere, utique & combureret necessario, non aliter ac ignis necessario urit. At hoc absurdissimum. Alios plures necessario agendi modos recenseri & à Deo removeri videas apud Suaretz *disp. 30. s. 16. n. 25.* 3. Si Deus non esset agens liberum, non haberet providentiam circa res volitas à se: Sineret enim res ita & non aliter ideoq; necessario evenire, quia non posset aliter dispensare, quod falsum est, 4. Nisi Dei potentiæ velis derogare, asscribito illi libertatem: Cur enim Deus non creavit plures mundos præter unicum? Aut non potuit, aut noluit: Illud non dicito: Hoc igitur &c. sic in libero Dei beneplacito est, quod hunc & non plures creaverit. Confer quæ pro libertate Spiritus in genere dicta sunt *th. 74. d. 2.*

59. *Nota etiam hoc loco discrimen quod est inter libertatem Dei & creaturarum:* Nam 1. Actus divinus *quoad essentiam suam* non est liber sed necessarius, propter identitatem quam habet cum esse Dei summè necessario, Ideoq; liber solum est *quoad terminari* ratione objectorum externorum, quia idem actus sine sui mutatione diversa objecta dicitur sive velle sive nolle: At actus creatus liber est *quoad esse*, uti v. g. homo dicitur liber quia diversos actus immanentes pro ratione diversitatis objectorum potest vel elicere vel suspendere. Unde porro: 2. Actus creatus est elicitus per veram efficientiam à principio libertatis: At actus divinus non est elicitus hoc modo, sed est actus ultimus & purissimus, qui sine efficientia sui ab aliquo principio rem sive objectum attingit: Ideoque 3. libertas creata indiget aliquo superaddito ut formaliter fiat libera, actu sc. secundo sive exercitio libertatis: At libertas divina sine ullo addito seipsà formaliter id præstat quod fieri aliàs poterat per additum actus secundi &c.

60. V. Restat *Divisio* voluntatis: Ubi (quod etiam in hac re

de intellectu dixi.) suppono: voluntatem Dei sive volitionem, quia unica est & simplicissima, realiter dividi non posse, propter diversitatem vero objectorum ad quæ terminatur per rationem distingui: Ideoque 1. *Voluntas est vel absoluta vel conditionata*: Illa rem absolute sine positione alicujus conditionis aut circumstantiæ vult ideoque semper impletur, Hæc vero rem non vult nisi positis certis conditionibus, ideoque non nisi positis illis impleri volet: Coincidit hæc divisio cum illa qua voluntas Dei solet dividi in *antecedentem* quæ rem vult præcise non habita ratione circumstantiarum: & *consequentem*, quæ vult aliud non nisi habita ratione circumstantiarum, &c.

62. *II. Voluntas est vel signi vel beneplaciti*: Hæc est internus actus voluntatis, quo aliquod vult, Illa autem non est actus ipse, sed solùm signum externum illius actus, quo se aliquid velle significat: Recenseri autem solent vulgo quinque signa divinæ voluntatis, per quæ (tanquam per voluntatem signi) signatur quasi & manifestatur voluntas beneplaciti, ut sunt, *Præceptum*, *prohibitio*, *permissio*, *consilium operatio*, de quibus Theologi prolixius.

63. VI. tandem quæ sint *consequentia* voluntatis dispicio: Duo autem sunt quæ nostræ voluntatis appensa deprehendo 1. *virtutes morales*, II. *Affectus*, de quibus non immerito hæsitaveris anne etiam in Deo reperiantur? Ut distincte agam quæro 1. *Anne Deo competant virtutes morales*? Ubi certum est, id quod in virtute quemadmodũ in nobis reperitur, imperfectionis est Deo assignari non posse: Ideoq; porro: *Virtus non est ni Deo per modum qualitatis aut habitus superadditi*; uti etiam vidi *disp. 4. th. 47.* Et: virtus quæ formaliter imperfectionem dicit Deo non tribuitur: Id autem quod in virtute formaliter perfectionis est, ut in nobis ea reperitur, Deo assignari potest: Ut autem hoc constet notandum est cum Suaretz *disp. 30. Metaph. sect. 16. n. 61. seqq* virtutes esse *vel circa actiones ad alterum vel circa passiones in se*: Illæ vel denotant actionem inferioris erga superiorem, ut sunt *religio*, *cultus* &c. vel æqualis erga æqualem, ut *justitia commutativa*, vel ab illo respectu absolvunt, & sine inferioritatis vel æqualitatis ratione alterum respiciunt: Prioris & posterioris generis virtutes Deo

non

non competunt, quia ille neque inferior est ulli neque æqualis: Ultimi vero generis virtutes Deo tribui possunt (non secundum materiale quod habent ut sunt in creatura, sed secundum formalitatem suam) sic in Deo est: 1. *liberalitas*, quâ vult sua bona nobis communicare sine intuitu alicujus commodi: Imo 2. *Magnificentia*, quâ magnificos ille sumptus nobis erogat, & 3. *Veracitas*, quâ constantiam in dictis & promissis observat, 4. *Justitia distributiva*, qua unicuique distribuit vel præmia vel pœnas pro meritis Virtutes autem quæ *circa passiones versantur*, vel alia ratione imperfectionem important, propriè & formaliter Deo non tribuuntur, sic in Deo proprie non est 1. *Fortitudo*, quæ moderatur timorem, 2. *Temperantia*, quæ gulam, 3. *Patientia*, quæ tristitiam, &c. Ideoque si hæ quandoque Deo tribuantur, intelligendum hoc est *Metaphorice* & per similitudinem.

61. Q. 2. *An & quomodo Deo competant affectus?* Ubi dico 1. *Affectus Deo per modum qualitatis & passionis materialis non insunt:* Quic sic multas involvunt imperfectiones 1. esse accidentalis, 2. materialis &c. 2. *Affectus qui in suo formali imperfectionem significant Deo non tribuuntur:* Ideoq; 1. Deo nō convenit *spes & Desperatio*: Quia qui sperat habet aliquem se superiorem, à quo expectet id quod sperat, At Deus se superiorem non novit. *Dein:* Spes est in ordine ad bonum futurum & possidendum nondum vero possessum, At Deo nihil boni futurum est, quia omnia in se eminentissimè præhabet. Sic etiam *Desperatio* est circa bonum futurum arduum & difficile, ita ut acquiri non posse videatur: At Deo nihil futurum nihil arduum. 2. *Deo non convenit Timor & Tristitia*: Quia timor est circa malum proprium ut præsens, Tristitia vero circa futurum: At Deo nihil est malū. 3. *Deo proprie non convenit ira*: Quia illa cōsistit in appetitu vindictæ sive doloris vicissim adversario inferendi: At Deus non habet in se dolorem, Ideoque quando Deo ira tribuitur fit illud non proprie sed Metaphoricè, *non affectivè, sed effective*, quia effectum iræ, qui est ultio sive pœna, sæpius attingit. 4. *Dev non conveniunt desiderium & fuga ut referuntur ad bonum proprium:* Quia Deus habet omne bonum præsens ideoque nullum desiderat, Dein: Nullum malum illi futurum est ideoque non opus est fuga: *Quatenus autem referuntur ad bonum*

alterius

alterius illi tribui possunt: Sic Deus desiderat nobis bonum & fugit malum quod videt in nobis.

63. Dico 3. *Affectus qui aliqnam dicunt perfectionem Deo tribui possunt*: Sic 1 *Deo convenit amor proprie & formaliter*. Est enim amor primus voluntatis actus & quasi radix reliquorum omnium, D. Thom. *p. 1. q. 20. art.* 1. Amare enim nihil aliud est quam velle alicui bonum, At hoc Deo convenit. 2. *Deo convenit odium*: Odium est vel abominationis, quod abominatur malum sive proprium sive alienum, vel inimicitiæ, quo ex displicentia personæ volumus illi malum: Utrumque est in Deo, 1. abominationis circa peccatum, quod odio habet, 2. inimicitiæ circa peccatorem, cui vult malum pœnæ. 3. *Gaudium & delectatio Deo conveniunt*: Est enim gaudium nihil aliud quam apprehensio boni convenientis & complacentia in eo: Indeque causa gaudij est rei convenientis unio ejusque apprehensio: At Deus omnia in se continet bona per essentiam: E. maxime delectatur in iis intuendo essentiam suam. Conf. Javell. 12. *Metaph. quæst.* 10. 4. *Deo convenit misericordia*, non quatenus illa notat compassionem de proximi miseria & calamitate, sed quatenus notat illa benevolam voluntatem sublevandi miseriam alterius.

64. Observandum tamen: *Affectus illos non esse in Deo & creaturis univocè*, & secundum omnia prædicata æqualiter, sufficit si in utroque sint analogice: Sic Amor in creatura est accidens, & aliquando se extendit ad bonum non possessum: In Deo autem non est accidens, sed ipsa potius essentia Dei, quæ ut apprehenditur cum actuali volitione dicitur amor, neque in eo se extendit ad bonum nondum possessum, uti patet. Et ita etiam in reliquis affectibus si Deo tribui debeant imperfectiones præscindendæ sunt. *Finio hic in voluntate Dei, cui gloria esto in secula*.

Mantissæ loco.

Quæstio est: An possit Deus dici agens contingens sicut dicitur liberum? *Negant Thom.* in 1. dist. 43. q 2. art. 1. ad quartum: *Conimbr.* l. 8. phys. c. 2. q. 5. art. 1. *Becan.* Theol. Scholast. tom. 1. quæst. & p. 105. *Nos non negaverimus.*

COLLEGII PNEUMATICI

Disputatio Septima

DE

OMNIPOTENTIA

ET ACTIBUS EJUSDEM,

CREATIONE, CONSERVATIONE, ET CONCURSU, DEI.

Quam

Auxiliante omnipotentia Jehovæ

&

Secundante venerando Philosophorum consessu in inclyta Rostochiensi Vniversitate

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Defendendam sibi imposuit ad diem 18. Aprilis horis locoq; solitis

JOHANNES SEDORFFIUS Pritzwald. March.

Scaliger exercit. ult. sect. 9.

In ipsa creatione cum terminus à Quo nullus sit, subjectum enim subest nullum, videtur omnipotentia Dei agere in non Ens, quando facit ut sit Ens; Quæ res cum sit tantæ subtilitatis, ut humani captus & ambitum & fastigium excedere videatur, lectis tamen à Deo judiciis tum hoc, tum alia ejusdem modi data sunt ad contemplandum: Interest enim nostræ pietatis & Dei immensitatis ea sentire, quæ sentire non possumus: sentire quidem in ipso per ipsum, quæ per nos sentire nequeamus: Nunquam satis fuerit homini felicis ingenij, cogitare omnia magnifica, ingentia, immensa, de ineffabili omnipotentia Dei: Nam quotusquisq; nostrum ignorat insciti am suam? Quam tum demum cum verâ sapientia commutabit, ubi non invitus, ac vero lubens fatebitur, se NIHIL SCIRE.

ROSTOCHII,

Excudebat Joach. Pedan. Acad. Typ. Anno 1629

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0189

DFG

Literatißimo

Dn. RESPONDENTI.

MAteriæ ſine ſeminio miracula rerum
Ex Nihilo finxit, rerum cui ſumma poteſtas,
Ætherius magnuſq; parens; non ulla ſuperſtes,
Ante poliq; ſoliq; aerisq; ignisq; creatas
Formas viſa fuit (ſine ſolo numine) forma:
Non atomis, aut fortuito cojerunt fluxu,
Non vano ideæ ſimulacro ſumere formas,
Non ſibi divinæ decidere particulam auræ
Semina cæperunt rerum: Ex NIHILO OMNIA fecit;
Scilicet! *Omnipotens* hæc regia dextra Jehovæ eſt;
Quæ mare, quæ terras, quæ celſum format Olympum,
Poſt regit, atq; potens obtutu perſpicit almo,
Ne pereant, cedantq; via quâ pergere juſſit;
Ergo, SEDORFFI, quid agis? quod diſcutis aptè,
Quæ formatarum ſit origo materierum,
Quæq; Dei ſpecioſa ſit omnipotentis abyſſus,
Scilicet! Ingenio te vertis ad omnipotentem;
Helio-ceu-tropion lucenti obvertitur aſtro:
Et genij hinc monſtras quæ ſit melioris origo,
Nec ceſſa! Tandem monſtrabit conditor ævi,
Vnde queas meritos aſſumere dignus honores.

L. M. Q.

M. STEPHANUS Clok.

Præſtantißimo & literatiſſimo,

DN. JOHANNI SEDORFFIO Philoſophicè diſputaturo.

OMNIA poſſe DEUM, quæ non pugnantia dicunt
Quis negat? hoc omnes uno ſani ore fatentur.

Gratulor

Gratulor ergo tibi meritò dulciſſime amice
Hoc dum defendis docto *ſub* præſide: *laudo*
Conatus, tu perge tuam pertexere telam,
Hinc tibi ſurget honos, tibi clarum nomen Apollo
Conferet atq; decus patriæ te ritè creabit.

Paucis hiſce αὐθχεδ. gratulatur
M. GERHARD. HERMAN. Vphoff
Vnnâ-Weſtph.

NOn DEVS eſt Numen Parcarum carcere clauſum,
Stoicus ut blaterat qui ratione caret.
Sed *Deus omnipotens*, rerumq; *creator* & *auctor*,
Conſervatq; ſuâ cuncta creata manu.
Pluribus id verbis paſſim ſacra Biblia nobis
Demonſtrant; nec non res facit ipſa fidem.
Dicis idem meritò popularis amande, *Sedorfi*,
Pulpita dum ſcandis Præſide *Clotzenio*
Pneumaticam luſtrans ſtudio, curaq; fideli,
Stoicus ut dubitet, tu tamen illa probas.
Perge ita Muſarum flos præſtantiſsime, perge,
Ingenij ſpecimen ſic dabis ipſe tui,
Sic & eris quondam Patriæ laudiq; decoriq;
Præmia ſic etiam digna labore feres.

Dn: Sympatriotæ meo ſingulariter
dilecto αὐθχεδιως ſ.
GEORGIUS GOTSCHALCIUS
Pritzvv. March.

Σῳ Θεῷ.

Disputatio Septima Pneumatica,

DE

OMNIPOTENTIA,

ET ACTIBUS EJUSDEM,

CREATIONE NEMPE, CONSERVATIONE ET CONCURSU, DEI.

RESPONDENTE,

JOHANNE SEDORFFIO
Pritzwaldensi-Marchico.

Thesis I.

EX infinita Dei perfectione fluit *VII. Omnipotentia* ejusdem: In cujus enodatione videbo *I. Distinctionem nominis. II. Existentiam III. Essentiam IV. Objectum, V. Divisionem, VI. Actus sive operationes ejusdem.*

2. *Distinctio nominis* (in præsenti) talis esto: Nomen potentiæ sumitur 1. *improprie* & intelligitur solum *de potentia passivâ*: Quo sensu materia primo vulgo dicitur δύναμις, ab Arist. *l. 5. Metaph. c. 2. l. 1. Φ. c. 9. t. 82. & alibi.* Itemq; Actus dicitur purus, qui depuratus est ab omni potentiâ, potêtiâ, inquam (non activâ quam in se modo eminentiori involvit sed) passivâ. 2. *magis proprie pro potêtia activâ*: Quæ significatio congruit cũ primâ vocis origine & impositione; Vox enim potentiæ imposita est primo à potentia hominum uti notat Bello Visius *in Lex. term. philos. tract. 2. cap. 8.* ad denotandum potentiam κατ' ἐξοχὴν activam &

imperiosam: Ille enim inter homines potens dicebatur, qui facere poterat, quod volebat, sine aliis & sine impedimento, Unde etiamnum *potentem* vulgo dicimus qui potest (non pati sed) agere, der etwas kann oder vermag. Cum igitur de Deo sermo est, nō potest intelligi potentia passiva, quia illa Deo tanquam actui purissimo omnino repugnat, uti monstravi *disp. 5. Pneumat. th. 8.* sed activa. Ideoque

3. *II. Existentia potentiæ activæ* in Deo colligitur *I. Ex perfectione Dei:* Potentia activa (ad agendum *extra se*, nam potentia activa ad agendum *in se* dicit imperfectionem potentiæ receptivæ in ordine ad actus immanentes) dicit magnam perfectionem, sine ullâ imperfectione: Operari namque seu posse operari perfectio est, Unde: Quo res magis est activa, eo est perfectior, & contra, quo magis est ab activitate remota, eo est imperfectior, uti v. g. *materia prima* vulgo dicitur Ens imperfectissimum, quia nulla omnino agendi potentia est præditum, At omnis perfectio simplex quæ imperfectionem non involvit, in Deo, tanquam Ente perfectissimo reperitur. *II. Ex actibus Dei intrinsecis*: Actio transiens supponit agendi potentiam; Nihil enim agit nisi quod possit agere; At Deo conveniunt actus transeuntes, creatio v. g. conservatio, & concursus Ergo.

4 Porro: *Existentia potentiæ passivæ infinitæ sive omnipotentiæ* confirmatur. *I. Ex infinita Dei perfectione*; Omnia attributa in Deo sunt perfectissima: Ergo etiam potentia erit perfectissima, sive ratione intensionis ob modum agendi infinitum & perfectissimum, sive ratione extensionis, ad infinita objecta possibilia. *II Ex infinitate essentiæ*: Modus agendi sequitur modum essendi, Ideoque: Quod in essendo est infinitum, est infinitum in agendo At Deus in essendo est infinitus. Ergo. *III. Ex Creatione*: Creatio arguit virtutem agendi infinitam in creante, non tam ob latitudinem objecti creabilis, quam ob modum agendi infinitum, de quo me prolixius vidi *disp. 5 Pneumat. th. 5.* quam repete: Non igitur est, unde patulas aures præbeam illis, quibus insufficiens & minus certum videtur *ab effectu* colligere omnipotentiam Dei, quia nullus effectus sit sufficiens ejus testimonium, eo quod ille finitus sit, potentia vero divina infinita, uti disputavere *Ockamus*, *Gregorius*,

rius, Petrus Aliacensis &c. apud Excell. Dn D. Jacob. Martin. *lib. 2. exercit. M. 4. theor. 15. p. 859.* Esto enim! Sint effectus finiti qui à Deo producuntur, quia tamen ex illis poteris devehi in modum producendi eos infinitum & potentissimum, non inepte etiam inde cognosces infinitam in Deo agendi virtutem. *IV. Ab absurdo:* Si potentia divina non esset infinita necessario esset finita, Ergo id esset vel propter incapacitatem essentiæ divinæ, quæ tantam & non majorem potentiam agendi posset recipere, vel propter voluntatem causæ se superioris, tantam & non majorem potentiam conferentis: Quicquid enim finitum est, vel propter suam incapacitatem, quæ majores perfectiones non admittit, vel propter efficientis voluntatem est finitum. Atqui in Deo neque est incapacitas essentiæ ad recipiendum potentiam infinitam, eo quod essentia ejus est maxime infinita, neque est superioritas causæ, quæ finitam potentiam largiatur, eò quod Deus est independens. Ergo.

5. Et hæc omnipotentia Dei Ethnicis omnino ignota non fuit, *Nihil* enim *est, quod Deus efficere non possit & quidem sine labore ullo*, ait Cicero *lib. 3. de Nat. Deor.* Itemque Homer. *l. 1. odyss.* θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται Et noti sunt *Agathonis* versus apud Arist. *l. 6. Ethic. Nicom. c. 2.*

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται
Ἀγένητα ποιεῖν ἃ ὃν ἂν ἢ πεπραγμένα

Hoc etiam ipse Deus solo carere videtur,
Infectum ut faciat, quod factum est, atq; peractum,

Unde etiam per *Janum effictum* quadrato lapide ab exili basi in altum surgente Dei potentiam antiquitus voluere significare, quod sc. ille nec pedibus nec manibus egeat, sed nutu solo omnia possit vel facere vel tremefacere, uti refert. Pier. Valer. *lib. 35.* Jovem quoque effigiarunt, lævâ sceptrum, dexterâ vero modo aquilam modo victoriam, gestantem, ut indicarent omnia illi subjecta esse, nihilque à quo vinci possit, reperiri, ut testatur Ludov. Vives *lib. 4. de Civit. Dei cap. 17.* Aristotelis sententia quæ fuerit in hac re, non omnino constat, Confer Javell *l. 12. Met. quæst. 20.* Conimbr. *l. 8. ph. cap. 10. q. 3. art. 2.* Thom. *part. 1 q. 15. art. 2.*

6. *III. Essentiam* omnipotentiæ sic explico: *Omnipotentia est attributum Dei, quo omnia, quæ non involvunt repugnantiam facere posse intelligitur.*

7. Duo in hac definitione invenio I. Omnipotentiam *esse attributum Dei, II. Factivam omnium* possibilum: Illud est q. materiale, in quo cum reliquis attributis divinis convenire intelligitur: Hoc vero quasi formale, per quod omnipotentia constitui concipitur in esse potentiæ & ita à reliquis attributis distingui: Notandum autem: 1. *Formale illud non esse in aliquo superaddito reali ad essentiam Dei, ideoq; non esse in illo per modum potentiæ prædicamentalis, sed realiter identificari cum essentia divina:* Quia perfectio ejus summa non admittit aliquod superadditum, eo quod ille eminentissimo modo præhabeat omnes perfectiones, quæ aliàs ei ex additione alicujus accidentis accedere potuissent, Et sic neque agnoscit potentiam sibi superadditam, ratione cujus constituatur essentia Dei *in esse* essentiæ *potentis*, quia aliàs *ex se* perfectissimè potest id, quod posset beneficio accidentis potentiæ. *Potentia igitur divina nihil aliud est, quam essentia divina*, ita tamen ut in illo *conceptu absoluto essentiæ* sese præcisè non absolvat, sed ulterius aliquid ratione distinctum superaddat, *in quo nos formalitatem potentiæ collocamus* quod est *esse factivum*: Quando enim in Deo cognoscere volo potentiam ejus, duobus quasi utor conceptibus, primò concipio essentiam Dei, verum quia illa nudè apprehensa nondum mihi exhibet formalitatem potentiæ divinæ, ulterius in illa investigo id quod essentiam divinam constituat in ratione essentiæ *potentis*, & est *esse factivum omnium possibilium*, Indeque hoc formale ut aliquid (ratione) superadditum essentiæ divinæ intelligo quod tamen in re non est aliquid ab ea diversum sed prorsus idem cum illa, eò quod essentia Dei *sine ullo addito* ex se involvat perfectionem *potentiæ activæ* &c. *Summatim igitur*: Potentia Dei est nihil aliud quam essentia ejus cognita cum activitate eorum quæ possibilia sunt. Hinc colligo *II. Formalitatem potentiæ Dei non esse intellectum vel voluntatem Dei:* Quia alius est conceptus intellectus alius voluntatis, alius potentiæ: Intellectus n. apprehenditur ut dirigens & cognoscens, voluntas ut imperans, potentia ut exequens: Illi autem conceptus formaliter non coincidunt, neque sine fundamento

mento in re dispescuntur ita: *In nobis enim* inquit Thomas *part. 1. quæst. 19. art. 4. ad 4. Scientia est causa ut dirigens, voluntas ut imperans, potentia ut exequens, & immediatum principium operationis*: Unde occasionem habet ratio ea distinguendi quoque in Deo. *Observ. autem:* Me notanter loqui *de distinctione formali*: Quia, loquendo de distinctione reali non differunt, Una enim & eadem res est simplicissima, quæ dicitur in Deo vel intellectus, vel voluntas, vel potentia, quam tamen, quia unico conceptu apprehendere non possum tribus inadæquatis conceptibus apprehendo, indeq; unum ab alio dispesco.

8. IV. Circa *objectum* videbo *I. objectum positivum* sive id quod à Deo fieri potest. *II. negativum*, sive id quod à Deo fieri non potest. *Objectum* omnipotentiæ divinæ positivum est *omne possibile*; Possibile autem potest dupliciter intelligi, uti colligo ex Thoma *p. 1. quæst. 25. art. 3. 1. relativè* in ordine ad potentiam activam, Et ita possibile dicitur quod ab aliquâ potentiâ actuari, adeoque è potentia (objectivâ) extrahi potest; Et ita si intelligas possibile non satis explicas, quid possit Deus; Quando enim dicis Deum posse omne possibile, hoc sensu dices Deum posse omne id quod potest à potentia divina actuari id est, Deum posse omne id quod potest: Quæ ridicula est nugatio. Unde etiam Francciſc. Valles, *l. de sacr. Philos. c. 1. p. 17.* scitè disputat possibile per ordinem ad potentiam definiendum non esse: Scibile enim inquit, non dicitur ad scientiam scientis, neque pulcrum ad bonitatem volentis, sed simpliciter scibile illud dicitur, quod *in se* habet potentiam ut sciri possit, pulcrum, quod *in se* tale est, ut amari possit, Unde etiam possibile non per ordinem ad potentiam definiri debet, sed id dici quod in se tale est ut esse possit. Ideoque *II. Possibile potest intelligi absolute* (sine relatione ad potentiam) de eo, quod non habet *in se se* repugnantiam ut esse possit, indeque habet rationem factibilitatis (ut loquuntur) Et illud dicimus objectum divinæ potentiæ, quod probo ita: *Quod ex intrinsecâ suâ ratione potest esse, etiam per Dei potentiam potest esse, & sic est objectum ejusdem*: Alias enim defectus esset (non in re producibili, sed) in producente, sive potentia agente quæ illud producere non posset: In divina autem potentia nullus est defectus: *Atqui, omne possibile, h. e.*

illud, quod non involvit, repugnantiam ad esse, ex intrinsecâ sui ratione potest esse: Sicut enim illud dicit solum repugnantiam ad esse, quod in sese & ex intrinsecâ sui ratione tale est, ut non possit esse; Ita è contra illud quod dicit non repugnantiam ad esse, ex intrinsecâ sua ratione potest esse: *Ergo omne possibile, hoc est, illud quod non involvit repugnantiam ad esse, per Dei potentiam potest esse.*

9. Hinc colligo seqq. Theoremata: *I. Deus potest facere plura quam fecit:* quod tamen à Calvino negatum asserere vult Gregor. de Valent. *disp. 1. quæst. 28. punct. 3.* Quia non involvit contradictionem, esse plura præter ea, quæ facta sunt; Non enim repugnat (aut ostendatur illud) esse plures mundos præter unicum, qui creatus est, esse plures angelos, vel plures cœlos, quam nunc sunt, &c. *Et sane:* Si potentia Dei solum extenderetur ad ea quæ facta sunt, esset illa jam penitus exhausta & finita, eò quod illa, quæ producta, sunt, finita sint, quod tamen dicere nefas est, Confer *thes. 4.*

10. *II. Deus potest facere meliora & perfectiora his, quæ fecit:* Observa autem: Melius aliquid posse fieri vel ratione sui vel ratione alterius: Ulterius: Melius ratione sui aliquid fieri dicitur vel in essentia vel in accidentalibus perfectionibus: Certum autem *I. Deum eandem rem non posse facere meliorem in essentia, manente scl. eadem re*: Quia id involvit repugnantiam, Ea autem quæ repugnantiam dicunt à Deo fieri non possunt, ut mox monstrabitur: Patet antecedens: Quia melioratio rei non est destructio sive corruptio ejusdem: Res enim melior fieri dicitur non cum destruitur sed perficitur: At melioratio in essentia est corruptio rei: E. melioratio in essentia non est melioratio, quod repugnat. Minor probatur: Quia melioratio in essentia non potest intelligi, quod fiat aliter nisi vel per additionem perfectioris essentiæ ad priorem vel per diminutionem sive remotionem imperfectioris: At quicquid ex illis fiat, semper fit cum destructione essentiæ prioris: Essentia enim cujusvis rei est in indivisibili, ut neque additionem neque diminutionem ullius admittere possit, Uti v. g. *essentia* bovis non potest fieri melior in ratione essentiæ, si enim illi (per impossibile) addatur essentia perfectior v. g. hominis, jam non erit melioratio

ſtoratio ſed potiùs deſtructio eſſentiæ bovinæ. Quia fit non manebit bovina ſed fiet humana: *Poteſt hoc declarari exemplo Ulnæ*, quæ in eſſe formali ulnæ (non materiali ligni) non poteſt dividi, indeque ſi quid addas illi, vel demas ab illa, non manet amplius ulna. Et in hunc ſenſum loquitur Scalig. *exercit. 249. ſect. 2. Perfectum eſt cui nihil addi poteſt: Perpetuo igitur illud erit, cui ne adimi quidem quicquam, deniq; in quo nihil eſſentiæ mutari queat; Mundum eſſe perfectum præter Ariſtotelis atq; Platonis autoritates opificis quoq; perfectio cogit credere: Quo fit ut neq; ad ejus augmentum acceſſioni, neq; ad diminutionem deceſſioni locus ſit.* Adde *ejusd. exercit. ſect. 3.* *II. Deum eandem rem poſſe meliorem facere in accidentibus manente eadem re*: Patet: Quia id non involvit repugnantiam ullam: ſicut enim videmus naturam poſſe eandem rem in accidentibus meliorem facere quando v. g. ex indocto facit doctum, ex ignorante ſcientem &c. ita illud Deo non denegamus: Ideoque potuiſſet ille hominem creare perfectiorem in intelligendo, acutiorem in ſentiendo, promptiorem in locomotivâ, majorem in quantitate &c. *III. Deum poſſe res alias facere meliores his quas fecit ſive in eſſentia ſive in accidentibus*: Quia id non involvit repugnantiam: Non enim repugnat eſſe Angelos perfectiores illis qui jam exiſtunt, aut aliam naturam intelligentem meliorem ijs quæ nunc ſunt, aut mundum qui contineat ſpecies perfectiores eo, in quo nos degimus. &c. At quæ repugnantiam non involvunt à Deo fieri poſſunt.

II. *III. Deus poteſt ſe ſolo producere actus effectivos à naturâ ortos, & omnia ea quæ à cauſis ſecundis producuntur* (modo in ſe non involvant connotentve imperfectionem) *ita tamen ut ea producat non in ſe (quia id repugnat, ut ſtatim videbo) ſed in creaturis*: Uti v. g. Deus in ſe quidem non poteſt ambulandi actum producere, poteſt tamen illum ſe ſolo efficere in creaturâ, in ſe quidem non poteſt loqui, loquendi tamen actum in aliis producere eſt efficax: *Et patet:* 1. Quia id non dicit repugnantiam: E. etiam non exſuperat Dei potentiam, 2. Virtus integrè & ſe ſolâ effectiva illorum actuum eſt perfectio ſimpliciter, E. Deo tribuenda. 3. Creaturæ à Deo habent eſſentiam. E. & potentiam ad quosvis actus. E. in Deo quoq; erit potentia ad actus iſtos ſaltem virtualiter, ita ut non

ſolum

ſolum potentiam ipſam in creatura ſed etiam actus exercere poſſit. Res in dubia.

12. *IV. Deus poteſt facere ea quæ ſunt ſupra naturam*: Ubi notandum: Effectus ſupernaturales poſſe eſſe in duplici diſcrimine: Nam *1. Quidam dicuntur ſupernaturales quoad fieri & eſſe*, qui quoad eſſentiam ſuam nulla ratione à cauſis ſecundis & ſecundum conſuetum naturæ curſum poſſunt produci, ut ſunt v. g. unio hypoſtatica gratia Dei ſupernaturalis &c. 2. *Quidam ſunt ſupernaturales quoad fieri ſive modum producendi ſolum*, quorum eſſentia quidem naturaliter à cauſis ſecundis produci poteſt, à Deo tamen illa modo ſupernaturali producitur ut eſt v. g. reſtitutio viſus in cæco, reſurrectio mortuorum &c. viſus enim homini naturalis eſt, cum tamen ille cæco reſtituitur dicitur effectus ſupernaturalis, quia per naturam illum recipere non poterat, ſed modo ſupernaturali in illo denuo producitur. *Dicendum autem, quod Deus utrumq; effectum attingere poßit*: Ut patet: Quia nullum eſt repugnantiæ indicium, quare eos Deus producere non poſſit, licet enim illi non ſubjaceant potentiæ creatæ & finitæ, potentiæ tamen infinitæ omnino ſubjacent, quippe quæ omnia poteſt, quæ in ſe non dicunt repugnantiam ad eſſe. Et *ex hoc principio Athei illi* qui articulos fidei aut reliqua miracula in ſacra ſcripturâ contenta vel impugnant, vel poſſibilia negant, *urgeri ſaltem poſſunt, ut concedant ea potentiæ divinæ impoßibilia non eſſe. Ubi tamen diffitendum non eſt*: Rationem non illuminatam propter ſuam imperfectionem ſæpe non videre non repugnantiam illam ſive poſſibilitatem myſteriorum, ſed potius (uti prô dolor monſtrat experientia) in illis quandam repugnantiam ad eſſe concipere, indeque illa impoſſibilia judicare: Ubi tamen illa ideo impoſſibilia non ſunt, quia non illa ſunt impoſſibilia quæ ratio talia putat eſſe, ſed quæ in ſe talia ſunt ſed paulo poſt videbo.

13. *Quæris* Anne ergo ex lumine naturæ poſſimus devenire in cognitionem actuum iſtorum ſupernaturalium. *Reſp.* Potentia agendi infinita ex parte Dei, & poſſibilitas exiſtendi ex parte objecti ex lumine nature cognoſci poteſt: Verum operatio ipſa ex parte agentis & inde conſequens exiſtentia objecti actualis non niſi à fide inſtructo colligi poteſt. Novit quidem vel ſaltem noſſe poteſt.

potest Ethnicus, non esse impossibilem v. g. generationem hominis ex fœminâ sine operâ viri, si accedat Dei potentia infinita, verum quod talis generatio aliquando facta sit neutiquam ille colligere potest. *Deinde & hoc addito*: Ethnicum vix devenire posse *in notitiam* apprehensivam effectuum mere supernaturalium, tam quoad esse, quam quoad fieri sive modum producendi, Neque enim ille novit v. g. vel ex ullo indicio luminis naturæ facile nosse potest, esse possibilem unionem hyppstaticam, & licet ipse devenerit in notitiam eorum aliunde, difficulter cognoscit, esse in illis non repugnantiam illam, sed sæpius ex cæco rationis impetu repugnantiam illis inesse existimat.

13. *V. Deus potest facere ea quæ nunquam vult facere*. Hanc assertionem pono propter eos, qui dicunt Deum ideo esse omnipotentem, quia possit omnia quæ vult, & ita nimis angustos limites ponunt porentiæ divinæ: Licet enim Deus omnia possit quæ vult, potest attamen & ea, quæ non vult: *Ratio*: Quia voluntas Dei, ut refertur ad ea quæ sunt extra illam, semper infert esse rerum actuale, indeque, quicquid Deus dicitur velle, illud etiam facit; At potentia Dei non refertur ad esse rerum actuale sed solum possibile: Indeque: Non, quicquid Deus dicitur posse, illud etiam facit; Alias enim, Potentia Dei quia non facit plura, non posset plura, & sic finita esset & exhausta, quod ἄτοπον *Et in hoc præcipue etiam consistit discrimen potentiæ & voluntatis*, ut posse dicatur Deus etiam ea, quæ non vult producere, velle autem non nisi ea, quæ actu producenda sunt: Cur enim v. g. Deus non facit ex lapidibus panes, & ex omni aqua vinum, An quia non potest? Non sane: Quia lapides habent potentiam obedientialem ut ex iis possint fieri panes, ut & aqua in se habet potentiam illam ut ex ea fieri possit vinum: E à Deo illa fieri possunt: Ergo est inde, quia non vult ex lapidibus panes fieri &c.

14. *II. Objectum negativum* sive id quod à Deo fieri non potest, *est omne Impossibile*: Ubi notandum Impossibile posse diversimode intelligi: I. Impossibile aliquid dicitur *vel ex defectu potentiæ agentis*, quod (licet in se fieri possit, attamen) propter imperfectionem & finitatem potentiæ produci nequit: *vel ex defectu objecti*, quod in se & ex intrinsecâ suâ ratione tale est, ut dicat repu-

gnantiam ad esse, & sic fieri non possit: Priori modo Deo nihil est Impossibile, non enim ideo hoc vel illud impossibile est, quia in Dei potentia defectus sit ad producendum illud, sed solum posteriori, quia in illo, quod impossibile dicitur, repugnantia est ad esse, ut ita produci nequeat, ex defectu sui, quo esse non potest, & si ille defectus sive repugnantia non esset in eo, potentia divina quoque firma & valens esset ad producendum illud. *Aliter*: Impossibile est aliquid *vel in ordine ad potentiam creatam*, quod à creatura non potest produci propter finitatem potentiæ quæ est in eâ: qua ratione impossibile est, ut res creetur ex nihilo, ut virgo pariat &c. *vel in ordine ad potentiam simpliciter*, quod à nulla & sic etiam nec à divina potentia actuari potest, quia ex sese dicit repugnantiam ad esse, Et hoc modo de Impossibili hic loquimur, non priori: Si enim illud quoque Deo esset impossibile, quod creaturæ, jam revera potentia divina non esset infinita, nec omnipotentia, sed pariter, ac potentia creaturarum, finita esset, quod dicendum non est.

15. II. Impossibile aliquid dicitur *vel in se & ratione sui, vel ratione intellectus (creati) judicantis illud esse impossibile:* Illud revera est impossibile: Hoc vero non est tale nisi priori correspondeat: *Non, inquam, illud statim in se est impossibile, quod intellectus noster impossibile judicat:* Ratio est: 1. Quia intellectus noster non est mensura mensurans impossibile sive ratio cur aliquid dicatur impossibile, sed potius mensuratus ab illo: Non enim, quia intellectus cognoscit impossibile, est tale, sed quia aliàs impossibile esse præsupponitur, ab illo etiam ita cognoscitur: Sicut è contra: Res dicitur possibilis, non ideo, quia eam intellectus possibilem judicat, sed quia alias in sese possibilis erat: Intellectus enim noster in cognitione dependet ab objecto cognito & mensuratur juxta illud, non contra objectum dependet aut mensuratur ab illo. Hinc infero: 2. Sicut intellectus sæpe errat in apprehensione possibilium & entium ut illa falso cognoscat, cur etiam non posset errare in cognitione non entium & impossibilium, & illud dicere impossibile, quod in se est possibile; 3. Sicut ratio non potest cognoscere infinitam Dei essentiam ita etiam nequit cognoscere infinitam Dei potentiam, quidditativè & adæquate, & sic etiam multa ab illo

illo sunt producibilia quæ nobis videntur improducibilia: Non profero jam ea quæ diserte scriptura circa hæc ad elevandam Dei potentiam innuit, quia peculiari consilio ab iis abstineo quæ è scriptura poterant ad conlustrandas nostras sive hic sive alibi assertiones Pneumaticas afferri: Propositum namque est hic de spiritibus disserere ut *solo* naturæ lumine sunt cognoscibiles; *Error igitur turpis est eorum*, qui temere & satis leviter secundum sui intellectus finitatem, infinitam Dei potentiam metiri, & de illa has vel similes formas sat temere adhibere soliti: *Dei potentiam hoc vel illud non posse facere: Deum omni suâ potentia hoc vel illud non posse &c.* Quasi vero tu posses omnipotentiam Dei infinitam finitâ tua & cæca ratione mensurare? Quasi vero aliquando non posses errare, ut illud judices esse impossibile quod non est tale? Quasi non sint aliqua è possibilium numero quæ intellectus tuus capere non possit?

16. Summatim igitur: *Impossibile illud est*, quod (neq; propter defectum potentiæ creatæ, neque propter judicium intellectus nostri sed) *propter intrinsecam repugnantiam sui ad esse, fieri non potest*; Et sic etiam à Deo fieri nequit.

17. Hinc colligo specialius *I. Deum non posse facere alium Deum*: Quia hoc dicit repugnantiam: Ille namque creatus Deus, esset Deus & non esset: Esset (ex hypothesi illâ quia Deus producendus esset:) Non esset, Quia creatus esset & dependens à suo producente: At de ratione Dei est esse increatum & independens

18. *II. Deum non posse facere ut factum sit infectum, præteritum non sit præteritum*: Dicit enim hoc manifestam repugnantiam, factum esse & tamen non factum esse &c. *Observandum tamen*: Intelligendum id esse de præterito ut præteritum est (in sensu composito) non de re quæ præterita est (in sensu diviso) E. g. Præteritum quidem est, Mundum esse creatum, potuisset tamen Deus ex libertate arbitrij sui mundum non creare, eo ipso tamen, quando supponitur mundum creatum esse, non potest fieri à Deo, ut sit non creatus.

19. *III. Deus non potest ea, quæ dicunt imperfectionem*: Quia de ratione Dei est esse perfectissimum Ens, quod omnem imperfe-

ctionem removeat: At si Deus ea quoque posset, quæ imperfectionem notant, non esset utique perfectus sed imperfectus. *Adde*: Potentiam activam ex sese ad imperfectiones non extendi, sed solum id fieri ideo, quia imperfectionibus conjuncta est: Et sic etiam Dei potentia extendi eo non poterit: Hinc specialius:

20. *IV. Deus non potest in sese producere actus effectivos, qui dicunt imperfectionem, aut eam supponunt*: Sic v. g. Deus non potest crescere, augeri, nutriri &c. Quia illa in re cui tribuuntur multiformem notant imperfectionem: Res enim v. g. crescere dicitur vel in quantitate, cui deest quantitas à natura debita, vel in quantitate cui desunt perfectiones &c. At Deo nihil deest perfectionis formalis. Merito igitur rideatur Timplerus, qui *lib. 4. Met. c. 2. q. 19.* eò quod Deus hos actus naturales imperfectos exerere non possit, omnipotentiam Dei labefactare audet.

21. *V. Deus non potest in creaturâ exerere causalitatem materiæ*, in genere causæ materialis, formas corporum naturalium recipientis, uti inepte asseruit quidam *David de Dynando*, qui materiam primam & Deum nihil differre dixit, uti refert & refutat Thom. *p. 1. q. 3. art. 8.* Colleg. Conimbr. *l. 1. phys. c. 9 q. 3. art. 3.* Quia materia prima est Ens fere imperfectissimum: At Deus contra perfectissimum. 2. Materia prima est Ens corporeum: Deus incorporeum. *3.* Est Ens incompletum & partiale, Deus vero totale, *4.* Est Ens potentiale, Deus vero purissimè actuale: Imo (præter conceptum entis & substantiæ) nihil fermc est in materia prima quod cum Deo dicat convenientiam. Illa igitur simul stare nequeunt, & sic manifestissimam dicit contradictionem Deum esse Deum, & esse ma teriam.

22 *VI. Deus non potest in creaturâ exerere causalitatem formæ in genere causæ formalis* materiam informantis & constituentis cõpositum: Quia involvat repugnantiam Deum esse Deum & tamen esse formam: Forma enim est Ens incompletum & partiale suâ natura ordinatum ad complendam essentiam alterius, indeq; porro est Ens dependens tam à causa componente, quam etiam à composito; At repugnat hæc de Deo dicere. Ergo. Unde non est ut probes, *Errorem illorum qui Deum dixere animam mundi*, uti Varronem statuisse refert August. *l. 7. de civit. Dei c. 6.* si de animâ proprie sic dicta intelligi debeat. Alias Metaphoricè si Deus dica-

tur

tur anima eò quod intime sit in rebus omnibus & omnibus esse conferat (non formaliter, sed) effectivè sententia quidem vera esset, attamen corrigenda locutio uti inquit ad hanc rem Suaretz *disp. 30. Metaph. s. 4. n. 14.*

23. *VII. Deus non potest peccare, mori, corrumpi, aliosve defectus in se admittere:* Quia sic Deus esset manifeste impotens, & tamen (quia Deus) esset omnipotens, quod dicit repugnantiam: Impotens esset, partim quia in agendo non ageret secundùm rectæ rationis normam, ideoque deficeret, si peccaret, partim quia potentiam passivam in se haberet, si imperfectissimas istas passiones, mortem v. g aut corruptionem recipere posset: *Omnipotentia itaq; divina extendi nequit ad passiones istas & defectus, sed solum extenditur ad actiones:* omnipotentem namque dicimus (non eum qui omnia pati aut qui deficere sed) eum quia omnia agere aut producere potest: quod ἐμφατικωτέρως exprimit vox Germanica Allmechtig. Insaniæ igitur proximus fuit Plinius quando *lib. 2. natur. hist. c. 7.* impiè scripsit: *Imperfecta in homine naturæ præcipua solatia ne Deum quidem posse omnia. Namq; nec sibi potest mortem consciscere si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis, nec mortales æternitate donare, aut revocare defunctos, nec facere ut qui vixit non vixerit, qui honores gessit, non gesserit, nullumq; habere in præterita jus præterquam oblivionis, atq; ut bis dena viginti non sint, ac nulla similiter efficere non posse.* Quibus verbis quomodo deroget divinæ potentiæ nemo non videt.

24. *V. Divisio* potentiæ divinæ *à parte rei nulla est*, propter identitatem, quam habet cum simplicissima essentia Dei, potest tamen ratio nostra illam juxta diversos quasi agendi modos aut actus distinguere: *I. In absolutam & ordinatam*: Illa dicitur quæ simpliciter omnia potest, quæ repugnantiam non involvunt, qua ratione v. g. potest hominem conservare sine alimento, aut creare ex nihilo, aut salvare sine mediis &c. Hæc vero est, juxta quam (non simpliciter omnia sed) ea solum agit quæ conformia sunt ordini & legibus à se statutis: sic hac ratione conservat hominem, qui assumit alimenta, & salvum facit per media à se destinata &c. II In *creantem*, quæ creationis, *conservantem*, quæ conservationis, & *concurrentem*, quæ concursus actum absolvere dicitur.

25. *VI. Actus potentiæ divinæ* præcipue tres invenio *I. Creationem, II. Conservationem, III. Concursum:* De quibus antequam distinctè agam, præmitto *Quomodo differant ab invicem,* Ubi notandum Actus illos vel posse considerari ut sunt ex parte Dei, vel ut sunt ab illo ex parte rei creatæ: Priori modo dico. I. *Actus illi realiter identificantur cum essentia Dei*: Quia nihil aliud sunt à parte Dei, quam ejus volitio, uti videbo sigillatim in tractatione specialì: At volitio est realiter eadem cum essentia Dei: Dico *II. Actus illi ratione diversificantur ab essentia Dei & ab invicem*: *Ab essentia Dei,* quia dicunt eam ut inadæquate apprehensam cum volitionis executione: *Ab invicem:* Quia volitio Dei ut tendit ad esse simpliciter dicitur *Creatio*, ut ad continuatum Esse, *Conservatio*, ut ad actionem, *Concursus:* Posteriori modo dico *III. Creatio & conservatio* in re creata non sunt *realiter diversæ*, Quia creatio (uti illa est ex parte rei creatæ) nihil dicit aliud quam ipsam essentiam creaturæ uti illa pendet secundum se totam *in fieri* à Deo: Conservatio quoque (ex parte rei creatæ) dicit essentiam creaturæ uti illa pendet à Deo in facto esse: Ideoque conservatio nihil est aliud, quam creationis continuatio sive permansio, creatio namque dicit initium τοῦ Esse, conservatio vero continuat iliud: At permansio in esse non addit novam Entitatem ad esse eò quod intime in ipso Esse involvitur, Confer Thom. *part. 1. quæst. 104. art. 1.* Suaretz *disp. 20. Met. sect. 2. num. 4.* Dico IV. *Creatio & conservatio in re creata sunt ratione distinctæ:* Una enim & eadem res est quæ dicitur creatio & conservatio dispescitur tamen illa à ratione, & accipit diversas denominationes, Diciturque Creatio, quatenus respicit ipsum rei fieri, Conservatio quatenus esse continuatum: Et sic habent diversos quasi terminos: Dico VI *Concursus differt à creatione & conservatione in re creata realiter*: Creatio enim & conservatio dicunt (ex parte rei creatæ) præcisè essentiam rei: ejusque dependentiam: Concursus autem (uti ille est à parte rei creatæ) dicit actionem ejusque dependentiam: At dependentia essentiæ & actionis realiter differunt, non aliter uti differunt essentia & actio.

26. Et hinc patet: *Quo ordine de istis actibus sit agendum? Creatio enim est omnium prima,* quia illa rem è potentia objectiva deducit

ducit ad esse actuale, indeque per illam primo res incipit esse: *Postea sequitur conservatio*: Quia res, postquam accepit esse per creationem, indiget porro influxu quodam continuo, quo conservetur in esse, propter dependentiam quam habet ad primam causam: *Tertio sequitur Concursus*: Quia enim res creatæ sunt propter suam operationem, eamque, sicut essentiam, habent dependenter à primâ causâ, indigent porro influxu ad illam, qui fit per concursum. Itaque,

27. *De Creatione* primò: Ubi videbo: *I. Vocis ambiguitatem II. Existentiam, III. Essentiam, IV. Tempus.*

28. I. *Æquivocatio* nominis varia est: Nam I. Creatio generaliter sumitur pro cujusvis rei productione, 2. pro productione rei ex nihilo uti hoc loco: II. Creatio hoc modo vel dicitur de effectione rei subsistentis ex nihilo, qua ratione solum substantiæ creantur, vel 2. generalius de effectione rei omnis sive subsistentis sive inhærentis ex nihilo: vide Conimbr. *lib. 8. Phys. c. 2. quæst.* 1. III. Creare vel significat aliquid ex nihilo facere, vel sine materiæ dispositione facere, apud Valles. *lib. Sacr. Philos. c. 1. p. 19.* Utra acceptio placeat patebit in progressu.

29. II. *Existentia* certa est de fide, verum *anne* illa *per rationem cognoscibilis sit dubitatur:* Ego duo dico *I. Creationem possibilem esse, ut fieri queat a prima causa, 1. ob infinitatem essentiæ divinæ*: Quod est independens in essendo illud est quoque independens in operando, etiam à concursu causæ materialis: Uti enim res se habet in esse ita quoque in operari: Deus autem est independens in essendo E. etiam in agendo. E. etiam à concursu causæ materialis non dependet. 2. *Ob annihilationem*: Deus potest omnia è non nihilo ad nihilum deducere, suspendendo solùm influxum suum: Ergo etiam è contra potest omnia è nihilo ad non nihilum, è non esse ad esse deducere: Neque enim est minor virtus rem annihilandi quam creandi. *Antecedens patet* ex infinita Dei potentia, quæ sicut omnia potest, ita etiam rem annihilare potest. Hinc ratio persuadet creationem *3. Ob non repugnantiam:* Creatio sive productio Entis ex nihilo nullam involvit repugnantiam, vel ex parte causæ, quia potentissima est, vel ex parte effectus, quia esse potest, Ergo est possibilis ut fiat à Deo. 4. *Ob modum operandi*

creatu-

creaturarum: Creatura quicquid agit, in, & cum subjecto concurrente agit: Ergo Deus potest agere sine subjecto indeq; creare, Quia est agens creaturâ longè nobilius.

30. Dico II. *Creationem esse aliquando factam I. Ob productionem materiæ primæ ex nihilo:* Materia prima non potest habere esse improductum, Quia non possunt esse plura improducta præter unicum, quod Deum esse vidi supra: *Dein:* Materia prima est Ens imum & imperfectissimum: E. non potest habere nobilissimum existendi modum, qui est non esse productum, Erit igitur Ens productum. Ergo vel per generationem ex alia materia se priori, vel per creationem ex nihilo erit productum: Omnis enim substantia producta vel generatione vel creatione producta est: At materia prima non potuit produci per generationem: 1. Quia sic non esset prima, Et 2. Facta esset ex alia se priori materia, de qua rursum idem repeto, sitne generatione, vel creatione producta, si illud asseras repetam eandem quæstionem usque in infinitum, donec tandem te sistas in aliqua materia, quæ non ex aliâ priori præjacente sed ex nihilo facta sit: Et hanc ego intendo, indeque concludo quod producta sit per creationem: *II. Ob generationem rerum corruptibilium:* Generationes specierum non sunt actu infinitæ, sed sunt finitæ: Ergo sistendum tandem est in aliquo primo generante intra eandem speciem, quod non sit generatum: Sic v. g generationes hominum non sunt actu infinitæ, hoc enim multis modis repugnat, sed sunt finitæ, ideoque tandem devenio ad aliquod individuum hominis, quod sit primum intra eandem speciem, & causa reliquorum per generationem, non tamen generatum, Hoc igitur supposito quæro: Sitne individuum illud ex se & improductum vel productum: Illud esse non potest: Neque enim v. g. hactenus inventus est talis homo improductus: Ergo erit productum: E. vel per generationem vel per creationem: Non illud: Quia suppono illum esse ingenitum, E. per creationem: *III. Ob productionem spirituum:* Probabile est esse lumine rationis cognoscibile, quod sint Angeli: At illi quia producti sunt ex materia produci non potuerunt, Quia illam in se non habent. Ergo ex nihilo. Et hæc ratio si non universaliter convincat, saltem eos ferit qui spiritus istos admittunt. *IV. Ob Ethnicorum testimonia:*

Sic

Sic Arist. *l.* 12. *Metaph. c.* 8. fatetur esse quandam ἀρχὴν καὶ τὸ πρῶτον τῶν ὄντων sic *l.* 2. *de Gener. & Corrupt. cap* 10. *text.* 59. συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεὸς ἐπιλεχὴ ποιήσας τὴν γένεσιν. *Et lib.* 2. *Rhet. cap.* 23. asserit δαιμόνιον (si Deus non sit) esse θεοῦ ἔργον. Sic Plato *in Timæo* passim discurrit an & quomodo mundus à Deo sit productus &c.

31. *III Essentiam sic exprimo:* Creatio est actus solus Dei, quo res ex nihilo, hoc est, ex non præexistente subjecto producitur. In hac definitione occurrunt *I. Causa* à qua est, *II. Formalis ratio* per Quam *III. Terminus ad Quem*, *V. Subjectum In Quo.* De singulis brevissimè.

32. I. *Causa efficiens* creationis (rei creatæ) dicitur *esse solus Deus:* Quod ut verum esse intelligas advertè; *Causam efficientem creationis posse dupliciter intelligi: 1.* Ut principalem, 2. Ut instrumentalem: *Principalis* rursum potest accipi tripliciter: 1. *Secundum modum producendi infinitum* & prorsus independentem à causâ alia se superiori, 2. *secundum latitudinem objecti* creabilis, ut illa dicatur causa principalis creationis, quæ potest omnia objecta creabilia producere: 3. *secundum modum producendi dependentem* à causa superiori & limitatum ad certam speciem, ut illa dicatur causa principalis in creando, quæ dependet à causa prima & simul non ad omnes species creabiles, sed solũ ad definitam quandã speciem sive hominis sive Angeli producendã se extendit, &c. *Porro: Instrumentalis* causa etiãpotest dupliciter explicari: 1 *Ut Naturalis*, quæ naturâ sua sit destinata ad producendum effectum per creationem, indeq; habeat potentiã naturalem (licet instrumentariã) ad illum, quemadmodum v. g. *calor* est naturale instrumentum ignis, 2. *Ut obedientialis & elevata* ab agente superiori ad effectum talem creationis producendum, ad quem aliàs ex suâ naturâ non poscebat ordinari, uti v. g. *penna* est instrumentum obedientiale scribentis.

33. Hisce suppositis me expedio per distincta theoremata: *I. Causa principalis creationis quæ producat modo infinito & prorsus independente à causa superiore, & attingere possit totam latitudinem objecti creabilis, est solus Deus*, neque esse potest creatura: Patet: 1. Quia modus agendi infinitus & independens est solus Dei: Creatura

tura autem omnis, quia est finita & dependens in essentia, habet quoque modum agendi finitum & dependentem: 11. Tota latitudo objecti creabilis est infinita, hoc modo, ut non liceat assignare ullam speciem creatam tam perfectam, quin semper possit creari perfectior: E. supponit illa in agente virtutem infinitè perfectam.

34. Theor. II. *Causa principalis creationis, quæ dependet in creando à causa se superiori & limitata sit ad certam speciem nulla de facto existit*: Esset enim vel Deus vel creatura: *Non Deus* Quia ille nequit dependens esse in agendo, neque ad certam speciem determinatus: *Non creatura*: Quia hactenus inauditum est, fuisse talem creaturam, quæ aliquid ex nihilo produxerit: E. etiam non *est* creatura, quæ producere possit, Alias enim potentia illa frustra esset, quia in actum deducta non fuisset: Potentiæ enim sunt propter actus: Rejicitur itaque sententia *Avicennæ*, qui voluit potentiam creandi esse de facto creaturis communicatam, & sic Deũ intelligendo se, creasse aliam intelligentiam infra se, hanc rursum aliam inferiorem, quæ deinde intelligendo se ut actus est, crearit formam primi mobilis, ut v. productus est crearit materiam &c. ut prolixe refert Fonſ. *l. 5. Met. c. 2. q. 8. ſ. 1.*

35. Theor. III. *Causa principalis creationis dependens à causa prima & limitata ad certam speciem nulla etiam supernaturaliter possibilis est*: Asserto huic valde contrarii sunt Carol. Franciſc. de Abra de Racon. *in tract. de princip. corpor. sect. de Creat. quæst. 2. propoſit. 3.* David Gorlæus Ultrajectinus *exercit. Philoſ. 15 ſect. 2.* Nec diffitetur Suaretz *diſp. 20. Met. ſect. 2. num. 12.* difficilimam esse hanc assertionem ita ut cogente demonstratione vix confirmari possit, indeque prolixo discursu rationes aliorum ad hanc rem examinat, & plerasque refutat: *Ego assertionem ita confirmo*: Quicquid involvit repugnantiam non est possibile etiam per potentiam Dei: At esse causam creationis principalem, limitatam tamen ad certam solùm speciem, involvit repugnantiam. Ergo *Minor probatur*: Quia, quod ex se est indifferens & indeterminatum ad producendum non magis objectum hoc quam illud, sed potius se extendit ad omnia illud non potest esse determinatum ad certam speciem: Determinatum enim esse & non determinatum

tum esse contradictoria sunt. Atqui potentia creandi qualiscunq; illa sit ex se est indifferens ad omne objectum creabile, neque potest limitari ad unum distinctè: *Patet iterum*: Quia *illa ex parte objecti nullum habet principium determinans magis ad objectum hoc, quam illud, agit enim in nihilum & ex nihilo*: Et sic excludit omnem præsuppositam materiam aliudve subjectum, quod tamen alias determinat agens ad producendum hoc & non illud: Uti v.g. Materia equi cum dispositionibus in eâ determinat agens ad producendum formam equi; &c. Indeque porro: Materia saltem in genere determinat agens ad producendum corpus materiale. Ergo ubi materia non est neque agens determinatum est ad producendũ magis corpus materiale quam rẽ immaterialẽ (supposito quod aliquid possit producere:) & sic ex se est indifferens ad producendum utrumque neque determinatum ad unum. At potentia creandi materiam non requirit. Ergo (quod erat concludendum) potentia creandi non potest esse determinata ad certam speciem, sed potius indifferens est ad omnes: Et sic potentiã creandi dicere & tamen limitatam dicere tacitè involvit repugnantiam.

36. Theor. IV. *Causa instrumentalis naturalis, creationis nulla vel est, vel possibilis est*: qua assertio etiam est Thom. *p.* 1. *quæst.* 45. *art.* 5. & Perer. *lib.* 5. *phys. c.* 6. Et probatur: Quia si talis esset, vel maximè creatura esset (Deo enim repugnat prorsus habere rationem instrumenti) At creatura illa cujus quæso esse posset instrumentum naturale? *Non Dei*: Quia naturaliter nullo instrumento indiget ad creationem *Non creaturæ alterius creantis*: Quia creatura nulla potest esse causa principalis creationis & sic neque instrumenta adhibere ad illam: *Non sui ipsius*: Quia (præterquam quod eò quod creatura est non possit esse causa princeps,) unum & idem eodem respectu & in ordine ad eundem effectum non potest esse causa simul principalis & instrumentalis. At plura præter hæc dari non possunt, quorum in creando creatura instrumentum esse possit. Ergo. 2. Instrumentum illud esset vel substantia vel accidens: At neutrum est: *Non substantia*: Esset enim vel completa, vel incompleta: *Non completa*: Quia hæc *natura* sua non potest esse instrumentum, uti patet alibi. *Non incompleta*: Esset enim vel materia vel forma: *Non materia*: Hæc enim natura sua est ἀνενέργητος:

Non forma: Hæc enim naturaliter petit esse in composito, & perficere illud, ideoque agere per illud, omnemque agendi vim supposito deferre: E. quicquid hac ratione accidit formæ, accidit composito: At compositum non potest esse causa instrumentalis. *Non accidens*: Quia hoc sua natura solum est generationis instrumentum: Non itaque creationis: Creatio enim & generatio sunt motus oppositi (ut vulgo loquimur) *Et patet porro*: Quia modus agendi sequitur modum essendi: Indeque: Quod in essendo est à suo subjecto dependens, illud quoque in agendo dependet ab illo: At accidentia in essendo dependent â subjecto. Ergo etiam in agendo: E. non possunt naturaliter agere sine dependentia ab illo, quod tamen in creatione requiritur Confer Suaretz *d. 20. Metaph. sect. 3. n. 1. 2. 3.* Instrumentum naturale agit per aliquid sibi proprium & connaturale, ideoque semper habet potentiam naturalem (licet instrumentalem) ad productionem effectus: Ideo enim dicuntur instrumenta naturalia, quia naturalem habent inclinationem & vim ad suum effectum: At creatura nulla esse potest, quæ *naturalem* habeat sibique connatam vim licet ministerialem ad producendum effectum per creationem: Esset enim vis illa instrumentalis infinita & indeterminata, seseque extenderet ad omne creabile, *per ea quæ dicta sunt th. 35.* Sicut enim vis principalis creandi ex se indeterminata est ita etiam idem procedit de vi instrumentali, cum illa pariter non habeat principium ex parte objecti determinans eam magis ad objectum hoc quam illud: At repugnat esse talem vim instrumentalem infinitam. Plura non addo, sed pergo.

37. Theor. V. *Causa instrumentalis obedientialis & elevata â Deo ad creandum nulla possibilis esse videtur*: Assertio hæc plerisque videtur improbabilis, ideoq; impugnant eam, vide Suar. *d. 20. M. sect. 3. n. 7.* Mendoz. *disp. 12. phys. s. 7. §. 62.* Francisc. Murt. *disp. 1. super 1. de Gener. & corr. q. 6.* Carol. Francis. de Abra de Racon. *cit. supr. l. q. 2. prop. 4.* Probatur autem: Quia instrumentum obedientiale debet habere potentiam saltem aliquam illi insitam quâ possit agens principale uti ad effectus productionem: sic v. g. si in serrâ (ut instrumento obedientiali) non esset durities non posset illâ uti artifex ad dissecandum ligna &c. & requirit virtutem illi â prin-

principe agente impressam: At in creatura non est talis potentia naturalis uti visum *theor. præcd.* neque etiam esse potest virtus impressa à Deo ut inde elevetur ut instrumentum ad creandum: Quia virtus illa nō potest imprimi, nisi supponatur aptitudo in re naturalis, quæ recipiat eā & propter quā agens principale uti re illa possit ut instrumento, At aptitudo illa naturalis in creatura esse nequit vide th. præc. Unde etiam dici nequit *aptitudinē* istam unà cū virtute conferri, Addo tamen, me in re dubia, ubi mihi nondum satis fido, meliora docenti, non refragaturum.

38. *II. Formalis ratio* sive quiditas creationis in quo consistat, facile explicabitur, modo supponatur: *Creationem posse intelligi tripliciter* I. ut est actus ex parte creantis, II. ut est ipsum fieri ex parte rei creatæ III. ut est aliquid ex utroque creante sc. & creato resultans. Ideoque de formali creationis diversimode loqui possumus pro diversa ejus acceptione: Ut igitur distincte agam pono certa theoremata.

39. Theor. I. *Creatio, ut est ex parte Dei creantis, non est actio transiens:* Hæc assertio multos habet adversarios, vide Conimbr. *l. 8. phys. 2. quæst. 1. art. 3.* Suaretz *d. 20. Met sect. 5. n. 11.* Francisc. Murt. *d. 4. super 2. ph. q. 15.* &c. Patet: 1. Quia actio requirit subjectum πρυπάρχον, in quod recipiatur, uti patet ex communi illo principio, ubi Accidentis essentia dicitur inhærentia saltem aptitudinalis (quod principium frustra enervarunt plurimi) At creatio non potest habere subjectum πρυπάρχον, in quod recipiatur, 2. Actio transiens (in vulgata sententia) est accidens. At creatio non potest esse accidens, quia, uti statim dicam, identificatur cum essentiâ Dei. Ergo, *3.* Deus *seipso* & sine ullo addito potest esse creans actu. E. frustra fingitur actio quædam transiens ab illo, qua mediante ille res creatas producat.

40. Theor. II. *Creatio, ut est ex parte Dei, est ipsa volitio Dei apprehensa cum executione sive determinatione sui in ordine ad objectum extra se se:* Duo hic innuo: *1. Quod creatio sit volitio Dei:* Et patet: Quia uti modo visum, creatio uti ea est à parte Dei non est actio transiens ab illo, E. erit aliquid immanens in illo: At *non intellectus,* Quia ille solum apprehenditur ut cognoscens (sine operatione quam habeat circa) objecta: *Non potentia activa:* Quia

illa apprehenditur ut factiva non ut faciens, neque illa terminatur ad esse rerum actuale solum sed & possibile, *Non attributa reliqua* in Deo, præter volitionem, Quando enim Deus apprehenditur velle creaturas sufficienter constituitur in esse actuali creantis: Ergo velle creaturarū erit ipsa creatio: *Deinde:* Non est sufficiens ratio in Deo distinguendi voluntatem creandi à creatione, vel illi aliquid addendi, unde fiat actu creans, cum *se sola* sufficienter id præstare possit. Deus enim sine ullo addito actionis transeuntis est sufficiens ad ponendum objectum extra sese, Ergo voluntas Dei realiter est creatio. Multa quidem hic regerunt contradicentes, sed eâ refutare locus nunc non est, Dabimus ea, σὺν θεῷ nostro conflictui. *II Quod creatio sit volitio Dei* (non ita nudè sed) *cum executione sui in ordine ad objecta extra se intellecta*; Quia volitio Dei ita præcisè apprehensa nondum est creatio, Deus enim ab æterno voluit quidem creaturas, sed tamen non creavit, igitur ulterius in volitione aliquid investigo, quod constituat q. eam in esse actuali creantis, & *est executio illius*, Unde creatio licet realiter sit eadem cum volitione Dei, ulterius tamen quoad formale illi superaddi concipio executionem, tanquam ratione diversam ab eâ: Ratio enim cum concipit creationem, primo intuetur Dei volitionem, post vero quia in volitione nudâ nondum habet rationem actu creantis, ulterius in illa aliquid concipit ut distinctum ratione, nempe *executionem* volitionis (occasione sumpta ex actibus creaturæ, ubi diversa, reperias volitionem & executionem ejus) quæ tamen revera non est ab illa distincta sed eadem cum illâ: Et hoc est quod dicere intendo.

41. *Quæris*: Qui fieri possit ut volitio Dei sit ipsa creatio, cum tamen volitio Dei sit æterna, creatio vero demum inceperit in tempore? Resp. Volitio Dei potest considerari vel absolute & in se vel cum determinatione sui ad objecta externa; Priori modo æterna est & necessaria, attamen terminatio ista volitionis ad creaturas est libera, ideoque potest incipere in tempore: Deus enim ab æterno fuit volens, sed tamen ab æterno non voluit, ut creaturæ essent ab æterno, verùm voluit eas esse in tempore, &c. Terminatio tamen illa volitionis non fit vel per additionem alicujus realis entitatis ad illam, vel per mutationem in illa, sed sine ulla addi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0214
DFG

additione, mutationeque voluntas ex se hoc habet ut possit terminari, ita ut si non terminetur ad Esse creaturæ nihil inde decedat ei, neque si terminetur nihil inde ei accedat.

42. Theor. III. *Creatio, uti est ex parte rei creatæ, non est aliquid ab essentia creaturæ realiter (ut res à re) diversum, & sic neq; passio quædam neq; mutatio terminata ad eam ut distinctam:* Patet: si passio esset aut mutatio, à parte Dei esset actio: Passio enim non tam supponit actiontm sed etiam est ipsa actio, quæ uti ab agente est actio dicitur, & passio ut in patiente recipitur: *Deinde:* Passio requirit passum præexistens, in quod recipiatur: At in creatione nullum præexistit. Patet antecedens: Quia illa proprie pati aut mutari dicuntur quæ actione agentis immutantur vel in pejus vel in melius, indeque aliter se habent nunc quam prius: At quomodo potest passum se aliter habere nunc quam prius, nisi prius præexistat.

43. Theor. IV. *Creatio, uti est ex parte rei creatæ, non est modus quidam dependentiæ ab essentia creaturæ realiter-modaliter diversus, juxta quam creatura dicatur à Deo pendere in fieri, & sic creari*: Impugno ita Suaretz *disp. 20. Met. sect. 5. num 10. seqq.* Mendoz *disp. 2. de Creat. sect. 3. subs. 4. § 37.* Patet autem: Quia Modales entitates (licet non positivè tamen) negativè possunt à subjecto cujus sunt modi separari: Alia enim est entitas subjecti, & alia modi, indeque inter rem & modum, quæ est distinctio modalis, est realis: At quæ realiter distincta sunt separabilia sunt, saltem per potentiam divinam: Separabilitas enim est fundamentum distinctionis realis: At dependentia creaturæ non potest ulla ratione ab esse creaturæ separari: Creatura enim remoto omni extrinseco & extra essentiam suam posito nihilominus intimè imbibit in suo esse rationem dependentiæ. E. dependentia non est entitas modalis diversa ab entitate creaturæ.

44. Theor. V. *Creatio ex parte creaturæ est ipsa realiter essentia creaturæ intellecta cum dependentia in fieri secundum se totam à volitione Dei*: Patet: Quia nunc visum creationem neque entitatem realem neq; modalem creatæ essentiæ superaddere E. necessario erit eadem cum illa, & sic creatura seipsâ & sine addito pendebit à Deo in fieri *Deinde*: Ut actio creaturæ pendet à concursu

Dei,

Dei, & essentia à conservatione, ita essentiæ fieri à volitione (sive creatione) At actio pendet (non per aliquid à se diversum sed) per seipsam, essentia item facta pendet per seipsam immediate à Deo, uti probabitur infra. Ergo. *Observandum tamen*: Essentiam creaturæ non nudè, sed cum dependentiâ in fieri esse creationem (passivam) indeque creatio nihil aliud erit quam ipsum fieri creaturæ: Et sic porro *Creatio & creatura saltem ratione differunt*: Ipsum enim esse creaturæ nondum exacte mihi notificat creationem, ideoque ulterius quasi inquiro aliquid in illo, in quo formalis ratio creationis consistat, & est *dependentia ejus in fieri à Deo*, Quæ tamen dependentia non est diversum quid ab illa, sed prorsus eadem: Diversa tamen ratione concipitur &c.

45. Theor. VI. *Creatio, ut est aliquid ex utriusq; creatoris sc. & creaturæ positione resultans, est relatio realis*, Et ita eos non prorsus rejicio, qui creationem dicunt esse relationem, ut Perer. *lib.* 5. *Phys. c.* 5. Samuel. de Lublin. *lib.* 8. *Phys. quæst.* 27. *art.* 1. &c. Patet autem: Quia creator & creatura sunt relata realia, ubi utrinque sit respectus realis, uti probavi *disp.* 5. *Pneumat. thes.* 12. *seqq.* E. habent relationem realem, quæ dicitur Creatio: Connexio patet: Quia impossibile est esse relata realia sine relatione reali; sicut impossibile est esse album realiter sine albedine reali, &c. Denominatio enim supponit formam denominantem. Errant tamen prædicti authores, 1. *Quod putant formale creationis esse relationem*: Relatio enim apprehenditur ut aliquid resultans ex positione creatoris & creaturæ, ideoque est quoddam consequens & ratione saltem posterius illis: At formalis ratio creationis est, quæ in illa intelligitur esse omnium prima: *Ubi tamen addo: Relationem creandi à creatione non differre realiter*: 1. Quia quæ differunt ut relatio & relationis fundamen, ratiove fundandi non differunt realiter: Principium hoc è Metaphysicâ sumo ut probatum: Atqui relatio creandi & creatio differunt ita, ut patet, Quia τὸ fieri ex parte creaturæ, & volitio terminata ad eam ex parte Dei dicitur creatio, unde tanquam è fundamine χέσις ista exurgit. Ergo. *Dein:* Ipsum esse creaturæ remoto omni extraneo accidente seipso, dicit χέσιν istam ad creans. Ergo χέσις ista non potest esse aliquid diversum

ab

ab illa: Unde summatim patet: Creaturam, creationem, & relationem inde ortam in re coincidere, sed solum ratione differre: Creatura enim est essentia ejus præcisè apprehensa: Creatio vero, ut apprehensa cum dependentia in fieri, Et relatio, ut apprehensa in ordine ad creans &c. Errant auth. præd, *II. Quod putant relationem istam esse non mutuam, ideoq; rationis, uti ea est ex parte Dei*, uti id demonstravi *disp. 5. Pneumat. th. 13* Sisto me in formali creationis.

46. *III. Terminus creationis potest esse duplex: A Quo, & Ad Quem:* A Quo dicitur qui creatione destruitur: Ad Quem, qui inducitur: Utrumque exprimunt verba definitionis; *Quo res ex nihilo producitur:* Terminus igitur A Quo (non vero materia) est NIHIL, quem terminum si recte intelligas non erit forte de nihilo: Adverte igitur *I. Nihil vel dici de illo quod non est: ita ut prorsus ei repugnet Esse*, & dicitur Impossibile, *vel de illo, quod non est, ita tamen ut illi non repugnet esse*, ideoq; est Possibile: Hic autem non intelligito prius nihil, sed posterius, Deus enim cum dicitur rem è nihilo facere, non est hic sensus quod ex impossibili faciat Ens, hoc enim repugnat, sed quod ex non Ente possibili tamen faciat Ens. II. *Nihil* (posteriori modo acceptum) *est vel per puram negationem*, quod dicit omnimodum non esse totius rei producibilis & omnium partium quæ esse poterant in eo, & sic nihil vel materiæ vel subjecti præsupponit, sed solam non repugnantiam ad esse dicit: *Vel per privationem*, quod non omnino esse totale, sed) solum negat esse formæ introducendæ, indeque supponit esse materiæ primæ vel subjecti apti recipere eam. Hic autem intelligito non hoc sed prius nihil: Deus enim cum dicitur facere ex nihilo non est id intelligendum privative, quasi faciat rem ex præsuppositâ & bene dispositâ materia, sed negativè, quod eam faciat ex nullo præsupposito subjecto: *III. Nihil est vel per negationem*, quod nullam omnino materiam subjectumve requirit, uti modo dixi, *vel per indispositionem*, quod materiam quidem supponit verum ad rem producendam inhabilem, prorsusque indispositam; sic v. g. qui è lapide producit panes, hoc modo panes dicitur *è nihilo* producere, quia lapidis materia prorsus est inhabilis ut inde fiat panis: ideoque paris ferè virtutis est rem ex in-

 dispositâ

dispositâ ac è nullâ materiâ producere; Et hoc nihil non penitus excludo, quando loquor de Creatione: Indeque merito dicam, scribo sententiæ Timpleri *l. 2. ph. gen. q. 9.* sat temerariè negantis mundum esse ex nihilo factum, eo quod sit ex materiâ productus. Vide si lubet ejus refutationem apud Dn. D. Meisner *p. m. p. 1. Philos. sobr. sect. 3. p. 776.* Dn. D. Bartholin. *lib. de Mundo quæst. 6.*

47. VI. Terminus ad Quem creationis potest intelligi dupliciter: vel ut Quo, vel ut Quod: Ille est ipsa Creatio (sive dependentia in fieri à Deo) quæ est forma sive ratio Qua res creatâ dicitur creata & dependens: Et sic est illud Quo quid dicitur productum, non quod productum est; Illa enim tanquam abstractum est ipsa dependentia creaturæ, quæ seipsâ immediatè (sine alia vel creatione vel dependentia) à Deo pendet: Creatura vero est tanquam concretum sive id Quod dependere dicitur dependentia illa. Unde collige seqq. theoremata: *I. Creationem ipsam, sive dependentiam non esse terminum factum, rigorosè loquendo:* Non enim est res facta sed fieri ipsius, non id Quod fit sed Quo fit. *II. Creationem sivè dependentiam non dependere* à *Deo per aliam se priorem dependentiam*; Si enim hæc dependentia indigeret dependentia alia, hæc rursum indigeret alia usque in infinitum: Ideoq; creatio est ratio seipsâ & immediatè dependendi à Deo &c. III. *Creationem proprie non posse dici creatam vel dependentem:* Creatum enim dicimus quod creatione est creatum, At ipsa creatio, creatione non est creata. Ergo Unde 2. Nulla forma habet effectum suum formalem ut Quod, quem ipsa communicat ut Quo, sic v. g. ipsa albedo non est alba, quia est ejus effectus formalis album facere; E. nec creatio erit creata, quia ejus effectus formalis est facere creatum &c.

48. *Terminus Creationis ut Quod est res creatione producibilis*: Ubi nota: I. Rem esse producibilē creatione vel: 1. *ut terminum naturalē*, ita ut naturâ suâ petat produci per creationem neque possit aliter produci: 2. *ut terminum præternaturalem*, cujus natura quidem non petit necessario produci creatione, eò quod aliter generatione producibilis est, interim ex voluntate Dei modum istum productionis facile admittit: Ulterius II. Res est producibilis creatione

tione vel *1. ut terminus adæquatus, primarius & per se intentus*, ad quem creatio per se & directe producendum dirigitur, vel *2. ut inadæquatus, secundarius, & propter aliud intentus*, ad quem creatio non per se sed propter aliud dirigitur, ideoque in illo præcise non acquiescit. Hisce suppositis distincte me expedio per theoremata.

49. Theor. I. *Creationis terminus naturalis non potest esse vel compositum sive corpus naturale, non forma corporis, non accidens: Non compositum*: sive corpus naturale: Quia id per naturam generatione producitur, & cum dependentia à subjecto sive materia prima: At quæ naturaliter generantur non creantur: *Non forma corporis*: Quia illa petit fieri cum dependentia à subjecto & in illo: At quæ ita fiunt, non creantur naturaliter, *Non accidens*: Quia illud ex natura sua inhæret subjecto, & pendet ab illo in fieri, esse, & conservari: At quæ pendent naturâ à subjecto in fieri, non necessario creatione, sed etiam aliter producuntur.

50. Theor. II. *Creationis terminus naturalis est substantia spiritualis, & materia prima I. Substantia spiritualis*: Quia, quæ non nisi ex nullo præexistente subjecto sunt producibilia, non nisi creatione sunt producibilia: At substantia spiritualis non nisi ex nullo præexistente subjecto est producibilis, quia in se non involvit aliquam materiam quæ rationem subjecti induere possit. Ergo. *II Materia prima*: Quia illa, uti visum th. 30 nõ *potest* fieri ex alia se priori materia: Ergo non potest generari sed necessario creatur. Terminus Creationis Naturalis

51. Theor. III. *Creationis terminus præternaturalis potest esse compositum, sive corpus naturale, forma corporis & accidens: Patet generaliter*: Quia quod generatione naturaliter producibile est, illud præter naturam à Deo potest creatione produci: Neque enim hic ulla apparet repugnantia: Atqui generatione sunt producibilia, corpus naturale, corporis forma, & accidens. Ergo *Observo tamen*: In accidentibus, sive modis entium *excipiendam esse generationem*, hæc enim neque per potentiam Dei potest creatione produci. Implicat enim manifestam repugnantiam generationem esse generationem, & tamen creari: Generationis enim essentia est esse actu dependentem à materia, quia est ratio formalis Terminus Creationis Præternaturalis

NB Generatio neq. per omnipotentiam Dei vim Creatione produci potest

lis dependendi ab illa: At si creari posset, posset non dependere à materiâ: Ergo si creari posset generatio, posset non esse generatio, quod implicat.

52. Theor. IV. *Creationis terminus* (sive naturalis sive supernaturalis, & tamen) *adæquatus non potest esse nisi substantia completa*: Patet: Quia terminus adæquatus hîc dicitur ille quam per se & directe intendit creans: At ille est substantia completa, Accidentia enim & partes substantiarum secundario solum intenduntur propter totum sc. quod componunt. Ergo. *Dein:* Actio omnis per se & directe tendit ad esse substantiale completum, secundario ad ea quæ connexa sunt illi: Ergo etiam creatio (quæ in hoc actioni est analoga.) Et hoc fortè intendit *Scalig.* quando *exercit. 6. sect. 13.* creationem definit, quod sit *constitutio substantiæ* ex nihilo.

53. Theor. V. *Creationis terminus inadæquatus & secundarius sunt substantiæ incompletæ & accidentia*: Patet: Quia illa non per & propter se sed propter aliud, totum sc. quod componunt, vel subjectum, quod afficiunt, producuntur: Et confirmo hoc à contrario: Per generationem primo & per se formæ aut accidentia non producuntur, sed potius comprodncuntur & congenerantur: Ita etiam per creationem formas & accidentia non tam creari, quam concreari dicito.

54. *V. Subjectum in Quo* sit creatio difficulter à multis exprimitur: Nam 1. *Alij dicunt creationem habere inhærentiam ad suum terminum*, ut ita illa sufficienter possit statui ejus subjectum: ut facit Francisc. Murt. de Lallana *d. 4. ph. q. 15.* Verum hoc non procedit in sententia suâ qua dicit creationem esse actionem accidentalem transeuntem: Nam terminus non potest concipi ut natura prior actione producente illam: At subjectum actionis semper concipitur ut natura prius illa. E. subjectum actionis nequit esse terminus, E. nec subjectum creationis erit terminus illius. 2. *Alij dicunt creationem non habere subjectum*, sed iterum abeunt in bivium: Nam 1. *Quidam asserunt creationem esse quidem accidens*, verum de ratione accidentis nō esse ut inhæreat subjecto, & sic creationem etiam non necessario poscere subjectū: si quæras ab illis, cur accidentis ratio formalis non necessario sit inhærentia, respondent, creationem esse accidens & tamē non inhærere, Bella equidem:

equidem probatio, nisi ridicula esset & nugatoria: Ideoque nec hæc horum assertio consistere potest, quia oritur ex falsissimo isto principio: *Accidentis (prædicamentalis) esse non necessario esse inhærere*: de quo alibi. 2. *Quidam dicunt creationem non esse actionem accidentalem, sed substantialem*, ideoque non indigere subjecto cui insit: Neque hoc verum omnimodè: Quia creatio non est actio quædam substantialis à creaturæ essentia diversa, sed ipsa potius essentia creaturæ uti supra dictum: 3 In sententia nostra facilis est decisio, ubi dico: *Creationi prorsus repugnare ut sit in subjecto*; Intelligitur enim creatio vel uti est ex parte Dei, vel uti est ex parte creaturæ. At non potest habere subjectū uti est ex parte Dei, Quia sic coincidit cum volitione Dei, & sic porro cum ipsa essentia Dei, cujus nullum est subjectum, Neque potest habere subjectum, uti est ex parte creaturæ: Quia sic dicit independentiam ab omni alio tanquam à subjecto; Creatio enim est formalis ratio Qua res independens est ab alio ut subjecto. Ergo ipsa non potest pendere à subjecto, uti patet.

Subiectum Creationi nullum dari potest

55 IV. Tandem & ultimo *Tempus creationis* investigandū restat; Noto a. Posse inquiri mundi creati initium vel determinatè, *quādo* inceperit, vel indeterminatè solū *quod* in tempore (præscindendo jam ab hoc vel ille) inceperit: Ideoq; statim dico; *I. Mundi collectivè sumpti creatio in determinato tempore per rationis lumen apodictice colligi non potest:* Patet: Quia nullum est indicium, unde homo solo lumine naturæ determinatū illud tempus quo creatio incepit (ante annos sc. 5591. secundū supputationē plerorumq;, vel ut Eusebius vult ante annos 7619. vel ut Alphonsi ante annos 7613. &c.) possit cognoscere; Non potest id scire à priori: Quia quæstio est historica de re & facto singulari, quales quæstiones à priori sciri non possunt; Non à posteriori; Quia caruerunt codice sacro unde historiam de creationis tempore cognoscere potuissent; *Adde*: sicut nemo (quia revelatio deest peculiaris) scire potest determinatè quando mundus sit corrumpendus: Ita etiam nemo (sine revelatione) facile scire potest determinatè quando inceperit.

56. Dico *II. Mundi* (sive collectivè sive distributive sumpti) *creatio in tempore indeterminato per rationis lumen apodictice cognosci potest*: Et hæc assertio impugnat eos qui mundum voluerunt esse æternum, præcipuè vero Arist. *l. 8. ph. c. 1. th. 4. 10.* 11. 12. & *c. 2. t.*

15. & c. 6. cor. t. 53. & c. 7. t. 5. & l. 1. de cœlo passim & l. 2. de Gener. & corrupt. & l. 12. Met. c. 6. &c. ejusq; defensores *Proclum, Simplicium, Avicennam, Averroem, &c.* Patet autem: *1. Affinitate essentiæ rerum creatarum:* Quod non potest esse nisi habeat initium sui esse, illud neque potest durare nisi habeat initium suæ durationis: Quod, inquam in essentia est finitum in duratione est finitum, Quia essentia & duratio rei *intrinsecè* sunt eadem, Ideoq; Uti se res habet in esse ita & in durare: Atqui creatura, non potest esse nisi habeat initium sui esse, creatura, inquam, in essendo est finita. Ergo & in durando: *Hinc ulterius*; Quod non potest durare nisi habendo aliquando suæ durationis initum non potest esse æternum, & sic necessario incipit in tempore: Æternum enim dicitur quod non habet initium & finem; Atqui creatura non potest durare &c. Ergo. *II. A creatione mundi* ita colligo: Quod necessario aliquando non fuit, non potest esse æternum, sed incipit in tempore: Æternum enim est, quod semper fuit: At mundus necessario aliquando non fuit, eo ipso quia creatus fuit; Nam creare est illi quod nondum est esse tribuere: Et Creari est rem, quæ nondum est, esse accipere, Quia quod creat rem, illud eam, cum nondum esset facit esse, Et qaod creatur illud, cum nondum esset, incipit esse, & sic quod fit aliquando non est, quia tempus assignabile est in quo nondum sit Ergo quod creatur, semper & perpetuo non est, indeque nec ab æterno est, quia aliquando non est: Sic v. g. Quod nunc fit nondum est, quando fit, & antequã fiat; E. nihil potest ab æterno fieri: Alias n. eo ipso dum fieret, nondum esset, & tamen quia ab æterno fieret, semper esset, quod in volvit contradictionem: Omitto jam ea quæ disputari possent contra æternitatem, Motus, Temporis, rerumq; corruptibilium, Quia illa ex Physicis principiis ut plurimum petuntur ideoque eò remitto: Confer Valles. *l. de sacr. Philos. cap. 1. pag.* 11. Merito igitur valedicendum æstimaveris vulgatæ Philosophantium sententiæ, quæ disputat *potuisse creaturam aliquam à Deo ab æterno creari*, apud Suaretz *disp. 20 Metaph. sect. 6. num* 11. *seqq.* Thom. *part. 1. q. 46. art. 2.* Conimbr. *l. 8. phys. cap. 2. quæst. 7. art. 2.* Mendoz *disp. 16. Phys. sect. 1. §. 1.* Gregor. de Valent. *tom. 1. disp. 3. q. 3. punct. 2.* & plures alios. *Plura de Creatione non addo.*

57. *Actus secundus* potentiæ divinæ *est conservatio creaturarum;*

rum; Ubi videbo: *I. Nominis distinctionem, II. Existentiam, III. Essentiam*.

58. *I. Distinctio nominis* esse potest varia: *Nam I. Conservatio alia est permissiva, alia positiva*: Illa est, quæ fit (non reali influxu sed saltem) permissione ejus, qui rem poterat destruere, ne privetur suo esse. Hæc est quæ fit per actualem & positivum influxum in essentias rerum, videatur Suaretz *disp.* 21. *Met. sect.* 1. *n.* 14. *II. Conservatio alia est directa & per se, alia indirecta & per accidens*: Illa dicitur quæ reali veroque influxu rem in esse conservat, uti v. g. Sol conservat lumen radios suos continuo spargendo: Hæc vero iterum potest esse duplex: Fit enim vel per remotionem & destructionem contrarij, quod rem poterat interimere, Et potest dici *removens prohibens*: uti v. g. Angelus conservat hominem removendo ictum lapidis è tecto cadentis, quo poterat interfici: vel per influxum in certas quasdam dispositiones & proprietates sine quibus res in suo esse manere non poterat, uti v. g. Cœlum conservare dicitur hæc inferiora: Conf. Thom. *part.* 1. *quæst.* 104. *art.* 1. & 2. Suaretz *disp.* 21. *Met. sect.* 3. *n.* 2. *III. Conservatio alia est mutua, alia non mutua*: *Illa dicitur*, quâ partes sive entia in completa se mutuo fovent & conservant, ita ut unum ab altero in esse aut subsistere dependeat, neque alterum sine altero suam perfectionem & subsistentiam habere possit: Qua ratione v. g. materia conservat formam, præbendo dispositiones aptas ut ex potentia illius fieri possit, & post dando vehiculum & subjectum ut in illa possit conservari: quæ *conservatio* dici potest *materialis*: Et forma vicissim conservat materiam, illius appetitum, quo inclinabat ad eam, satiando, eamque informatione perficiendo, diciq; meretur conservatio formalis &c. *Hac vero est*, ubi unum quidem conservat aliud, non vero hoc vicissim illud &c. Quando autem de conservatione essentiæ creatæ hic sermo est, intelligi debet, non permissiva, non indirecta, aut ea quæ est per accidens, non mutua, sed positiva, directa, per se, & non mutua: Et hoc modo creaturas à Deo conservari probare nunc intendo: Ideoque.

59. *II. Existere sive esse talem conservationem*, de fide certum est, quin & rationis lumen idem nobis dictitare potest; *I. A voluntate*

Conservatio Creaturarum ex Lumine Naturæ demonstrat

tate Dei: Creaturæ non possent manere in esse suo nisi Deus illas vellet manere: Ergo conservat eas in esse: Ratio connexionis est: Quia conservatio (ex parte Dei) nihil aliud est, quam volitio ejus terminata ad esse creaturarum uti mox videbo. *II. A natura creaturæ*: Creatura dependet in esse à Deo: Est enim Ens per essentiam dependens: At illa dependentia non potest aliter explicari nisi per conservationem, quod scilicet ideo pendeat res creata à Deo, quia conservatur ab illo. *III. A productione creaturæ*: Non potest creatura produci indeq; inchoare τὸ Esse nisi per influxum causæ primæ, (sive solitarium, quo res immediate creat, sive secundarium, quo res cum causis secundis producit:) imò ex *absoluta & intrinsecâ necessitate* postulat primam causam ut primò sit, E. etiam non potest continuare τὸ Esse nisi per continuum ejusdem causæ influxum, & sic etiam absoluta necessitate postulat eam ut porro sit: *Ratio connexionis est*: Quia quod alicui per se primò & necessario convenit, illud ei semper convenit; Atqui creaturæ necessario & per se primo convenit pendere à Deo in fieri. Ergo etiam illud semper ei convenit, indeque etiam ab eo pendebit in esse. *IV. Ab annihilatione creaturæ*: Deus (uti certum est) potest creaturas annihilare: At annihilatio illa non est actio quædam positiva, (quia caret termino ad quem tendat, neq; fit vero influxu, sed influxus carentia) sed privativa (ut sic loquar) qua suspenditur influxus divinus quo res antea conservabatur, neq; annihilatio illa potest aliter intelligi E. antequam annihilet, supponitur res conservare; Neq; enim suspendi potest influxus conservans, nisi prius fuisse intelligatur: Ita fermè argumentatur Suar. *disp. 21. Met. s. 1. n. 14.*

60. *III. Essentiam* conservationis sic definio: *Conservatio est actus solius Dei, quo res creata in suo Esse permanet.* Quæ definitio innuit *I. Causam A Qua est. II. Formam per Quam, III. Terminum ad Quem*: De singulis brevissime me video.

61. *Causa efficiens* conservationis (rei conservatæ) dicitur *solus Deus*: Ubi repete ex præcedent. 1. Non intelligi hic conservationem permissivam, quæ etiam competit creaturis, neque 2. indirectam & per accidens, qua ratione etiam v. g cœlum conservat sub-

vat sublunaria, neque 3. mutuam &c. sed 4. positivam, directam, non mutuam: *Et hanc soli Deo debere ita patet*: Res namq; conservandæ sunt vel substantiæ vel accidentia; substantiæ iterum vel corruptibiles vel incorruptibiles; *Incorruptibiles* (& ingenerabiles) *à solo Deo conservari vel inde constat*: Quia ab eo unice pendent in fieri, At quicquid non nisi à solo Deo fieri potest id etiam non nisi à solo Deo conservari potest; At incorruptibiles (& ingenerabiles) à solo Deo fieri possunt. Ergo. *Corruptibiles porro à solo Deo in esse conservari ita monstro*: Si quod esset agens conservans illas in suo esse per continuum, positivum, & immediatum influxum, illud esset vel cœlum, vel generans, vel partes constituentes, vel alia substantia creata vel (si neutrum horum sit) Deus ipse: Plura n. conservantia dari posse non puto: *At non potest esse cœlum*: Quia illud saltem instrumentaliter & dispositive *per accidentia* res has sublunares sive in fieri sive in esse attingit: Ideoque saltem in ratione agentis instrumentalis suo effectu est ignobilius, E. nequit immediate pendere ab illo: Quia dependens est ignobilius eo à quo dependet. *Non generans*: Esset enim illud vel univocum vel æquivocum: At neutrum esse potest: Non univocum: Quia causa univoca & effectus ejusdem sunt intra eandem speciem: At individua unius speciei non pendent ab invicem essentialiter, ideoque unum nequit ab alio in esse conservari: Individua enim unius speciei in essentialibus sunt æque perfecta: At dependens cum illo à quo dependet in essentia non est æque perfectum: Ideoque dependens & illud à quo dependet non possunt esse individua unius speciei. Non æquivocum: Quia agens æquivocum creatum producere potest solum accidentia & non substantias E. substantiæ ab iis nequeunt conservari in esse: A quo enim res non potest fieri ab illo etiam nequit (hoc conservationis genere) conservari: *Non partes constituentes*: Quia illarum conservatio quam præbent vel sibi ipsis, vel composito, est mutua, ita ut pars una pendeat ab alia, & vicissim, & partes pendeant à composito, & rursum compositum à partibus. At illa conservatio hic non intelligitur. *Non ulla alia substantia creata*: Quia illa in rem substantialem à se diversam agere nequit nisi mediis accidentibus;

Conservatio Dei Positiva & Directa non est nisi solius Dei

Non Coelum

Non Generans

Non partes constituentes

Non alia Substantia Creata

dentibus: Hæc autem habent rationem solum instrumentalis causæ, à qua in esse res alia creata pendere nequit. *Restat igitur Deum positivo & immediato influxu substantias creatas solum conservare* posse.

62. *Accidentia tamen à solo Deo conservari in esse* suo, videtur dubium quodammodo: Ideoque ea etiam à causis secundis conservari volunt Conimbr. *l. 2. phys. c. 7. q. 10. art. 2 concl. 2.* Suaretz *disp. 21. Met. sect. 7. n. 10.* Ego ad hanc rem distinguo accidentia: Quædam enim ad suum esse indigent perpetuo influxu subjecti, & sic sunt quasi in continuo fieri sive generari, uti v. g. lumen indiget perpetuo solis influxu, *Et hæc etiam à suis subjectis conservari immediate & positivè differi non possum:* Uti enim in his accidentibus se habet fieri ipsorum ita etiam se habet τὸ esse eorundem: Ratio: Quia esse eorum non est nisi fieri quoddam perpetuum: Atqui fieri ipsorum pendet à subjecto per verum & positivum influxum. Ergo & τὸ Esse *Ubi tamen caute nota:* Ita hoc intelligendum esse ne à conservatione hac Deum ut causam immediatam excludas &c. *Dein:* Quædam accidentia ad suum esse non indigent perpetuo influxu productivo subjecti, ideoque non sunt in continua quadam generatione; sed unico quasi generationis puncto esse illorum sufficienter educitur; Et hæc à Deo solo conservari assero: Quia si aliud conservans esset præter Deum, vel maximè subjectum esset: At hoc non est: Quia conservatio, quam præbet subjectum hisce accidentibus, est saltem *extrinseca*, præbendo vehiculum in Quo sint, non immediate dando influxum quo sint, &c. Ergo.

63. *II. Formalis ratio* per quam est conservatio, innuitur verbo *Actus*: Ubi noto, conservationem posse intelligi tribus modis 1. Ut illa est vel esse intelligitur actus ex parte Dei, 2. Ut putatur esse passio sive dependentia ex parte creaturæ: 3. Ut est aliquid resultans ex utroq;: Possumus itaq; hic pari modo loqui, uti de Creatione, Quia creationem & conservationem re differre negatur Ideoque.

64. Dico *I. Conservatio ex parte Dei non est actus transiens, indeq; realiter distinctus ab illo:* Patet. Quia illa ponitur sine

suffi-

sufficiente fundamento: Deus enim se solo & per suam essentiam sine ulla actione transeunte sufficiens est rem conservare in esse.

65. Dico II. *Conservatio ex parte Dei nihil aliud est quam ipsa essentia Dei ut apprehenditur cum volitione ordinata ad esse creaturarum continuabile*, Et applicante se ad potentiam executivam sui: Tria hic innuo: *I. Conservationem esse ipsam realiter essentiam Dei*: Quia non potest esse aliquid extra Deum (neque enim est actus transiens) E. est aliquid in Deo: At nihil est in Deo, quod non sit realiter ipsa essentia Dei, uti satis liquet ex iis quæ tetigi *disp. præced. II. Conservationem esse essentiam apprehensam cum volitione*: Nudè enim essentia Dei intellecta nondum dictitat mihi rationem conservationis; Ideoque ulterius quasi progredior ad investigandum aliquid in illâ, quod aptificet quasi essentiam ad esse conservans & est volitio: Quia tamen nondum volitio Dei mihi notificat formalitatem actu conservantis, ulterius volitionem illam concipio cum terminatione ad esse creaturarum continuabile, Ideoque dixi. *III. Conservationem esse essentiam Dei intellectam cum volitione terminatâ ad essentiam creaturarum continuabilem:* sive (ut clarius dicam) conservationem esse Dei essentiam ut intelligitur velle creaturas in esse semel accepto permanere:

Conservatio ex parte Dei quid sit

66. Dico *III. Conservatio* (ex parte rei creatæ) *non est passio, aut modus dependentiæ, aut aliud quiddam realiter diversum ab essentiâ creaturæ*, ratione cujus illa dicatur conservari: Patet: Quia creaturâ se solâ & in suâ essentiâ remoto omni extraneo nihilominus habet τὸ conservari à Deo. E. τὸ conservari non est aliquid diversum ab eâ.

67. Dico IV. *Conservatio (ex parte rei creatæ) est ipsa realiter creatura, concepta cum dependentiâ sui à volitione Dei conservantis*: Ita sequitur ex dictis: Conservatio enim non potest esse aliquid ab esse creaturæ diversum, quia creatura remoto omni extrinseco involvit τὸ conservari. Quid autem? Esse creaturæ ita nudè intellectum nondum dictitat mihi τὸ conservari illius esse, ideoque ulterius, aliquid investigo in illo, quod formaliter mihi repræsentet τὸ conservari illius, Et est *dependentia* ejus à volitione

Conservatio ex parte Creaturæ quid sit

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0227
DFG

Dei, Quam ego quidem ratione distinguo, realiter tamen est eadem cum illa.

68. Dico V. *Conservatio ut est aliquid ex utroq;* (*conservante sc. & conservato*) *resultans est relatio realis*: Quia hic sunt extrema utrinque realia conservans sc. & conservatum, quæ se mutuo respiciunt κέσει tali, quæ existit sine ulla mentis nostræ operatione: At quæ se ita respiciunt relata realia sunt. *Observa tamen*, (quod & de creatione dixi,) *formale* conservationis in illa relatione non consistere, sed potius eam, apprehendi ut consequens quoddam ad eam, prius enim ratione intelligo esse Deum conservantem & naturam conservatam, antequam inde concipiam oriri relationem illam: In re ipsa tamen forte non differunt.

69. *III. Terminus ad Quem potest esse duplex* vel ut Quo vel ut Quod: Ille est ipsa conservatio, sive dependentia creaturæ, quippe quæ seipsâ dependet & conservatur sine aliâ conservatione, & est potius ratio formalis *qua* creatura dicitur dependens, quam illud *quod* dependet & conservatur: Nam si conservatio esset dependens ut Quod per aliam (ratione saltem diversam) conservationem esset dependens, indeque hæc rursum aliâ esset dependens, quem progressum in infinitum etiam ratio abhorret.

70. *Terminus ut Quod est res conservata*: Ubi tamen noto ex præced: Posse terminum esse *Adæquatum* sive totalem, vel *Inadæquatum* sive partialem: Ille est qui *à solo* Deo per positivum & immediatum influxum conservatur: Et est omnis substantia creata, & quædam insuper accidentia. Hic est qui non à Deo solo, sed & à causis secundis in esse suo porro conservatur: Ut v. g. quædam accidentia &c. Vide *th.* 61. 62.

71. *Tertius deniq;* omnipotentiæ divinæ *actus est Concursus* de quo notabo *I. Distinctionem nominis. II. Existentiam III. Essentiam.*

72. *I. Distinguo vocem Concursus*: Potest namque is esse duplex: *Immediatus* & per se, qui tendit directè in omnes actus rerum creatarum, vel *Mediatus* & per Accidens, quo ille dicitur concurrere ad agendum qui dedit essentiam & potentiam unde fluit actio, ita tamen ut ille immediatè actionem non efficiat quemadmodum v. g. generans est causa actionum quæ fiunt à generato.

Hic

Hic autem cum de Concursu sermo est non hunc sed priorem intelligi velim.

73. *II. Existere sive esse* concursum talem quo Deus immediate ad omnes actus rei creatæ concurrat, probatur *I. A volitione Dei*: Creaturæ non possunt agere nisi Deus illas velit agere. Ergo concurrit ad actiones earum: Ratio connexionis est; Quia concursus ille (ex parte Dei) nihil aliud est, quam volitio Dei terminata ad actiones creaturarum uti mox monstrabo. *II. Ab annihilatione actionis*: Deus solâ sui concursus subtractione rem potest actione privare: uti v. g. igni potest adimere actionem urendi subtrahendo concursum quem habebat ad eam: Neq; n. videri potest, quomodo Deus aliter res suis actionibus privet: E. antequam subtrahat, supponitur concurrere ad eam. *III. A dependentia creaturæ in esse*, sive, à conservatione: Uti se res habet in esse, ita & in operari: sed res creata in esse dependet à Deo: E. & in operari: *IV. A ratione actionis*: Actio creaturæ (latius loquendo) est creatum quid, neque enim est Ens increatum, E. dependet in esse à Deo, & sic Deus concurrit ad illam: Ratio: Quia omne Ens creatum simul est dependens à Deo. *V. A subordinatione causarum*: Causæ secundæ in agendo sunt subordinatæ primæ, ex recepto philosophorum axiomate: E. in agendo dependent ab illa: Connexio patet: Quia in causis subordinatis est dependentia inferioris à superiori.

74. *III. Essentiam* sic exprimo: *Concursus est actus solius Dei, quo in actiones & effectus causæ secundæ, seipso, immediate, & simul cum ea, & juxta exigentiam unicujusq; suaviter influit, eamq; ita in agendo potenter conservat.* Innuitur hic *I. Causa â Qua* est concursus. *II. Forma per quam* est & *III. Modus concurrendi.*

75. *I. Causam* efficientem nomino *solum Deum*; Quod ut explicem, me distinctè explico per theor. I. *Actio creaturæ non est unicè & solùm à creatura tanquam causa adæquata, quæ se solâ sufficienter eam attingere possit*. Contrà, quam inepte satis ex opinione *Durandi* asseruit Taurell. *in lib. de rer. æternit. p. 2. pag.* 451. Patet illud ex concursu divino quem ad omnem actionem creaturæ requiri modo visum: Unde Actio non minus fit à Deo quam à creatura &c.

Theor. *II. Actio creaturæ potest unicè à solo Deo oriri sine creaturæ opera:* Quia id non involvit repugnantiam, indeque maxime consentaneum est potentiæ divinæ, præsertim si loquare de *actibus effectivis*: Nam *actus materiæ & formæ* suppleri quidem possunt à Deo, verùm non in genere causæ materialis aut formalis uti asserere videtur Fonsec. *l.* 5. *Met. cap. 2. q.* 12. *q.* 12. *sect. 3.* sed efficientis. Confer ea quæ dixi *th.* 21 *&* 22. sed hic non tam inquirimus quid Deus possit agere, sed quid agat & velit agere, sit igitur.

77. Theor. III. *Actio creaturæ non est unicè à solo Deo ut causâ adæquata, ita ut creaturæ prorsus nihil agant, sed solum Deus videatur agere ad præsentiam illarum*, uti ex antiquis quosdam asseruisse refert Suaretz *disp.* 18. *Met. sect. 1. n.* 1. Colleg. Conimbr. *l. 2. phys. c. 7. q. 9. art.* 1. &c. Hanc enim sententiam sat absurdam & ridiculam refutat: 1. *sensuum experientia*, video sane & ex tactu deprehendo, ignem calefacere, illuminare &c. E. ignis reverâ calefacit illuminat: Connexi ratio est: Quia sensus (si debita sit ratio objecti medij, & organi, quod hic esse potest) circa proprium objectum non errat. Neque ratio est ulla, cur dicas sensus hic errare aut falli. *Dicis*: Ignem non calefacere sed Deum solum ad præsentiam ignis, indeq; videri nobis quasi ignis calefaciat cum tamen id revera non sit: *Resp.* sit ita: Ergone ignis ideo solum dicetur calidus, *naturâ*, quia Deus ad illius præsentiam operatur calorem? Quid si ad præsentiam aquæ operaretur calorem, etiamne dices aquam *naturâ calidam?* vel, si ad præsentiam ignis operetur frigefactionem, ignem æstimabis *naturâ frigidum*? Neque enim hic est ullum indicium repugnantiæ, cur id hac ratione à Deo fieri non possit. Absurdum autem est aquam naturâ calidam esse vel fieri posse & ignem frigidum &c. *II. Creaturarum multiplex potentia*: Potentiæ activæ sunt propter actus: Alias enim si hoc non esset, frustra essent, In rebus creatis sunt potentiæ activæ, Nonne enim in igne magis est calefaciendi *natura* quam in aqua? Nonne in viventibus sunt potentiæ vitales vegetativæ, sensitivæ, rationales, & multiformia ad id concessa organa? At illæ frustra essent, si non propter actus essent. *III. Rationalium in agendo libertas*, Homo non esset agens liberum, si Deus solum ageret in illo: At cogita quot absur-

absurdorum portenta inde evenient, si homini libertatem adimas?
IV. Creaturarum non-rationalium in agendo necessitas: si Deus solum ageret in creatura, non vero ipsa creatura unà, nullum esset agens naturale, Quia Deus est agens liberrimum: Et sic v. g. si Deus solum ageret calefaciendo in igne, non vero ignis, non posset dici, ignem *naturaliter* calefacere & necessario, ita ut non possit non calefacere, Quia actio illa unice oriretur à solo Deo, qui non agit naturaliter & necessario, ideoque hoc modo ignis posset non calefacere, non urere &c. Quæ tamen omnia ridicula sunt. Plura in sententia ridicula non addo.

78. Theor. IV. *Actio creaturæ non est à Deo adæquatè ut à causa principali à creatura vero solum ut instrumentali*: Ideoq; Creaturæ non (semper) sunt instrumenta Dei: Nam 1. Instrumentum non solet esse secundum speciem simile effectui: At secundarum causarum effecta frequenter causas suas specifica similitudine referunt. 2. Instrumentum pendet à causa principali & dirigitur ab eâ in certum finem à quo actio dicitur sive bona sive mala: Ergo etiam tam in malâ quam bona actione creatura ceu instrumentum penderet à prima causâ & sic etiam Deus esset author malorum. Ita ferè Dn. D. Jacob. Martin. *prælect. in log. Keckerm. l. 1. sect pr. p. 198.* 3. Instrumentum non habet potentiam sufficientem ad agendum; At creaturæ (in suo genere) habent potentias sufficientes, &c.

Creaturæ non semper in manu Dei

79. Theor. *V. Actio creaturæ non est a Deo & creatura tanquam causis diversis partialibus:* Nam 1. Causæ partiales sunt in eodem genere & ordine causæ, ideoq; neutrâ pendet ab alterâ in agendo: uti v. g. causæ partiales sunt duo homines vehentes lapidem &c. At Deus & creatura hoc modo, non sunt causæ sunt enim diversi generis & ordinis, & una pendet ab aliâ. 2. Causa partialis non producit integrum effectum sed solum partem ejusdem: At hic actio tota producitur à Deo, & tota à creatura ut mox dico. *Partialem* tamen *utramq; causam hoc sensu dici posse* non ivero inficias, quatenus nec creatura sine Deo, nec hic sine illa eo præcise influxu, quem tunc adhibet, actionem producit.

80. Theor. VI. *Actio creaturæ est à Deo & creatura, tanquam causis distincta totalibus diversorum generum*: Utraque enim produci-

ducit totam entitatem actionis & effectus: Deus quidem in genere causæ Universalis & primæ, Creatura vero in genere causæ particularis & secundæ, sic v. g. Deus & ignis quando concurrunt ad producendum calorem, non inter se caloris gradus partiuntur, ita ut ille hos, hic illos producat, sed unaquæq; totum efficit calorem.

81. Theor. VII. *Solus Deus est Causa Universalis & prima actionis, ideoq; solus in isto genere causæ concurrit*: Et hoc est quod dicere intendebam: Patet: 1. Quia creatura in suo genere (si modo sit agens principale) habet sufficientem virtutem ad producendum effectum, ut non indigeat concursu alterius virtutis creatæ, præterquam solius Dei: Ideoque etiam solus Deus defectum illum supplere potest: 2. Substantiæ creatæ in esse intrinsecè & immediate pendent à solo Deo, Ergo etiam in operari: Uti enim res se habet in essendo, ita & in operando. 3 si quæ esset talis causa prima illa esset vel maxime cælum: At hoc non est: Quia hoc saltem concurrit mediate & dispositive, fovendo & juvando virtutes inferiorum, non vero immediate influit in ipsas actiones. Ergo.

82. *II. Formalis ratio* concursus innuitur *voce Actus*: Quam ut recte proponam, suppono: Concursum posse intelligi tripliciter *I. Ut est ex parte Dei causa actionis creatæ, II. ut est ex parte creatæ actionis aliquid productum ab illa, III. ut est aliquid ex utriusq; positione resultans.*

83. Hinc formo hæc theor. I. *Concursus ex parte Dei non est virtus quædam causis secundis impressa tanquam principium agendi*: Patet: 1. Quia illa virtus creata eo ipso quia creata esset, indigeret utique concursu Dei ad agendum: De illo igitur concursu quæro, sitne virtus creata nec ne? si illud dicas eandem quæstionem repetam usque in infinitum, donec tandem te necessario sistas in aliquo concursu qui non sit per modum virtutis creatæ: Et illum ego intendo. 2. Causæ secundæ in suo genere sufficientes sunt ad producendum effectum, ita ut non requirant *plura principia creata*, neque petant suppleri ab illis, sed solum indigeant virtute increata. Ergo virtus illa frustra ponitur. 3. Omne principium creatum quamvis applicatum ad agendum potest cum omnibus condi-

conditionibus prærequisitis ad agendum impediri, ne fiat actio, per Dei suspensionem: Neque enim illud involvit contradictionem: Atqui posito concursu Dei ad actionem, non potest actio suspendi: E. concursus Dei non est principium creatum.

84. Theor. II. *Concursus ex parte Dei non est motio quædam à Deo orta & causæ secundæ impressa, ut inde efficax fiat ad agendum*: uti vult Sam. de Lublino *lib. 2. phys. quæst. 12. art. 3.* cum plerisque suis fratribus è Thomæ schola. Nam 1. Motionis illius terminus vel esset locus, vel Quantitas vel Qualitas: Plures enim terminos ne fingere quidem potis es: At neutrum esse potest: *Non locus*: Quia non est necesse agens semper approximare localiter ad passum, cum ei sæpe sit proximum ideoque saltem in hoc statu non indigeret motione illa & sic neque concursu Dei, quod tamen non est, concursus enim Dei semper & ad omnem actionem est necessarius. *Non Quantitas*: Quia nullum est indicium, qua ratione concursu Dei in agente quantitas produci debeat, præcipue cum illa tanquam affectio materiæ, vel potius ipsa materia, sit plenè ἀνενέργητος, ideoque actionem juvare non possit: *Deinde*: A fortiori id procedit in agentibus spiritualibus quæ quantitatem non habent, ideoque ibi motio ad quantitatem terminari nequit. *Non Qualitas*: Quia qualitas illa motione producta non esset nisi creata: At ante dictum creaturam non indigere virtute al qua creata superaddita, per quam fiat efficax ad agendum, sed solum concursu Dei, ideoque non poterit ille concursus in hoc solum se sistere, ut per virtutem creatam creaturam agentem reddat: *Adde*: Quod hac ratione Deus immediate non concurrat ad actiones sed solum ad actionis principium, illi superaddendo aliud, ut inde fiat potentius: At hoc falsum est, II. Motio illa (si quæ est) fit vel per applicationem causæ secundæ ad agendum à prima factam, vel per excitationem virtutis in ea, vel per determinationem ejus ad agendum: At neutrum esse potest: *Non primum*: Quia ex nuda applicatione agentis ad patiens Deus non posset dici causa physica & immediata actionis causarum secundarum, sed solum moralis & remota: Ille enim qui applicat solum agens ad agendum non dicitur proprie agere illud, quod fit post applicationem illam: uti v. g. qui applicat ignem ad comburendum proprie non comburit:

At Deus per suum concursum proprie dicitur agere. Ergo. *Non secundum*: Nam non videtur, quomodo ista excitatio virtutis à Deo proveniat: Esset enim ab illo, vel tanquam ab objecto, vel ut à potentia superiori, quæ inferiorem excitet, vel ut ab agente externo; At neutrum esse potest: *Non ut ab objecto:* Quia concursus de quo hic sermo est, requiritur non ex parte objecti sed agentis: *Non ut à potentiâ superiori*: Quia Deum concurrere per modum *potentiæ* excitantis ineptum est dicere: *Non ut ab agente externo:* Quia per istam excitationem Deus proprie non ageret in eundem effectum in quem tendit causa secunda post excitationem, sed solùm agenes ad agendum præpararet, quod tamē non est. *Non tertium:* (quod notandum contra plerosque è Thomæ schola, qui talem prædeterminationem agendi à Deo factam hic confingunt, vide Thom. *p.* 1. *q.* 105. & 1. 2. *q.* 109. *art.* 1. Samuel. de Lublino *l.* 2. *phys q.* 12. *art.* 4.) Quia talis prædeterminatio fruſtra fingitur: Determinaret enim vel causas naturales vel voluntarias: *Non naturales:* Determinaret enim eas vel ad speciem vel ad individuum actionis: *Non ad speciem:* Quia causa prima in suo concursu est indifferens non magis ad hanc quam illam speciem, Ideoque non determinat causas secundas, sed potius determinatur ab illis: sic v. g Concursus quem præbet Deus generanti aquilæ, generat aquilam quidem, verum ex se erat indifferens non magis ad generandum aquilam quam hominem, ideoque ut generet aquilam, determinatur à generante aquila. *Non ad individuum:* (quod contra Conimbr. *l.* 2. *ph. c.* 7. *q.* 15. *a.* 2. notari velim.) Quia illa determinatio ad hanc numero actionem non est à causâ prima, sed à circumstantiis & conditionibus individuantibus objecti, Conf. Carol. Franc. de Abra de Racon. *de princ. corp. pag.* 64. *Non voluntarias:* Quia per istam prædeterminationem tolleretur libertas earum: Causa enim secunda libera est vel ante vel post illam prædeterminationem à Deo factam: *Non ante eam:* Quia præ determinatio illa intelligitur ut necessarium prærequisitum ad agendum: E. antequam illa adsit non est sufficiens ad agendum, eò, quod non habeat omnia requisita, E. non potest esse libera: *Non post eam:* Quia sic est per determinationem illam determinata ad unum. Ergo jam non est amplius libera sive indifferens ad multa:

85. Theor.

85. Theor. III. *Concursus ex parte Dei non est aliquid per modum actionis sive fieri immediatè manantis à Deo:* quod est contra Suar. *d.* 22. *M sect.* 2. *n.* 16. aliosq; plures, Patet: 1. Quia concursus ita consideratus est actionis potius principium quam actio; Hæc enim indiget concursu At ineptum est dicere, quod indigeat seipsâ: 2. Actio omnis quia est creata sive producta indiget concursu Dei: Si igitur concursus est actio, hic concursus indigebit alio concursu usque in infinitum, Unde necessario Concursum istum non in actione (quippe quæ ipsa eget illo) sed in alio quopiam actionem concomitante consistere dices.

86. Theor. IV. *Concursus ex parte Dei non est aliquid ab essentia ejus diversum, sed potius actus immanens volitionis (identificatus cum essentia Dei, attamen) ordinatus ad actionem creaturæ*: Patet: Quia concursus debet esse aliquid ex parte principij concurrentis: At illud non potest esse in Deo, nisi sit actus immanens: *Dein:* sufficientia hujus sententiæ patet ex remotione reliquarum, Dico autem tria: 1. *Concursum esse eundem cum essentia Dei*: Quia est aliquid in Deo: At quicquid in Deo est, Deus est. *II. Concursum esse actum immanentem volitionis, ideoq; ratione distinctum ab illâ:* Essentia enim nudè intellecta nondum dictitat mihi principium concurrens ideoq; ulterius aliquid investigo in ea, quod sit q. formale constituens illud: Quia tamen necdum volitio nudè concepta concursum innuit, ulterius *III. Concursum* intelligo *esse volitionem Dei ut ordinata est actu ad actionem creaturæ*, h. e. ut vult agere creaturam.

87. Theor. V. *Concursus ex parte rei creatæ est ipsa actio creaturæ, ut apprehensa cum dependentia sui à primo principio concurrente:* Patet: Quia actio creaturæ (non per aliam actionem sed) per seipsam pendet à Deo, ideoq; sine ullo addito alterius est dependens Et sic dependentia illa sive concursus passivus in essentia ejus intimè imbibitur: Dico tamen: *Concursum esse actionem intellectam cum dependentiâ*. Quia actio nudè concepta non innuit rationem concursus, sed tum demũ si in ea concipias rationem dependentiæ.

88. Theor. VI. *Concursus ut est aliquid ex utriusq; (concurrentis sc. principij & actionis) positione resultans est relatio realis*: Sunt enim extrema utrinq; realia quæ faciunt relationem realem, Relatio

vio tamen illa non est formalis ratio concursus sed aliquid consequens ad eam uti in simili dixi de relationibus creationis & conservationis.

89. III. Modus Concurrendi est I. non antecedens sive naturâ, sive tempore, non consequens actionem creaturæ sed concomnitans eam: *Non antecedens*: Qua si Deus concurrit antecedenter est illud vel introducendo virtutem agendi, vel conditionem sive motionem vel excitationem virtutis At neutrum esse posse jam demonstravi: *Non consequens*: Quia sic creatura ex se esset sufficiens eliciendi actionem & ejus terminum, Unde frustra fingeretur Dei concursus: Est igitur concomitans eam, & simul sive natura sive tempore cum ea.

90. II. *Est juxta exigentiam uniuscujusq; rei creatæ indeque cum naturalibus Deus concurrit ad modum causæ naturalis, cum causis liberis per modum causæ liberæ*: Licet enim Deus sit agens liberrimum, ideoque non possit esse naturale, tamen dicitur agere *per modum causæ naturalis* accommodando sese agentibus illis & præbendo concursum illis accommodatum: Sic etiam cum causis liberis concurrit *per modum causæ liberæ*, ita ut accommodet se admodum illarum agendi liberum: *Deus enim quando concurrit cum illis non absolute statuit ut causa libera exerceat actum, neq; simpliciter vult illum esse, sed solum supposita conditione, si voluntas creata se determinet ad illum & influat, contra si sese non determinet, non statuit concurrere*: Plura non addo quia charta prohibet.

91. Et hinc tandem pro Corodine collige descriptionem Dei, quam me hic propositurum initiò pollicebar, talem: *Deus est substantia infinita, ideoq; simplicissima, optima & perfectissima, independens à causa se priori, immutabilis, necessaria, æterna, immensa, omnipræsens, intellectualis, omnipotens, creans, conservans, gubernans omnia, providens omnibus, ideoq; ex toto corde & omnibus viribus colenda, diligenda, invocanda, celebranda, laudanda.* Finio σὺν θεῷ tractationem de Deo.



COLLEGII PNEUMATICI
Disputatio Octava
DE
SPIRITU
CREATO IN GENERE
ET IN SPECIE DE ANGELORUM
EXISTENTIA, ESSENTIA, ET ATTRIBUTIS
NON OPERATIVIS.

QUAM

Divina favente gratiâ,

&

Suffragante Amplissimo Philosophorum Collegio in inclyta Rosarum Academia

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Horis locoq; debitis defensum ibit ad diem 16. Maij.

ANDREAS BESCOVIUS
Paswalcensis Pomer.

Johannes Owen Cambro-Britannus l. un. epigram. 33.

Angelus est nimium fœlix, quia corporis expers,
Bruta nec infelix bellua, mente carens:
Solus homo miser est, ita mente & corpore constans,
Sentiat ut fragilem se, miserumque sciat;

ROSTOCHI
Literis Joachimi Pedani, Anno 1629.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0237
DFG

Literatißimo Dn. RESPONDENTI.

IPſe polum volvit, quem volvere dixit in orbẽ
Angelicas mentes, magnus Ariſtoteles;
In cœlum poſuit; quò, quod non viderat, omnis,
Mentes in cœlo, concio docta putet:
Credimus (ut fas eſt) mentes, ſine mole creatas
Corporis & volucri quæ ratione cluant:
Queis de luce ſua radios Deus indidit omnes,
Cunctaq; virtutum ſemina habere ſibi:
Credimus; è ſacro quia dictitat ore Jehovah,
Perſuademus idem poſt, rationis ope,
Perſuademus idem, quod demonſtratio non eſt,
Quâ dubium poſsis cogere rite virum:
Non tamen ut cœli conſcendas culmina, fas eſt,
Angelicas mentes orbibus & referas;
Ex alto, vereor, lapſu graviore ferare,
Quodq; ſit angelicus, non capies, genius;
Bescovii genius ſic mecum diſputat, unctus
Viribus ingenuis à meliore Deo,
Quodq; ſit Angelicæ mentis ſine corpore pondus,
Quæ natura cluat, diſſerit ingenio;
Hoc cur nobilius Muſâ congrater amicè
Ingenij ſpecimen, me jubet ingenium.

L. M. Q.

M. STEPHANUS Cloß.

Hacte-

HActenus aßiduè doctorum ſcripta ſophorum
Docta tibi, BESECOV, volvere cura fuit.
Præſide nunc docto ſophicum certamen adire
Deq; ſacris geniis bella movere paras.
Macte iſthoc genio, macte iſthac indole & acri
Greſſu virtutis currere perge viam;

Amicâ manu deproperabat

M. Johannes Daſſovius
Buxtehudenſis.

Συῶ Θεῷ.

Disputatio Octava Pneumatica,

DE SPIRITU CREATO, ET IN SPECIE DE ANGELO, EJUSQUE EXISTENTIA, ESSENTIA, ET ATTRIBUTIS, NON-OPERATIVIS EJUSDEM.

RESPONDENTE,

ANDREA BESCOVIO
Paswalcensi Pomerano.

Thesis I.

ABsoluto, cum Deo, *partis propriæ* objecto potissimo, ter maximo sc. Ente spirituali, nunc porro ad alteram ejus partem minus præcipuam, quæ est *de spiritu dependente & creato* σὺν θεῷ me accingo; Ubi, quod statim in limine pono, *Tractationem istam de spiritu hoc, merito è Metaphysicæ proscribo 1. Ob diversitatem objecti:* quod in Metaphysica est Ens quâ Ens in sua generali natura sine descensu ad species consideratum, hic vero spiritus creatus, certa Entis species. *II. Ob diversum considerandi modum*, qui utrinque reperitur; Repete ea prolixius, si allubescit *è disp.* 1. *Pneumat. th.* 45. *seqq.*

2. *Est* autem *spiritus creatus* (cujus existentiam in speciebus seorsim videbo) *substantia materiæ & formæ expers, in suo esse ab alia causâ se priori dependens.* Dico 1. *Substantiam:* Quia spiritus ille

quia Ens est (eò quod illi realia Entitatis requisita cõpetunt, ut, habere affectiones, operationes, species, itemq; producibile esse) utiq; erit vel substantia vel Accidens; *Non Accidens*: Dicito enim quia accidentis esse est alteri inesse, cui inhæreat illa, quodnam sit illius subjectum: Sane non poterit esse aliud accidens (quia Accidentis non est accidens nisi ambo accidant eidem, Aristot. *l.* 4. *Metaph. text.* 13.) sed erit necessario substantia vel corporea vel incorporea: *Non corporea*: Quia ab illa spiritus ille esset vel per intrinsecam emanationem, vel saltem ab alia causa externa introduceretur in illam: Accidentia enim vel producuntur à subjectis in quibus sunt, vel à causis ad subjecta transeunt; At neutrum hic esse potest: Quia corporis natura *ex se* est inepta sive ad producendum sive ad recipiendum accidens spirituale, tanquam subjectum adæquatum & primum. Itaque si *incorpoream* fateare *substantiam* spiritus subjectum, erit illa qnam ego intendo quia Deus capax esse nequit ullius accidentis.

3. Dico II. *Substantiam materiæ & formæ expertem*: Quod enim spiritus creatus non possit esse corporeus prolixe probatione non indiget: Specialius tamen id confirmabitur in seqq. Et hactenus adhuc in spiritu concipitur illa natura quam cum Deo habet *communem*.

4. Dico III. *Substantiam ab alia causa se priori dependentem*: Dependentiam solet Metaphysicus notare triplicem *I. Causalem*, qua effectus dependet à causâ, eamque vel *Extrinsecam*, qua res dependet à suis causis externis, *efficiente sc. vel fine*, v. g. filius à patre, *vel Intrinsecam*, qua *compositum* dependet à partibus componentibus, materiâ & formâ, homo v. g. ab anima & corpore: *II. Subjectivam*, quâ accidens dependet à suo subjecto, ita ut sine illo separatim existere non possit: *III. Objectivam*, quâ cognoscens in cognitione dependet ab objecto cognito: Secundi ordinis dependentiam spiritui nõ attribuo: Tertiam illi equidẽ vendico sed illã hic præcipue non intendo, est enim illa dependentia minus proprie dicta: Ideoque primam, eamq; potissimum *extrinsecam*, puto; quâ spiritus à causa efficiente productus esse dicitur: *Intrinsecam* vero à partibus componentibus materiatis sub certa conditione omnino removeo: Spiritus enim illam neutiquam admittit.

5. *Dividitur spiritus creatus in Completum & Incompletum*;

Ille

Ille est, qui ex suâ natura non petit complere sive constituere essentiam alterius, ideoque à corpore prorsus est independens: Hic vero suâ natura essentiam alterius constituere appetit: Ille directe huc pertinet, Hic vero proprie ad Physicam: uti infra specialius videbo. De primo primum.

6. Absolvet autem sese ἀγγελολογία sive spirituum creatorum completorum doctrina tribus istis I. Existentiâ eorundem, II. Essentiâ, III. Affectionibus.

7. Membrum primum *de Existentia* 1. Quæret *An Angeli sive spiritus isti creati completi possibiles sint*, II. An de facto eos in mundo esse per naturam cognoscibile sit. *Primo: Esse possibiles Angelicas istas naturas ita probo*: Quod per se nullam repugnantiam involvit ad esse, illud potest esse: Atqui essentia Angelica non involvit repugnantiam ad esse, Ergo *Major patet* ex iis quæ dixi *disp. præced. 7.* circa omnipotentiam Dei; Quicquid enim à Deo fieri potest, illud potest esse; At quæ non dicunt ad esse repugnantiam à Deo fieri possunt. Ergo. *Minor probatur*: Quia non est repugnantia ut existat natura Angeli sive ex parte Dei creantis, sive ex parte rei creabilis: *Non ex parte Dei creantis*: Ille enim vi omnipotentiæ suæ ad omnia possibilia se extendit: *Non ex parte rei creabilis*: Potest enim esse *creatura immaterialis*: Esse namque immateriale limites creaturæ non excedit, quæ aliâs licet illud habeat, sufficienter potest esse finita, sive in esse, sive in operari: Dein: Potest esse *creatura immaterialis intellectualis*: Tantum enim abest, ut immaterialitas intellectualitati sit contraria, ut etiam hæc ex illa intimè fluat, tanquam ex causâ effectus, Quo enim res est magis à materia remota eo magis est intellectu prædita, uti illud de facto experiris in animo rationali: Deniq; potest esse, *creatura immaterialis, intellectualis, & completa*: Completum enim esse prioribus attributis non repugnat: Imo esse valde nobile est, quod immateriale est & intellectuale, cur igitur illud subsistendi modum completũ habere non posset? præsertim cũ videas illud de facto existere in substantia incompleta & partiali, anima nempe nostrà;

8. *Secundo*: *Esse de facto Angelos* fide quidem indubium est: *Difficilius* tamen illud *probaveris, si nudæ inhæreas rationi*: Multi sane in re istâ valde sunt anxij & prolixi: sed nec dum, quæ animum

Existentia Angelorum ex Lumine Naturæ & potest sæpius firmiter probari.

hic dubitantem, reddant immotum, facile deprehendo: Unum, atque alterum argumentum examino: 1. Argumentantur à *possibilitate*: Angeli sunt posſibiles: Ergo sunt de facto: Antecedens patet ex theſi præced. *Connexio* probatur *primò*: Quia ad perfectionem Univerſi pertinet, eſſe in eo omnes gradus ſubſtantiarum immaterialium, & ſpecierum poſsibilium; At mundus eſt perfectus à Deo conditus. Ergo etiam in eo ſunt ſubſtantiæ immateriales: *Secundo*: In ratione ſubſtantiæ ſpiritualis maxima cernitur ejusdem ad Deum aſsimilatio: At illam à Deo non eſſe productam non eſt veriſimile: Ita ratiocinari videas Thom. *p. 1. ſum. 9. 50.* Suaretz *diſp. 35. Metaph. ſect. 1. n. 5.* & ex illis Carol. Franciſc. de Abra de Racon. *ſum. philoſ. p. 4. tract. 2. p. 38* & Neotericos plerosque: Verum! O bone Deus, quam multa feciſſes, ſi omnia quæ potuiſti, feciſſes! ſi ita connectere licet, & omnia illa de facto in mundo ponere, quæ poſsibilia ſunt ut à Deo fieri poſsint, jam pariter dicam, eſſe ſex mille, imo infinitos mundos, in cœlo noſtro currere ſexcentos ſoles, totidem lunas & Heſperos, & infinita alia, quæ non ſunt, quæ tamen hoc ipſo quia à Deo fieri poſſunt, reverâ eſſent! Repetant igitur illi vulgatum illud: *A poſſe ad eſſe N. V. C.* Nec quicquam probat quod pro connexi confirmatione adducitur, *primò ad perfectionem Univerſi pertinere ſubſtantias immateriales*: Nam: *Aliud eſt, ſi loquare de perfectione ſummâ & abſoluta*, quâ Ens ita perfectum eſt, ut nihil deſit illi earum perfectionum quæ in genere Entis ſunt poſsibiles: Et ita ſane *Univerſum hoc perfectum nec eſt, nec eſſe poteſt*, eo ipſo, quando creatum eſt: Res enim creata, quæcunque illa ſit, illius perfectionis, ſolius Dei propriæ, capax non eſt, ſed ſemper in hoc ſenſu adhuc imperfecta eſt, Aliud item eſt ſi loquare de perfectione debita cuilibet in ſuo genere, Qua ratione Univerſum hoc omnino perfectum eſt, licet illi deſint Angeli: Nihilominus enim diceret Ethnicus, mundum ea omnia habere, quæ *illum habere voluit creator*, quæque habere debuit: At voluiſſe creatorem ſolum corporeas naturas ille tamdiu poterit aſſerere, donec tu urgeas eum evidentiori ratione: Dicet ille, Deum ex ſe non teneri ad objecta perfectiora, niſi merum concurrat arbitrium, Item: Deum poſſe plurima facere quæ non velit, uti etiam idem confirmavi *diſp. 7. Pneumat.* Et ſic non ex

potentia.

potentia sed ex voluntate ratio promi debebat qua probares existere Angelos. *Aliter dico!* Perfectio mundi est *vel extensiva*, quæ se extendit ad omnes species & gradus rerum possibilium, *vel Intensiva*, quæ speciebus in illo contentis sigillatim tribuitur: *Prior Mundo penitus non competit*: Quia ita non est exhausta omnipotentia Dei, ut illa produxerit omnia possibilia: Imò si id factum esset, omnipotentia Dei non esset omnipotentia, Quia finita esset, ut plura producere non posset, Quod impium cogitatu! *Posterior vero perfectio competit mundo* divisim considerato ratione specierum in illo: Et ita mundus perfectus esset, licet in eo Angelus non esset: Perfectus, inquam, quia quælibet species præter Angelum debitam haberet perfectionem &c. Nec 2. Me cogis ut tibi ctedam esse Angelos, si dicas: *Illos ex sua naturâ maximè assimilari Deo; Ideoq; verisimile esse illum produxisse eos*: Nam omne verisimile refutatur per verisimile, præcipue si non subsit cogens ratio; Ideoq; ego tamdiu asserere possum, verisimile esse, quod Angeli non sint, donec tu evidentius me urgeas; Præcipue cum 1. pari ratione dicere possim, Esse alias substantias supra Angelos magis similes Deo quam Angelos, cum id non repugnet & 2. Deus ex se non teneatur ad producendum aliquid, quod assimiletur illi: Ex se is perfectissimus est & αὐταρκέστατος ut nullo bono externo indigeat.

9. II. Aristot. *l. 12. Metaph. cap. 6. & lib. 8. phys.* in cœlum ascendit; ibi investigaturus *ex motu* suas intelligentias: Summa sui fundaminis hæc est: Cœlum movetur, Ergo ab alio movetur: Antecedentis (quod passim ponit) cum sequente connexionem probat: Illud motus cœlestis principium aut est corporeum aut incorporeum: Si corporeum, erit vel finitum vel infinitum: Non hoc; Quia infinitum in magnitudine nullum datur: Neque illud: Quia motor cœli est infinitæ virtutis, cum moveat tempore infinito: Sed corpus finitum non habet virtutem infinitam: Corporeum igitur non erit. E. incorporeum sive immateriale. E. intelligentia: verum: In altum ille sublatus est hoc suo discursu, ut lapsu ruat graviore: Cùm ille ferè omni sui parte sit improbabilis: Improbabile enim est 1. *Cœlum moveri*: Recentiorum enim ut plurimum recepta sententia est; Cœlum suâ natura immobile esse: Moveri solum stellas in ipso, cujus confirmationem prolixè inve-

nias apud Dn. D Bartholin. *part. special phys. l. de Stell. probl. 1. de Motu Stell. à fol. 181.* Verum: Quia hic pariter regeri posset, si non cœlo, saltem stellis extrinsecum istum motorem Angelicum esse tribuendum, virtute cujus circumrotentur istæ, ulterius addo ut Improbabile 2. *Sive Cœlum sive stellas moveri ab extrinseco aliquo motore:* 1. Quia Cœli natura talis à Deo creari potuit, ut seipsa & ab intrinseco motum illum perficeret: Quid enim vetat illud asserere? Imò 2. *Motus Cœli est ab intrinseca ejus naturâ:* Quia naturalis ipsi: Probo: Quia cœlum ex naturâ sua (vi primæ creationis) est causa Universalis rerum omnium sublunarium: Quicquid igitur per se est necessarium ad hunc finem, illud ipsi cœlo naturale est: Quod enim naturaliter habet inclinationem ad finem, etiam inclinat ad media requisita ad illum finem: Alias enim illa ad finem inclinatio frustra esset, si non esset ad media, quibus expleri posset; At motus sive cœli, sive stellarum, per se est necessarius ad hunc finem, accedente enim v.g. sole ad signum Arietis plantæ germinant, ad signum Cancri, matureſcere incipiunt, &c. Ergo motus hic cœlo naturalis est. Taceo jam 3 Ipsum Arist. [*l. 2. de Cœl. c. 2. th. 13.* (forte præter opinionem) id innuere, quando Cœlum dicit esse ἔμψυχον: Quod licet plerique intelligant de animatione extrinseca ab intelligentiis orta, cæloque assignata, Conf. Conimbr. *l. 2. de Cœl. c. 2. t. 13. & ibid. cap. 12. th. 61.* Perer. *l. 7. de natur. cap. 8.* hoc tamen forte non congruit, nisi etiam currum quem trahit equus, aut rusticus, pari ratione animatum dixeris; Ideoque si Cœlum animatum est (ex hypothesi Aristot. ex qua ego nunc loquor, Neque enim id ideo pro vero acceptavero quia Arist. dixit, etiam in hac sententia, quæ asserit Cœlum à seipso moveri, cum à forma inanimatâ etiam motus ille circularis commode oriri possit) utiq; in se habebit motionis principium, nempe animam, Cur igitur illud assignat intelligentiis, quæ hac ratione erunt frustraneæ. Ulterius 3. Concedam licet Aristoteli *cœlum moveri ab extrinseco motore, non tamen demonstrabit illum esse Angelum*: Nam 1. Posset motus reliquorum orbium cieri à primo mobili, quod ille putat moveri à prima intelligentia (per quam quid intellexerit disceptatur, alij tamen putant quod *primum Ens*) Igitur non esset necessarium ponere reliquas. 2. Hoc licet non sit, *posset* tamen *immediate*

diate esse à primo Ente, Qui enim totum hunc mundum produxit, cur ille non posset in cœlo ciere motus & conversiones, præsertim cum ille causarum secundarum defectus, fortiter pro se, & pro istis suaviter supplere soleat? 3. Posset motor esse corporeus, nec tamen ideo, quod Aristoteles metuit virtute infinitus: Quia Motus ex se & ratione sui non petit fieri ab infinito motore, Cum in tempore incipiat, neque ab æterno esse possit, & licet in infinitum successive durare possit, reipsa tamen & ut actu ponitur finitus est, Confer ea quæ habet Suaretz. *disp. 29. Metaphys. sect. 1. à num. 7.* Hinc itaque constat invalidum esse quod Aristot. in motu cœli quæsivit, præsidium, neque sufficiens ad demonstrandam naturam Angelicam.

10. III Magnum plerique putant quod sumitur *ab hominibus arreptitiis & obsessis*: Homines hi mirandos sæpe præstant effectus, qui *ab intrinseco* à propria sc. illorum naturâ oriri non possunt: Ergo oriuntur à principio extrinseco: *Patet connexum:* Quia videas homines idiotas obsessos, variis linguis quas tamen ipsi vel nunquam audivere, loqui, de rebus item incognitis & abstrusis disserere, corpus præter solitum & in sui pernitiem movere, quæ omnia non ab intrinseco principio, sed à causa extrinsecâ oriuntur: Hæc autem causa aut erit Deus aut anima aut Angelus: *Non Deus*: Audias enim sæpius evomi ab istis horrendas in Deum blasphemias, & dira mendacia, quæ in ter optimum illud Ens referre nefas est. *Non anima à corpora separata:* Quia hoc nullo dicitur fundamento: *Deinde*: Neque unitur illa corpori per nudam assistentiam qualis hic est, sed per informationem; *Et denig*, Non potest corpori alteri uniri ut forma assistens, si semel sit separata, nisi id fiat miraculose, & per extraordinariam Dei potentiam: At non miraculose concurrit ad istos actus Deus sed permissivè: E. anima in corporibus istis hosce effectus præstare nequit. *Hoc argumentum*, fateor præ reliquis, omnium maximè *probabile est, sed tamen non dũ probat apodicticè*: Homo enim præfractus & contumax non ideo manus dabit sed, quod regerat, inveniet: Dicet n. *Actus istos commode posse referri in animam separatam*: 1. Quia illa habet virtutẽ corpora movendi saltem per modum assistentis (non informantis) formæ: Et sic etiam in corpore isto poterit varios istos motus exerere:

Argumentum quod ab hominibus arreptitiis & obsessis ad confirmandam existentiam Angelum adducitur non est Theologicum.

Antece-

Antecedens alibi probatum do 2. Anima adhuc in corpore delitescens, habuit peritiam variarum linguarum, perversam quoque & ad malum pronam voluntatē, quam & retinet, postquā separata est, Quid igitur prohiberet illa quoq; mala v.g. blasphemias, &c. ab anima per aliud corpꝰ exeri posse. Neq; est, *quod dicis animā nō posse uniri alteri corpori nisi miraculose per Dei potentiā*, quæ hic non intercedit in arreptitiis: Nam Unio alia est ad informationē & illa, si semel facta sit separatio, non nisi miraculo divino reparari potest, alia vero est ad assistentiam & directionem, quæ sine miraculo perficitur: Uti enim v. g. nauta navi unitur sine miraculo, ita etiam anima separata corpori isti hominis obsessi &c. Unde patet: Ἀπόδειξιν difficulter inveniri, quæ dictitet Angelicas mentes de facto existere in hoc Universo.

11. Quid igitur hac in re sit statuendum, nunc aperio: Dico *I. Esse Angelos ex sacræ scripturæ dictertis constat indubiè*: Testimonia hujus rei collecta videas passim in libb. Theologorum: Unde homini qui sacræ se addixit fidei res ista est certa. Saltem quæritur, An idem constare possit solo rationis lumine; ideoq;.

12. Dico II. *Esse Angelos solo naturæ lumine apodictice non confirmatur*: Probo: Quia nullum est indicium, quo demonstres, sive à priori, sive à posteriori, esse Angelos: *Non à priori*: sic enim demonstrares illud vel ex causa finali propter Quam, vel ex causa efficiente à Qua sunt Angeli: *Non ex finali*: Quem enim tu mihi finem assignabis Angelicæ naturæ, qui me urgeat, ut illam existere credam? *Si perfectionem Universi* dicas, nil evinces, vide quæ dixi *th.* 8. *Si gloriam Dei* afferas, regeram ego, Multo plura esse posse, quæ forte clarius nobilitare possint eam, quæ tamen exinde *actu existere* neutiquam dixeris; *Adde*: Quod demonstrationes ex finè plerumque non demonstrent Quod res sit, sed propter Quid sit; Ideoque prius supponunt, antequam igitur probes, cujus gratia sint, demonstra Quod sint: *Non ex causâ efficiente*; Causa enim illa non potest esse nisi *voluntas Dei*: At non potes cognoscere Deum voluisse Angelos creare, nisi postquam creavit: Ideoque quia & ipsa voluntas à posteriori cognoscitur, & ab effectu, non potes ex illa à priori, nisi cognito effectu saltem confuse, in hujus cognitionem deduci. *Neq; à posteriori* demonstrabis esse Angelos:

Quia

Quia sic essent aliqui effectus immediate orti ab essentia Angelica, indicantes illam: At hoc non est: Quia naturæ lumine non constat ulla operatio immediate ab Angelo, & non ab alia causa orta: Dicito enim illam! Si afferas *motus corporum cœlestium*, recognosce ea quæ dixi contrà th. 9. Sin *varios actus* ἐνεργουμένων prætendas, pariter nil obtinebis per ea quæ habes th. præced. At alia non sunt effecta quæ ab Angelo adæquate & unice manent, ita ut illum esse infallibiliter demonstrent. Ergo.

13. Dico III. *Probabiliter tamen cognosci potest ex solo rationis lumine esse Angelos*: Difficulter demonstratione aliqua ἀμεταπώτων καὶ ἀμεταχινήτων reddes hominem nulla ante Angelorum cognitione instructum, ut tibi credat dari naturas ejusmodi: Probabili tamen discursu quodammodo persuadebis. 1. *Ab effectibus*, Quos in hominibus arreptitiis deprehendimus quosque novimus ab anima separata, neque à Deo facile oriri posse, vide th. 10. Et *potest ad ea quæ dixi de anima separata, quod sc. illa hos effectus possit præstare, excipi*: 1. Animam separatam (ut quidam vult) non posse uniri alteri corpori, ut formam assistentem, quin simul uniatur ut informans, (excepto tamen speciali miraculo) At corpori obsesso non potest uniri ut informans illud: Quia unius corporis non possunt esse plures formæ (non subordinatæ) Ergo nec potest illi uniri ut assistens: 2. Anima separata non videtur posse effectus illos præstare: Quia ἐνεργουμένους sæpe videas adeo robustos, ut iis non possit resisti à multis hominibus, sed potius illos collidant, catenas rumpant ferreas, fores effringant, quæ animæ separatæ vires videntur excedere, sic etiam vix ulla anima tot linguas callet, quot isti homines loqui deprehenduntur: Unde probabiliter ratio conjicit esse aliud præter animam separatam in hominibus istis principium, à quo illa proveniant, nempe Angelum. *II Ab ordine Universi*: h. m. Deus produxit substantias materiales completas. Ergo & immateriales: *Patet connexio*: Quia Deus hunc semper ordinem in rerum productione observavit, ut unum contrariorum sine altero non produxerit, eo quod inde eminentior fiat mundi pulchritudo. Contraria namque juxta se posita magis elucescunt: Et sic etiam illud Deum hic observasse probabile est, ex juxta-positione namque essentiæ corporalis evidentior fit spiritualis & vi-

eiſſim. Hiſce ſi III. velis addere quod alij ſumunt *à perfectione Universi*, citatum th. 8. per me licet, Parum tamen vel nihil in eo probabilitatis reperio.

14. *II. Eſſentiam Angeli* definitione ſic exprimo: *Angelus* (Intelligentia, Mens,) *eſt ſpiritus creatus completus*: Definitio hæc indigetat attributa Angeli quiditativa *partim communia*, *partim* ſpecifica & *propria:* Videbo illa.

15. Dicitur Angelus *I. Spiritus*; Quo innuitur 1. quod ſit *Ens reale*; Exiſtere enim illum & ſic verè Ens *actuale* eſſe jam ante viſum: Quod etiam colliges ex veris operationibus, quas Angelo vendicamus, quæ non niſi Entis exiſtentis ſunt· *Entitas* autem *poßibilis* quod pariter conveniat Angelo, inde patet, Quia Angelica eſſentia nullam involvit repugnantiam ad eſſe, de quo *th.* 7.

16. Innuitur *II. Quod ſit ſubſtantia*: quod colligitur *1. ex perfecto per ſe ſubſiſtendi modo* quem Angeli habent: Accidens autem Ens eſt valde debile & imperfectum. 2. ex *nobilitate eſſentiæ Angelicæ*, quâ ſuperat corpoream: Hæc autem ſubſiſtens eſt, cur non igitur & illa? &c. Conf. *th.* 2. & *diſp.* 2. *Pneumat. de Natur. ſpir. th.* 21. Unde fruſtra negant intelligentias eſſe ſubſtantias *Jandunus*, *Mercenarius*, *Nicoletus &c.* cit. Dn. D Arniſ. *in lag. Crell. p. comm. l. 1. c. 5. p* 76. Quod tamen forte intelligunt illi de ſubſtantia prædicamentali, cujus ſummum genus eſſe ſubſtantiam *corruptibilem*, voluit Averr. *in Porphyr. cap. de ſpec. & 10. Metaph. 1. th.* 26. Unde negando Angelos eſſe ſubſtantias, hoc forte volunt quod non ſint ſubſtantiæ corruptibiles.

17. Innuitur III. *Quod ſit ſubſtantia ſpiritualis*, h. e. expers materiæ & formæ: Quod contra eos eſt, qui Angelos corporeos eſſe volunt: ut Hyeron. Zanch. *p. 1. de oper. ſex dier. lib. 2. cap. 3.* Vorſt. *in Apologet. Exegeſ. contra Becan.* quod ante etiam ſenſiſſe Auguſtin. volunt Ludov. Viv. *in lib. 15. de Civit. Dei cap. 23.* & Ludov. Cœl. Rhodigin. *l. 1. lect. antiq. c. 20. & l. 2. cap.* 5. Probatur autem: 1. *Anobilitate naturæ Angelicæ:* Angelus eſt nobilior quam anima, uti vulgo docetur & infra etiam forte demonſtrabitur: At anima eſt Spiritus. E. & Angelus; Patet: Quia ſi Angelus corporeus eſſet animâ tanquam ſpiritu inferior eſſet: Eò quod eſſentia corporea ſpirituali ſit ignobilior. *II. A negatione ſpecierũ naturæ*

corpo-

corporeæ: Si Angelus habet corpus erit illud vel simplex, vel è Quatuor elementis compositum: At neutrum est; *Non primum*: Quia variæ operationes, quæ Angelo tribuuntur, diversam organorum structuram (si per corpus exeri deberent) requirerent, quæ in corpore simplici esse nequit; *Non secundum*: Quia sic Angeli essent corruptibiles, quia ex rebus diversis & contrariis coagmentati essent, quæ naturâ suâ ab invicem dissolvi peterent. At Angeli sunt incorruptibiles uti probabitur inferius. Ergo. *III A penetratione Angeli in alia corpora*: Quicquid aliud corpus *naturaliter* penetrare potest, illud non est quantum: Quantitatis enim officium est rem facere secundum omnes dimensiones impenetrabilem: Atqui Angelus potest naturaliter penetrare aliud corpus, uti patet ex hominib⁹ arreptitiis & obsessis quos Angeli invadunt, ubi cũ natura corporis simul existit in eodem τῷ alia Angeli. Ergo. *Ulterius*; Quod non est quantum non est materiatum: Quantitas enim est materiæ perpetua affectio; At Angeli non sunt Quanti per dicta. Ergo. *Porro*: Quod non est materiatum non est ex materia & forma compositum: Materia enim & forma dicuntur πρός ἄ, ita ut una sine altera esse non possit, quia se mutuo perficiunt, sibique largiuntur suam subsistentiam: Atqui, Angelus non est materiatus. Ergo nec ex materia & forma compositus. Quod erat demonstrandum.

Probat Angelos non esse Corporeos.

18. Dicitur porro II. Angelus *spiritus creatus*. Ubi suppono: τὸ Creatum hic non intelligi *latè*, pro ut illud omne creatum dicitur, quod est ab alio (quocunque productionis modo) factum; Uti sumitur quando Ens in increatum & creatum dividitur, & omnia quæ præter Deum existunt, creata appellantur, etiam corpora: Sed *strictè*, prout id creatum dicitur, quod est ex Nihilo factum; Dico igitur *I. Spiritus agnoscere causam* efficientem. Quia non possunt esse Entia improducta, cum non sint plura præter unicum ter maximum Ens, improducta; Improductum enim esse sive independens, est infinita perfectio, quæ nulli creaturæ competit: Sunt igitur producta. E. agnoscunt causam à Qua sint producta; Nihil enim potest esse causa sui ipsius. Dico II. *Causam illam non posse esse creaturam*; Patet: Quia creatura in productione substantiarum solum agit per generationem; Quia enim in essendo

est finita, in operatione quoque limitatur ad agendum in certo subjecto, & ex præsuppositio subjecto: At spiritus non possunt produci per generationem sed per creationem, Quia nequeunt produci ex suppositio subjecto (cum illud non habeant) sed ex purè Nihilo: Quod autem ex nihilo producitur, creatur, Ergo. Ideoq; *III. Causa efficiens non potest esse nisi Deus*; Quicquid enim creatione producitur, infinita virtute producitur, & sic à solo Deo, qui unice infinitus: Ad creandum enim requiri infinitam virtutem vidi disp. præced. Atqui spiritus creatione producitur, & quidem ita ut nulla alia ratione produci possit. Ergo.

19. Unde cognoscitur: *Angelum intrinseca sui dependentia à solo Deo sive in fieri, sive in esse, sive in conservari, sive in destrui dependere*, indeque nullam creaturā esse posse quæ agat in illum actione substantiali. *In fieri* quidem: Quia, quod non nisi creatione producitur non potest pendere à creatura in fieri uti dixi modo: At spiritus non nisi creatione producitur, Ergo. *In esse*: Modus enim essendi sequitur modum productionis ejusdem esse: Et uti se res habet in fieri ita & in esse, quia fieri & esse non differunt nisi forte ratione; Fieri enim revera dicit ipsum Esse saltem cum novitate sive initio ejusdem: Esse vero infert illud cum continuatione sive permansione ejusdem: At fieri spiritus est prorsus independens à creatura. Ergo. *In conservari*: Modus enim conservationis sequitur esse rei: ita, ut, à quo res non potest ulla ratione fieri, ab illo etiam nequeat conservari: Angelus autem à creatura nequit produci. E, Denique *In destrui sive annihilari*: Quod enim non nisi creatione producitur non nisi annihilatione destruitur, *ab eodem agente*: Creatio n. & annihilatio, sunt oppositi motus transeuntes ab eodem agente adeundem (completum) terminum; Spiritus autem hi à solo Deo creatione producuntur. Ergo & ab illo solum annihilantur &c.

20. Et hinc facile cognosces *Angeli ab anima nostra differentiam*: Ille enim (quia à solo Deo dependet) à corpore prorsus est independens, aut à partibus corporis, Materiam enim & formam nullam habet ex aut in qua fiat, & ex qua componatur; Anima vero rationalis suam habet (salva ipsius spiritualitate & incorruptibilitate) à corpore dependentiam *I. In fieri*, Quia enim illa ex *suâ*

Differentia Angeli ab Anima

naturâ

naturâ est forma corporis, & nnâ cum illo, tanquam Ens incompletum, appetit complere & perficere compositum, non nisi *in certa & per prævias dispositiones benè præparata* materiâ producitur: *II. In esse*; Quia in materia natura sua manere appetit, & ab illa naturalis suæ perfectionis complementum accipit; Imo & perpetuo maneret in eâ, nisi per violentiam mortis separaretur ab illa. *III. In operari:* Quia à corporis organis dependet ita ut sine illis operari non possit: Licet enim actiones animæ aliæ sint *organicæ*, quæ immediate exeruntur per organa, uti sunt inferiorum potentiarum animæ, præter rationalem, *aliæ vero in organicæ*, quæ non exeruntur per organa, omnes tamen requirunt concursum organorũ sive ut principij immediate influentis, uti est in actionib⁹ organicis, sive ut principij disponentis & præparantis, ut in actionibus intellectus. Ipsa equidem intellectio non fit per organon, sed tamen ut fiat, necesse est concurrere φαντάσματα, quæ intellectui agenti objiciant quasi & repræsentent speciei faciendæ ideam juxta quam deinceps ille fabricet &c. Et hanc dependentiam etiam retinet anima à corpore separata *licet non actualem, saltem aptitudinalem*, quâ perpetuo inclinat cum materiâ reduniri, de quo infra. Angelus autem à corpore prorsus est independens. Unde duorum istorum spirituum discrimen facile colligis. Hactenus de Essentia Angeli.

21. *III. Affectiones Angeli sunt quæ quiditatem ejus consequi putantur:* Quas divido tripliciter, I. in ἀνενεργήτους, II. ἐνεργητικάς, & III. ἐνεργείας ipsas.

22. *Affectiones ἀνενέργητοι* Angeli sunt quæ simpliciter ab essentia illius manare putantur sine reali tamen operatione quam possint habere ad extra: Et sunt duplices: *Negativæ:* quæ verbis negativis circumscribuntur ut *I. In extensio, II. Indivisibilitas, III. Illocabilitas, IV. Immutabilitas V. Immobilitas, VII. Insensibilitas &c. Positivæ*, quæ positivis efferuntur, & sunt *I. Simplicitas, II. Finitas, III. Duratio in ævo, IV. Ubietas.* De singulis brevissime.

23. *I. In extensio* est affectio Angeli, qua omnis omnino quantitatis expers esse intelligitur. Et hæc demonstratur de Angelo ex *immaterialitate ipsius:* Quia enim Angelus immaterialis est, inextensus est.

24. *Indivisibilitas* est affectio Angeli, qua in plures partes Quantitativas secari non posse intelligitur: Quæ intime fluit ex ipsius *in-extensione*.

25. *Illocabilitas*, est affectio Angeli, quâ nullo loco physico physicè circumscribi aut contineri posse putatur: Quæ commode ex *immaterialitate & in-extensione* probatur.

26. *Immutabilitas* est affectio Angeli, quâ physicæ mutationis expers esse deprehenditur; Quæ probatur ex ejus *immaterialitate*.

27. *Immobilitas* est affectio, qua Angelus motus physici expers est, Quod commode probaveris itidem ex immaterialitate & in-extensione ejus; Motus enim ille à Quanto fit in Quanto &c.

28. *Insensibilitas* est affectio Angeli, quâ nullo sensu physico dicitur esse perceptibilis: Quæ iterum fluit ex *immaterialitate* ejusdem. Hæ sunt affectiones Angeli negativæ, quas nunc prolixe non explico, & *disput. 2. Pneumat.* à th. 42. illarum uberiorem explicationem, ibi generalius dictam, hic specialius non repeto, ne crambem bis coctam apponam, Non pauca etiam ex iis quæ jam dico uberius intelligi poterunt: Pergo igitur.

29. Affectionum positivarum prima est *simplicitas*: In cujus explicatione notabo *I. Ambiguitatẽ, II. Existentiã, III. Essentiã.* Quoad primum: Simplicitas potest esse duplex: Summa sive absoluta & Comparativa, sive in certo genere: Illa omnem omnino removet compositionem realem, qua ratione solus Deus est simplicissimum Ens, Hæc vero in certo genere notat alicujus compositionis, non vero omnis, remotionem, Et illa creaturis competere potest, vide *d. 4. Pneumat. th. 12.* Hoc supposito.

30. II De *Existentia simplicitatis* in Angelo dico *I. Angelus non est absolute simplex*, quasi omni compositione reali carere debeat: Nam 1. *Est Compositus ex esse & essentia*: Quid illa compositio sit vide *disp. 4. Pneumat. th. 30.* Unde hoc repeto, quod compositio ex esse & essentia sit essentiæ & subjecti ejusdem conjunctio, juxta Scalig. *exercit. 359. sect. 2.* At in Angelis est essentia & habens essentiam, abstractum & concretum, ita etiam ut differant ab invicem, Ergo. *Aliter*: Compositio ex esse & essentia est existentiæ cum essentia

sentia (quæ alias ex se non petebat magis existere quam non existere, sed indifferens erat ad esse actuale & potentiale) conjunctio, juxta Suaretz *disp. 30. Metaph. sect. 2.* At hoc est in Angelo: Essentia namque Angeli ex se est indifferens ad existendum actu vel non, neque magis petit esse quam non esse: Uti videre est inde, Quia de facto aliquando non habuit esse actuale, sc. ante creationem ejus, sed solum latitavit sub esse possibili, Ergo.

31. *II. Angelus est compositus ex actu & potentia:* Sive enim hanc compositionem latius sumas, uti etiam in reliquis compositionum generibus imbibitur, sive specialius, uti per potentiam intelligas *passivam* talem, qua res dicitur apta ad suscipiendum ulteriores perfectiones, per actum vero ipsam rei naturam, nihilominus hæc compositio Angelo tribuenda est; Est enim essentia Angeli apta ex sese ut possit recipere plures perfectiones accidentales, quam habet de facto; neque enim à Deo tantis illa donata est ἐξοχαῖς quin possit recipere meliores. Conf. Scalig. *exerc. 359. sect. 2. & 12.* Unde Constat: *Angelos non esse puros actus*, propter variam, quam in sese habent, potentiam passivam: Qua de re etiam dixi *disp. 5. Pneumat. th. 9.*

32. *III. Angelus est compositus ex naturâ & supposito:* Compositio hæc, in illis est, ubi natura, quæ ex se erat indifferens ad subsistendum sive per propriam sive per alienam suppositalitatem, cum suppositalitate, tanquam res cum rei modo complicatur: At in Angelo est talis combinatio naturæ & suppositalitatis: Essentia namque Angeli ex se est talis ut per absolutam Dei potentiam in alieno, (divino nempe) supposito possit subsistere, Hoc enim in homine factum esse novimus, Ideoque illud magnum perfectionis argumentum reputamus, Cur igitur illud denegandum esset essentiæ Angelicæ tanquam prorsus impossibile?

33. *IV. Angelus est compositus ex genere & differentia:* Nam nullum est indicium unde Angelo illa compositio repugnet: Si enim aliquid esset, quod illam impediret, maximè esset actualitas & perfectio Angeli: Hæc enim sunt quæ in Deo impediunt, ne ille possit ex genere & differentia compositus esse: vide *disp. 3. Pneumat. th. 36. 37.* seqq. At hoc non est: Angeli enim non sunt ita puri, actus, quin in iis aliquid possis concipere se habens per modum potentiæ

tentiæ passivæ sive generis, *ut actuabile & determinabile* & aliud per modum actus aut differentiæ, ut actuans & determinans, Cum in sese potentiam passivam admittant; Neque ita sunt perfecti, quin in iis possit aliquid concipi, per modum imperfecti & perfectibilis aliud vero per modum perficientis differentiæ: *Hinc ita colligo*: Ubicunque reperitur conceptus communis determinabilis, perfectibilis, actuabilis, ideoque se habens ad modum actuantis differentiæ, ita ut unus conceptus in altero non imbibatur, sed potius ab illo essentialiter distinguatur, ibi est exacta compositio generis & differentiæ: *Patet*: Quia Genus (Metaphysice) nihil aliud est quam natura communis perfectibilis sive determinabilis: Differentia vero est natura propria actuans: Et compositio ex genere & differentia est istarum naturarum conjunctio: *Assumo*: In Angelo reperitur conceptus determinabilis, ratio sc. *Spiritus creati*, & determinans, ratio sc. *independentiæ à corpore sive completi*; (Ita enim in hac rerum caligine circumloquimur differentiam illius, quam aliter exprimere non possumus, fateor enim ultrò illam accuratam non esse, ideoque per me licet, si meliorem afferre possis.) Ergo.

34. Hinc collige: *Angelos frustra è Prædicamentorum classe ejectos* esse, ab Alberto *In prædicam. c. 2.* Plotin. *Ennead. 6. l. 1. c. 2. & 3.* (cujus etiam sententiæ forte ex *Averroistis* sunt illi qui Angelos substantias esse negant, quos supra citavi) *Patet autem*: Quia, quicquid ex genere & differentia compositum est, directe, ut species, in prædicamento est, Prædicamenta enim sunt classes generum & specierum, eaque omnia comprehendere debent, quæ compositionem ex genere & differentia admittere possunt. At Angeli ita sunt compositi: Ergo. Confer Conimbr. *l. Categor. c. 1. de subst. art. 2.* Fons. *l. 5. Met. c. 8. q. 4. s. 1. seqq.*

35. *V. Angelus est compositus ex subjecto & accidente*: Est enim compositio hæc aliud nihil, quam subjecti & accidentis verè sic dicti, ideoque realiter ab illo distincti juxta positio: At in Angelo simul poni possunt ista: Ergo. Minor patet: *1. Quia Angelus potest suscipere accidentia*: Quia essentia ejus habet potentiam, (si non naturalem, saltem) obedientialem, ad recipiendum accidentia si quæ Deus producere velit in illa: Et hoc sufficit ad statuendam compo-

compositionis illius aptitudinem: *II. Angelus de facto habet accidentia*: Probatur. *Ab actibus intrinsecis intelligendi & volendi:* Hi sane non sunt realiter idem cum essentia Angeli, sed sunt operationes accidentales productæ ab illa & receptæ in ea: Angelus enim non intelligit per essentiam, (uti solus Deus) sed per efficientiam veri alicujus actus: qui est accidens illius: II. Probant alij intentum *à potentiis intelligendi & volendi*, in Angelo quas putant esse accidentia realiter distincta ab essentia ejusdem: Sed quia hæc res adhuc subjudice est, & alias difficulter probatur, eâ non utor.

36. Dico porro II. *Angelus est simplex comparativè & in certo genere*, quia caret *1. Compositione è materia & formâ*: quod supra probatum dedi, ubi spiritualitatem ejus monstravi, *II. Compositione è partibus quantitativis sive integralibus*: Hæc enim præsupponit materiam, quia partes quantitativæ sunt partes materiales. *III. Compositione è quatuor elementis*: Hæc enim solis competit corporibus mistis. Angeli autem non sunt corpora.

37. Est igitur *Simplicitas in Angelo nihil aliud quam attributum, quo omnis omnino compositionis materialis expers esse intelligitur.*

38. Secundum attributum est *Finitas*: Ubi præsuppono *Ambiguitatem*: Finitum dicitur *vel in Quantitate, vel in Essentia*: Illud dicitur cujus Quantitas est finita sive certo modo terminata; Et opponitur infinito in Quantitate; Estque vel in Magnitudine si illa in infinitum non extendatur, vel in Multitudine si illa non sit innumera: Hoc est, quod habet essentiæ fines, sive, quod habet essentiam talem, quæ aliquando incepit esse & sic antea revera non fuit, aliquando etiam (ex creatoris voluntate) iterum poterit non esse: Prioris Generis finitatem excludo, Quia Angeli quantitatis sunt incapaces, posteriorem intelligo Ideoq;. Finitum duo ζ ζ quiter

39. *Porro Existentiam finitatis* essentialis in Angelo ita confirmo: Quod creatum est, in essentia finitum est, Atqui Angelus est creatus, uti patet, Ergo. *Ratio Majoris est:* Quia creatura dicitur, quæ *ab alio* accepit esse per creationem, At Quicquid ab alio accepit esse, illud non habet infinitum esse, Quia non habet omnes essentiæ perfectiones, *ipsum enim ab alio esse, est magna imperfectio, negans perfectionem ~~nõ~~ Esse per se. Porro:* Angelus non est ita incorruptibilis, quin à Deo possit extraordinariâ & absoluta potentia

annihilari, uti mox specialius monstrabo: E. potest admittere essentiæ fines: E. est finitus. *Item* Angelus non est æternus neque potuit esse ab æterno, uti itidem mox patebit. E. aliquando non fuit: Et sic essentiæ fines habet &c.

40. *Finitas* igitur *est attributum Angeli, quo essentia ejus non omnibus perfectionibus prædita esse, & sic quoq; initium & finem Dei arbitrio admittere posse concipitur.*

41. Ex Finitate hac sequitur porro: *I. Finitas in durando*, quâ Angeli non possunt esse æterni: *II. In adessendo*, quâ non possunt esse omnipræsentes, *III. In operando* quâ non possunt esse omnipotentes &c. De quibus specialius dignosces.

Triplex Duratio

42. Primò *De duratione* sive Finitate in durando: Ubi suppono *Ambigue* dici durationem: Triplex namque est apud Metaphysicos: *I. Æternitas*, quæ est duratio omnis initij finisque prorsus incapax, de qua prolixius *disp. 5. Pneumat. th. 56. II Ævum* quod est duratio, quæ initium admittere potest, sed ex *sua naturâ* non petit finiri III. *Tempus*, quod est rerum naturâ defectibilium, ideoque initium finemq; admittentium: Hoc suppositio de Angelorum duratione sic sentio:

43. *I. Angeli non sunt æterni & in duratione infiniti:* Patet: Quia æternitas attributum solius Dei est uti vidi *disp. 5. th. 15.* Adde: Quod in essentia finitum est, in duratione infinitum esse nequit: Quia eadem sunt principia essentiæ & durationis: At Angeli in essentia sunt finiti. Ergo.

Angeli non potuerunt esse ab Æterno.

42. *II. Angeli non potuerunt esse ab æterno*: Ideoque necessario inceperunt esse cũ tempore saltem indeterminato; Assertio hæc impugnat eos qui putant Angelos ab æterno esse potuisse, quæ recentioribus valde frequens est, Conf. Suaretz *disp. 31. Metaph. sect. 3. n. 51.* Perer. *l. 15. Phys. cap. 12. 13.* Probatur autem: Quia quod non potest durare nisi habendo aliquando suæ durationis initium, non potest esse ab æterno, & sic necessario incipit in tempore: Ab æterno enim esse dicitur, quod de facto non habet initium finemve suæ durationis: Atqui Angelus non potest durare nisi habendo aliquando suæ durationis initium Ergo. *Minor probatur:* Quia quod non potest esse nisi habendo aliquando initium sui esse, neq; potest durare nisi habendo aliquando initium suæ durationis: Es-

sentia.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0258
DFG

sentia enim & duratio, quia realiter eadem sunt, hic pari passu ambulant. Atqui Angelus non potest esse nisi habendo aliquando initium sui esse. Ergo. *Deinde:* Quod creatum est, illud aliquando non fuit: Creari enim, est illud, quod nondum est, esse accipere: At quod aliquando non fuit non potest esse æternum: Æternum enim est quod semper fuit: At Angelus creatus est. Ergo.

43. *III. Angeli non durant in tempore*, ideoque naturâ suâ non desinunt esse: Patet illud ex *incorruptibilitate* Angeli de qua mox: Unde sic colligo: Quod sua natura tale est, ut non petat aliquando non esse, sed (nisi accedat extrinsecus potentia Dei extra-ordinaria destruens) in æternum potest durare, & nunquam desinere, illud non durat in tempore: Tempus enim est duratio rerum, quæ *natura sua* aliquando petunt desinere. At Angelus habet hanc naturam quæ ex se sufficienter possit in æternum durare, quia incorruptibilis est. Ergo.

44. *IV. Angelus durat ævo:* Ævum enim est duratio rerum, quæ incipiunt quidem, sed per naturam suam non desinunt; At Angeli sunt tales, ut naturâ sua non desinant, sed semper petant permanere in esse. Ergo.

45. Fluit hinc immediate Angeli *incorruptibilitas & immortalitas*, de qua hic breviter: Suppono autem Incorruptibile aliquid dici variis modis: Nam Incorruptibile est vel ab intrinseco tantum, vel ab extrinseco tantum, vel ab intrinseco & extrinseco simul: *Incorruptibile ab intrinseco tantum est*, quod suâ natura tam stabile est & firmum, ut ex sese non vergat ad interitum, ideoque perpetuo possit manere, neque ullius creatæ virtutis potentia, sed sola divina possit annihilari: Alij vocant *Incorruptibile per naturam. Incorruptibile ab extrinseco solum est*, quod in se quidem tale est, ut aliquando deficiat & vergat ad non esse, interim tamen *extrinsecus* accedente divinâ potentiâ in perpetuum possit manere: Quare ratione v. g. *equus aut asinus* si à Deo in æternum conservaretur ab extrinseco incorruptibilis esset: Alij vocant *Incorruptibile per gratiam. Incorruptibile ab intrinseco & extrinseco simul est*, quod & habet eam naturam, quæ ex se est indefectibilis, neque vergit ad non esse, & simul eam habet ab extrinseco inde-

Incorruptibile dicit Scriptura

pendentiam, ut neque ab ullo agente externo corrumpi possit, ideoque non indigeat alio peculiariter conservante. Et dicitur *Incorruptibile simpliciter*, uti v. g *Deus* est incorruptibilis.

46. Hoc supposito *de Existentia* Incorruptibilitatis ita me explico: *I. Angeli non sunt incorruptibiles ab intrinseco & extrinseco simul*, quasi sc. nulla vi etiam divina possint annihilari: Hoc enim nulli creaturæ concedi potuit eo ipso, quod creatura est, & agnoscit Deum authorem: *Patet ita:* Quia creatura est, quæ à Deo fieri potest vel aliquando facta est, At quod à Deo potest fieri, ab eodem potest destrui: Quia non est majoris virtutis rem annihilare quam creare; Angeli autem sunt creaturæ. E. à Deo destrui possunt & sic non sunt simpliciter incorruptibiles: *Dein.* Omnipotens est Deus, quia in omnia potest agere; quæ sunt præter ipsum, eaque, si modo volet, destruere. E. etiam Angelos &c.

47. *II. Angeli non sunt incorruptibiles ab extrinseco solum & per gratiam*, uti putat Clemens Timplerus *l. 4. Metaph. cap. 4. q. 18.* ubi asserit *Angelos quidem esse immunes ab actu sed non à potentia moriendi, ideoq; Deum ex gratia illis hoc concessisse, ut non moriantur*; sed falso! Quamvis enim non diffitear *gratuitum* donum esse incorruptibilitatem in Angelo, qui, sicut esse non habet à seipso sed à Deo, ita etiam essentiæ incorruptibilitatem, eadem habet gratia divinâ; Attamen, quod *gratuitum ille opponit naturali*, hoc modo, ut Angelus immortalitatem, quam habet ex gratia creationis, non habeat etiam à natura, & sic essentia Angeli *ex sese & ab intrinseco* quidē vergat ad corruptionem, sed solū συμβεβηκότως & extraordinario, præternaturali modo præservetur ab ea, turpiter hallucinatur: Nam Angelus ita in sese haberet principia corruptionis intrinseca, quæ speciali & extra-ordinario Dei concursu prohiberentur ne in actum erumperent, & sic nō magis esset incorruptibilis ac equus, si quis à Deo in æternum speciali gratia conservaretur, quod ridiculum est: Deus enim essentiam Angelicam ut perpetuam & *incorruptibilem* cōservat *non speciali* aut extraordinario *modo*, addendo aliquid illi, quod ei secundum consuetum naturæ cursum non debebatur, uti v. g. equum potest in æternum conservare, sed *generali conservationis modo* quo, juxta unius cujusque naturæ exigentiam, prout sc. illa conservationem exigit, concurrit: Est enim

enim Angeli natura talis ut illa non petat corrumpi (ut mox dico) ideoque hunc exigit conservationis modum, non specialem illum. Ideoque.

48. *III. Angeli sunt incorruptibiles ab intrinseco & per naturam*; Patet: 1. Quia in se non habent *principia radicalia* corruptionis, materiam sc. & formam, ubi potissimas sibi partes vendicat radix sive *subjectum* vehiculumque corruptionis, materia prima, 2. Et sic neq; agnoscunt *principia proxima* ejusdem nempe *Qualitates primas* elementares, quæ propter mutuas perpetuasque pugnas ad invicem alterant suppositum, & ad corruptionem disponunt; &c.

49. Est igitur *Incorruptibilitas affectio Angeli, quâ ex suâ natura omnis corruptionis & defitionis in capax esse intelligitur.* De qua nunc plura non addo.

50. II. Porro *Affectio Angeli est finitas in adessendo, sive præsentia & Ubietas* In cujus enodatione tria videbo *I. Ambiguitatẽ* sive distinctionẽ nominis *II. Existentiam. III. Formalẽ rationem* præsentiæ: Quoad primum adverto. 1. Præsentiam esse vel *repletivam* (alias omnipræsentiam) quæ solius Dei est, *vel definitivam*, quæ fit designatione vel definitione essentiæ ad certum aliquod & definitum ubi, sine extensione tamen aut circumscriptione alterius ambientis, *vel circumscriptivam*, quæ fit extensione corporis ad spatium, ideoq; aptitudinem dicit in eo, ut ab externo corpore circumscribi possit. Adverto II. Aliud esse in præsente materia locum extrinsecum, & intrinsecam præsentiam sive Ubi: Differunt enim ista etiam in re corporea: Nam 1. locus ibi *causa* q. est à qua oritur Ubi: Hoc enim resultat ex loco & corpore quod est in loco, & significat rei in loco præsentiam: 2. Locus est in corpore ambiente ut *subjecto*, ubi vero in corpore ambito, 3. Locus est *terminus solum extrinsecus* & accidentalis motus, ubi vero *intrinsecus & proprius*, qui motu isto producitur, uti patet ex motu si quis fieret, in vacuo, Hic enim produceret terminum realem qui non est locus (supposito quod vacuum sit) sed præsentia realis qnam corpus in illo vacuo acquireret;

Præsentia
Differentia inter Locum & Ubi

51. Quoad secundum *de Existentia* præsentiæ Angelicâ ita sentio: *I. Angelos habere præsentiam certum est:* Quia habent exi-

sententiam. Ubietas enim est affectio omni Enti necessaria præter Deum uti infr. alicubi *Scalig.* καὶ πάντες ὑπολαμβάνουσι τὰ ὄντα ἔν τινι πῶς inquit Arist. *l.* 4. *Phys. c.* 1.

52. *II Angeli non habent præsentiam infinitam sive omnipræsentiam*: cujus opinionis putatur fuisse Durand. *in* 1. *sentent. dist.* 17. *quæst.* 2. uti citat Carol. Franc. de Abra de Racon. *p.* 5. *tr.* 2. *s.* 4. *q.* 1. & Suaretz *disp.* 51. *Metaph. s.* 3. *n.* 10. Nam Quod suâ natura in essentia finitum est, illud quoque in præsentia est finitum, & sic non est omnipræsens: Quia modus adessendi sequitur modum essendi: Angeli autem in essentiâ sunt finiti. Ergo. Addo tamen: *Angelo forte per Specialem Dei gratiam non repugnare ut sistatur præsens toti hujus mundi spatio:* quod etiam putat Suaretz *disp.* 30. *Met.* 7. *n.* 29. *Unus enim*, inquit *Angelus nunc potest esse præsens, v. g. toti huic civitati, & potest alius Angelus fieri perfectior, qui majorem locum impleat, & in hoc augmento potest in infinitum procedi extra omnem proportionem, E. poterit deveniri ad Angelum qui toti huic mundo præsens esse possit. &c.*

53. *III. Angeli non habent præsentiam circumscriptivam*: Hæc enim dicit extensionem corporis ad spatium, ideoque aptitudinem in eo ponit ut possit ab externo corpore circumscribi: Et sic ad hanc præsentiam requiritur *I. Extensio partium quantitativarum* in re locata non solum sed & in ordine ad locum; Quia n. partes illæ beneficio quantitatis ita se habent ut una ponatur extra aliam, & sic extendantur, non possunt non habere præsentiam extensam: Ut enim res se habet in esse, ita etiam in adesse; Præsentia enim est modus ex essentia intime fluens: Et sic: Quod partes habet in se extensas, habet etiam partium illarum præsentiam extensam in ordine ad spatium: *Contra quod*: Quod illas partes extensas non habet, neque præsentiam sui extensam habere potest: Atqui Angeli non habent partes quantitativas & extensas, Quia sunt spiritus, Ergo *II. Divisio partium ad distincta spatia*; Quia enim partes extensione ponuntur extra partes, ita ut una pars non in alia sit, sed extra aliam; Hinc etiam pars hæc suum sibi proprium vendicat locum, ab alterius loco distinctum, neque in illo esse potest: In homine enim v. g. per extensionem caput ponitur extra cervicem, collum, thoracem &c. ideoque etiam quia thorax non

est

est in collo, neque est in eo spatio in quo est collum, sed habet aliud spatium diversum ab illo: At spiritus ita præsens non est, sed potius totus in toto & totus in qualibet parte spatij est, propter in extensionem suam, uti mox dicam. *III Occupatio spatij*; Occupare spatium illa proprie dicuntur, quæ ita sunt in illo ut *excludant præsentiam cujusvis corporis* alterius, quod iterum intimè oritur ex quantitate, quæ facit istam impenetrabilitatem. At Angeli non habent quantitatem. Ergo. IV. Ad *circumscriptionem aptitudo* Quia enim in re quanta partes extra partes ponuntur à corpore ambiente, si quod sit, quoq; circumscribi *possunt* Et sic Ubi partes istæ quantæ non sunt, neque in re ubicata est aptitudo ad circumscriptionem. In Angelo non sunt istæ partes, Ergo.

54. *IV. Angeli non habent præsentiam localem*, & sic non sunt in loco extrinseco proprie dicto; contra quam vult *in Metaph.* Timplerus *lib. 4. c. 4. q. 6.* Ne autem putes hanc assertionem cum præcedenti coincedere, adverte: *Præsentiam circumscriptivam & localem differre*, Quia illa ponit solum aptitudinem in re ad circumscriptionem actualem, hæc vero actum, uti v. g. Cœlum extremum præsentiam habet circumscriptivam, quia aptum est à corpore externo, si quod à Deo crearetur circumscribi, non tamen localem, quia actu non circumscribitur. Unde graviter videas hallucinari illos qui actu ultimũ cœlũ putant esse in Ubi definitivo, de quo alibi. *Assertio autem dicta facile fluit* ex præcedenti: Nam 1. præsentia localis oritur ex præsentia circumscriptiva, vel potius supponit illam: At Angeli non habent præsentiam circumscriptivam. 2. Præsentia localis dicit ordinem (non ad intrinsecum sive imaginarium spatium sed) ad extrinsecum locum: At locus ille extrinsecus solum corporis Physici affectio est, 3. Loci officium est ambire & comprehendere corpus locatum: At illud non potest fieri in ordine ad spiritum. Ergo. &c.

Præsentia circumscriptiva localis differunt

55. *V. Angelus habet præsentiam definitivam*: uti constat ex requisitis illius: Poscit autem *1. Ut sit finita*: Ideo enim dicitur definitiva, quia sibi suum definit & designat ubi, extra quod res Ubicata non est, ideoque hac ratione certis finibus (licet innominatis) determinata. Et sic etiam Angelus in præsentia finitus est, ex th. 52. *II. Ut sit in extensa*; Quod fluit ex spiritualitate rei Ubicatæ:

catæ: Quod enim quantum non est, neque modo quantitativo præsens est; At Angeli non sunt quanti; Ergo. Adde tamen: *virtualem extensionem*, quâ Angelus se ad majus spatium vel diffundere vel ad minus contrahere possit, non impugnari. Unde porro *III. fluit, ut sit indivisibilis*; h. m. ut totus Angelus in toto suo spatio possit esse, & simul indivisibiliter totus in quavis parte spatij: *Patet*: Quia divisus existendi in loco modus oritur ex partium Quantitativarum extensione: Et sic, Ubi illæ non sunt, neq; divisibilis ille adessendi modus est, At in Angelis hæ partes non sunt. E. *Dein*: Angelus ubicunque est, totus est quoad essentiam: Essentia enim ejus non habet ulla ratione partes in quas dividi possit, ita ut pars hic sit, pars alibi, E. etiam Angelus si in hoc indivisibili puncto sit, totus in illo quoad essentiam est, si in majori spatio, itidem totus, ita tamen, ut nihilominus totus quoad essentiam maneat in hoc puncto, propter essentiæ suæ in partes quantas indivisibilitatem. *IV. Ut sit libera*: Quod addo ideo, ne putes, Angelum uni perpetuo spatio adfixum, quod non mutet: Potest ille ex vi liberi arbitrij quo præditus est, se definire, ut modo sit Romæ, modo Rostochi, modo alibi, itemque ut in hoc spatio modo se diffundat, ad spatium suum adæquatum extra quod essentia Angeli esse non potest, modo se rursum quasi contrahat etiam ad ἀνδεινότητα puncti: Et sic libertas illa præsentiæ est partim in ordine ad mutationem spatij adæquati, in aliud adæquatum partim in ordine ad mutationem spatij adæquati in inadæquatum &c.

56. Ex dictis solvo seqq. *I. An Angeli plures simul possint esse naturaliter in eodem ϖ̃?* Negat equidem Thom. *part. 1. quæst. 25. art. 3.* sed cur id non esset? Quia quantitas solum prohibet penetrationem, & ab uno eodemque loco excludit quanta alia. In Angelis autem nulla quantitas. *Dein*: Angelus & anima possunt esse in eodem ϖ̃, cujus in dicium sume ex obsessis. Cur igitur non & Angelus & Angelus?

58. *II. An Angelus unus possit esse simul in pluribus. Ubi?* Noto hic Ubi esse *vel adæquatum* substantiæ Angelicæ, secundum omnem extensionem virtualem quam habere potest in illo; *vel inadæquatum*,

tum, in quo quidem tota Angeli essentia est, ita tamen, ut extra illud sese extendere possit: *Dein*: Ubi est *vel continuum*, quod omnibus sui partibus à re ubicata est repletum, vel *discontinuum*, quod unà alterâve sui parte occupari, altera vero cassum linqui intelligitur. *Tertio*; Distinguo potentiam ordinariam à Dei potentia absoluta: Quo observato dico: *I. Angelus naturaliter potest esse in pluribus Ubi inadæquatis* continuis; Ponamus enim v. g. Musæum hoc totum esse Ubi adæquatum Angeli, ita ut illud totum sua præsentià impleat, neque extra iliud naturaliter esse possit, Angelus nihilominus poterit esse in pluribus Ubi inadæquatis, singulis nempe Musei partibus totus, Hoc enim Angelicæ naturæ maxime consentaneum est. *II. Angelus naturaliter non potest esse simul in pluribus Ubi inadæquatis discontinuis*; ita sc. ut Angelus sit in utraque extremitate hujus gymnasij, nec tamen sit in medio: Patet: 1. Quia sic Angelus in quacunque distantia posset esse in duobus locis discontinuis: Nam si distantia locorum semel non impedit, ut Angelus sit in pluribus spatiis, nulla distantia impediet, At hoc est absurdum ut Angelus in quacunque distantia in pluribus locis esse possit naturaliter, 2. Anima non potest esse in partibus discontinuis corporis, si enim v. g. præscindas digitum, cessabit utique præsentia animæ in illo: E. eadem erit ratio in præsentia Angeli respectu spatij discontinui: Neque hic apparet dissimilitudo *III. Angelo non potest esse naturaliter in pluribus Ubi adæquatis continuis*: Est enim ejus præsentia finita, quæ certos habet limites, certumque spatium, licet innominatum, ultra quod non extenditur. Et illud voco adæquatum Ubi: Et sic: v. g. Angelus, qui nunc Rostochi est, ea ipso naturaliter simul esse nequit Romæ, tantum enim spatium naturalis sua præsentia non comprehendit. *IV. Angelus per potentiam Dei extraordinariam potest esse in pluribus adæquatis ubi continuis simul*; Quia in eo nulla est repugnantia: Essentia enim Angeli potest esse finita, & tamen in pluribus Ubi præsens esse, *Repete th 51. V. Anne autem Angelus simul possit esse Dei potentia in pluribus Ubi adæquatis discontinuis*, v. g. an Gabriel & possit esse Romæ & Rostochi simul quin unà sit in locis intermediis, forte difficilius est determinare. *Puto tamen illud fieri posse*, cum hic non sit evidens hujus rei repu-

gnantia: Licet enim hic non sit unitas sed potius discontinuitas & multitudo *spatiorum* inde tamen non recte infertur discontinuitas aut multiplicatio *essentiæ* Angelicæ (si ponatur in discontinuis istis spatiis:) Quia discontinuatio illa spatiorum prorsus est accidentalis essentiæ Angeli, (sicut & continuatio) neque in essentia illius quicquam mutat: Unde *unus potest esse Angelus in suo esse, licet unum illud esse poni dicas in pluribus spatiis discontinuis.*

58. *III. An Angelus cum corpore possit esse simul in eodem* τῷ? Colligo hujus rei assertionem *ex anima rationali*, quæ intime præsens est corpori & omnibus partibus ejusdem, propter suam spiritualitatem, Et sic idem potest dici de Angelo, quod (licet non necessario, tamen) ex rationis arbitrio possit esse in eodem τῷ cum corpore: *Et hinc sume rationem à priori*: Quantitas enim in corpore non prohibet simpliciter coexistentiam *rei* alterius, *sed rei quantæ* alterius: Spiritus autem quantus non est. E. ejus cum corpore in eodem τῷ coexistentia prohiberi nequit.

59. Tertio *Quæ* tandem *formalis ratio sit præsentiæ Angelicæ disceptatur*: Ego brevissime me expedio & dico *I. Angelus non est in Ubi formaliter per suam substantiam, ita ut substantia Angeli sit præsentia ejus formaliter*, quod *Scotum* sensisse vulgo dicunt: *Patet*: I. Quia Angelus primo intelligitur esse, antequam intelligatur adesse, Ideoque alia est formalitas substantiæ alia præsentiæ: 2. Essentia Angeli est immutabilis, At præsentia mutabilis &c.

60. *II. Formalis ratio præsentiæ non est existentia Angeli*: I. Quia hæc quoque est invariabilis, illa autem variatur: *Deinde*: Per existentiam hic intelligitur aut existentia essentiæ Angelicæ ut sic, aut existentia Angelicæ essentiæ in loco: *si prius*: tum formalis ratio loci erit *ipsa essentia* Angeli actualis: *Existentia enim illa nihil est aliud, quam essentia*, ut intelligitur actu extra causas esse; qua de re vide eos, qui monstrant inter existentiam & essentiam nihil esse realis discriminis: At *essentia* Angeli non potest esse formalis ratio *præsentiæ* ejus: Illa enim prior hæc posterior: *Si posterius intelligatur* committetur inanis tautologia & petitio principij, de hac enim *existentia in loco* quæstio est, in quo sit sita ejus formalis ratio &c.

61. *III. For-*

61. *III. Formalis ratio præsentiæ non est actio immanens* uti contendit *Cajet.* eamque dicit *applicationem virtutis*: Nam actio illa immanens non potest intelligi alia nisi actus intellectus aut voluntatis: At illi actus non sunt formalis ratio cur res existat in loco ut patet alias evidenter &c.

62. Neque *IV. Formalis ratio præsentiæ est operatio transiens*, uti præcipue contendit *Ferrar!* Quia hæc præsentia posterior est, ideoque supponit illam: Antequam enim Angelus operetur supponitur esse præsens, 2. Angelus potest esse præsens licet nihil operetur: Ideoque hæc potest mutari illa nihil mutata, & sic hæc non potest esse formalis ratio illius. *Notandum tamen:* Posse hanc sententiam (quæ hoc modo intellecta falsissima est) admittere bonum interpretem; Distinguo enim I. inter *Ubi intrinsecum & extrinsecum:* Illud est *modus sive relatio* ipsa potentiæ Angeli ad sibi coexistens spatium; Hoc vero est *spatium* illud quod adæquate intelligitur ambire essentiam Angelicam, ejusque præsentiam terminare ne ulterius extendatur; II. Aliud est loqui de formali ratione præsentiæ Angelicæ, aliud, de causa & origine ejusdem: Quo observato dico: *Operationem transeuntem non esse quidem formalem rationem præsentiæ Angelicæ sive modi illius & Ubi intrinseci, quod Angelus habet ad spatium coexistens: Esse tamen causam sive principium, cur Angelus extendatur ad spatium sive Ubi extrinsecum,* quod ambit adæquate essentiam ejus: Quod etiam non diffitetur Suaretz *d. 51. Met. s. 4. Ponamus*, inquit, *Angelum antequam operetur, esse in loco suo interno, qui potest esse spatium indivisibilis puncti nihilominus tamen, ut sit extensus in loco per virtualem suam extensionem, (qualem habet anima nostra in corpore existens, nempe tota in toto & tota in qualibet parte) debet necessario operari ad extra, Hæc enim externa operatio facit, ut substantiam reddat præsentem omnibus partibus loci in quo vult operari, quæ aliquo in uno puncto reperiri possit.* Unde non audio Carol. Franc. de Abra de Racon. qui *summ. ph. 4. tr. 2. de Angel. s. 4. q.* 1. hanc sententiam uno alterove argumento vult facere falsam. *Aliter* Excusari illa sententia potest, si concipiatur loqui de existentia sive *præsentia* Angelorum *in Ubi quoad nostram cognitionem:* Quia n. nos non possumus deprehendere substantias separatas alicubi esse nisi per operationem tranieuntem, eamq;

eamq; materialem, quæ ab eis proveniat, uti v. g. dæmones, quī ἐνεργουμένους vexant, per ea quæ in illis efficiunt deprehenduntur, hinc etiam præsentia istorum spirituum (ratione nostræ cognitionis non ratione sui) in operatione transeunte dicitur consistere. Quo sensu etiam puto Aristotelem locutum fuisse quando principium individuationis ponit materiam, ἀριθμῷ μέν (ἐστιν ἓν) ὧν ἡ ὕλη μία. inquit *l. δ. Met. c. 6.* Quia enim materia certis quibusdam attributis quasi signata & determinata est singularitatis nota, unde nos cognoscimus illam, hinc numero unum, æstimat ab unitate materiæ; Alias tamen materiam principum individuationis (in re corporea) non esse disputatur alibi. Tertio: Excusabis hanc opinionem si dicas authores illius loqui *de operatione tanquam de causa finali præcipua*; Angeli enim ideo potissimum (licet non semper, potest enim Angelus in spatio esse, qui operationem non intendat) in spatio sive Ubi suo degunt, ut operentur in illo Qua ratione operatio dicitur esse præsentia. Hanc autem sententiam ideo paulo prolixius excuso & explico, cum videam eam à multis (forte non satis rectè) oppugnari, à paucis contra propugnari, aut saltem leviter excusari, etiam contra authorum quorundam mentem. Sed pergo.

63. *V. Formalis ratio præsentiæ Angelicæ est modus quidam relativus, sive relatio resultans ex natura Angelica & coexistentia spatij*: Ita enim relinquitur ex dictis: Præsentia enim, Quia est aliquid intrinsecum illi, & tamen diversum ab illo, non potest esse nisi entitas quædam modalis, ex essentia ejus propter coexistentiam ad spatium, resultans, eamque denominans *formaliter præsentem* Hinc quid præsentia angelica sit facile cognosces. Sitne autem præsentia illa, Entitas quædam ab essentia Angeli *realiter* diversa uti vulgo putatur nunc non inquiro. Ideoque finem (quem hic intendi,) nunc superaddo. *Sit laus & gloria Angelorum creatori in secula.*

COLLEGII PNEUMATICI

Disputatio Nona

DE

VITA ET ACTIBUS VITALIBUS ANGELORUM,

Cujus positiones,

Annuente ζώου αὐταρχεστάτου gratia,

&

Suffragante consensu Amplissimi Philosophorum
senatus in inclyta Academia Rostochiensi,

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Horis locoq; debitis defensum ibit ad diem
3. Junij.

PETRUS ZIMMERMANNUS
Massovienſis-Pomeranus.

ROSTOCHI
Literis Joachimi Pedani, Anno 1629.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0269
DFG

VITA ET

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729949087/phys_0270
DFG

Literatißimo Dn. RESPONDENTI,

ANgelus ut *vitam* memorabile volvat in ævum,
Atq; tot à tergo ſecula linquat ovans:
Utq; *animi* fervore ſui ſuper æthera tranet,
Ingonioq; ſciat, queis caret omnis homo,
Nec per tranſennam populari lumine tantum
Mente ſed ingenuâ fortius ipſe cluat,
Præcipiat ſignis ventura, recolligat, unde
Quiq; cuiq; cadant ſorte ſubinde dies:
Quæq; *voluntatis* ſint ſplendida munia pronæ,
Quod libertatis munus & imperium,
Mutuo ut inq; vicem *blando ſermone* ſuſurret,
Quæq; animi voces neſcia ſenſa ferant,
Mox ad Eöum, mox quâ ſol vergit in undas,
Præcipiti *motu* fulminis inſtar eat;
Fælici nimium monſtras fundamine, niſus
ZIMMERMAN, facta quâdam operis facie.

L. M. Q.

M. Stephanus Gloꝛ.

Σωῖ Θεῷ.

Disputatio Nona Pneumatica,

DE VITA, ET ACTIBUS VITALIBUS ANGELORUM,

RESPONDENTE,

PETRO ZIMMERMANNO
Massovienſi Pomerano.

Theſis I.

HActenus attributa Angeli ἀνενέργητα: Superſunt ἐνεργητικὰ, per quæ actus ſuos Angelus exerere intelligitur: *Et ſunt duùm generum*: vel enim reſpiciunt actus immanentes, quos intra Angelicam eſſentiam producit, ideoque ſe non actuant ad extra, Et ſunt *potentiæ vitales*, quas comprehendo ſub uno nomine *Vitæ*: vel reſpiciunt actus tranſeuntes quos extra ſeſe in aliis ſubjectis operatur, quæ κατ' ἀντονομασίαν indigitabo ſub nomine *Potentiæ*.

2. *De vita* primo: Ubi inquiram *I. Exiſtentiam*, An ſit in Angelo, *II. Eſſentiam*, Quid ſit, *III. Diviſionem*, Quotuplex ſit:

3. *Eſſe viventes Angelos* ſufficienter probaveris *I. Ex ſpiritualitate*: Quod ſpirituale eſt, vivens eſt, vitâ ad minimum intellectuali, cujus rei rationem prolixius ſume ex *diſp. 2. Pneumat. th. 68. 69.* At Angelus eſt Ens ſpirituale, ut patet *ex diſp. præced. 8.* Ergo *II. Ex nobilitate eſſentiæ Angeli*: Angelus habet eſſentiam nobiliorem reliquis creaturis, homine etiam ipſo: E. nobilis ille eſſendi modus (per vitam) qui reliquis inferioribus competit, Angelo

non deerit. *Connexio patet*: Quia alias Angelus omni creaturæ vivente esset inferior, cum vivens sit nobilius (cæteris paribus) non vivente. At hoc falsum est. *III. Ex effectibus*: Angeli exerunt actus vitales, intellectus præcipue & voluntatis; videmus enim eos variarum rerum peritia, linguarum facūdiâ, amore & odio &c. apprimè instructos, Qui actus principium vitale in Angelis subinnuunt: Neque hanc rem de Angelis subticuit Arist. quando de iis *lib. 1. de Cœlo, c. 9. text. 100.* (melius acij qui Angelos corporeos, & corporis passionibus obnoxios volunt) differit: διόπερ οὐδ' ἐν τόπῳ τινὶ (sc. ἔξω τοῦ οὐρανοῦ) πέφυκεν, οὔτε χρόνῳ πίπτει αὐτὸ γηράσκειν, οὐδ' ἐστὶν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω περιφορὰν φορᾶν, ἀλλ' ἀναλλοίωτα καὶ ἀπαθῆ τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα.

4. *II. Essentiam* vitæ sic exprimo: *Vita Angelica est attributū, quo essentia ejus vi agendi intrinseca prædita esse, & seipsam per actus vitales immanētes, cognitionis, volitionis, loquutionis motionis &c. actuare intelligitur.* Innuitur hic potissimū (reliquis omissis) *principiū vitale*, vulgo vita actus primi, *II. Actus vitales*, vulgo vita actus secundi.

5. I. Principium vitale communiter faciunt duplex: *Primò Remotum sive radicale* quod producit in se aliud principium à quo deinceps oriantur actus, & dicitur ipsa *essentia Angeli*, Secundo: *Proximum & immediatum*, à quo immediatè fluit actus, Et dicitur *potentia accidentalis sive Qualitas* realiter diversa ab essentia Angeli: Uti v. g. in homine putant quoque esse & potentiam intelligendi accidentalem, tanquam principium actus intellectivi proximum, & ipsam animam intellectivam, ut principium ipsius remotum; Sed si liceat fateri quod res, *non puto in Angelo esse potentias vitales accidentales realiter diversas ab essentia ejusdem*: Ideoque, non *esse* in re duplex principium actus vitalis essentiam sc. & potentiam, sed *unicum* tantum, *proximum & immediatum ipsam nempe essentiam*: Assertum hoc ægre ferunt Thom. *p. 1. q. 45. art. 1. & q. 77. a. 1.* Suaretz. *disp. 18. Metaph. sect. 3. n. 13. 14. & disp. 35. Met. s. 4. n. 16.* Adde Zabar. *lib. de facult. an.* Conimbr. *l. 2. de an. c. 3. q. 4. art.*

4. art. 2. alios &c. plures: Probatur contra illos: 1. Quia essentia Angeli continet in sese eminenter & virtualiter omnes effectuum & actuum vitalium perfectiones, ut aliud conprincipium accidentale non requirat, E. frustra ponuntur potentiæ accidentales, quæ sint principia proxima actuum, E. essentia est adæquatum, proximum, unicum, actuum horum principium: *Connexio patet*; Quia ideo putantur concessæ potentiæ accidentales, ut juvent essentiam in agendo ex se alias improportionatam, Ubi igitur in causa omnes effectus perfectiones eminenter continentur, isto adjumento opus non est: *Antecedens probatur:* Quia Angelo possunt attribui omnes formalitates in effectu sive actu vitali repertæ: Ergo est causa adæquata ejus, continens eundem virtualiter: Illam enim causam adæquatam dico quæ omnes effectus formalitates in sese præhabet sive formaliter sive virtute: *Patet antecedens:* Quia in actu vitali non reperio nisi tria illa 1. operationem ut sic, 2. operationem vitalem, 3. operationem talem, sive determinatam: At 1. ratio operationis ut sic debet tribui essentiæ Angeli, Quia illâ ex sua naturâ determinata est ad operandum, cum non sit ἀεργὸς sed potius ad operandum maxime accommodata, *Dein:* Ratio operationis vitalis illi debet vendicari, Quia essentia ipsa est vitæ principium, *Tertio* Ratio operationis talis sive determinatio ad operandum oritur à specie impressa & ab objecto, Ideoque neque hic indiget superaddita potentiâ *Hinc ita in forma conclude:* Quodcunque secundum omnes suas formalitates essentia Angeli virtualiter sive formaliter in sese continet, ad illud producendum non indiget aliâ virtute superaddita accidentali, ideoque ejus causa adæquata est & unica: Quî enim posset id virtute continere quoad omnes perfectiones, ad quod producendum virtute alia superaddita egeret? Atqui essentia Angeli in se continet omnes actus vitalis formalitates, ut probatum est. E. non indiget alia virtute accidentali ideoque ejus causa est adæquata & unica. Addo 2. *Rationem à simili:* In anima non distinguitur ab illa intellectus & voluntas, Quod nunc suppono, probabitur autem contra receptam opinionem suo loco: E. multo minus in Angelo distingui possunt ab illo: *Patet connexio:* Quia ratio non est, cur animæ major debeatur simplicitas, quam Angelo: 3. Contraria

sententia evidenti ratione destituitur uti non diffitetur ipse Suar. *disp.* 35 *Met. sect.* 4 *n.* 16. quando nil circa hanc rem dicit esse evidens ratione naturali, Quod etiam habet *disp.* 18. *s.* 3. *n.* 14. Cur igitur isti credam solius autoritatis affectu inductus? Quæ hic adversa pars objiciunt, hic non discutio, reservo mihi ea in locum commodiorem.

6. *II. Actus vitales, sunt operationes emanantes ab essentia Angeli adæquate in ea producti, ut actuent & perficiant illam*; De quibus fateor: Esse illos accidentia proprie & vere ita dicta de prædicamento actionis, ideoque verâ efficientiâ in Angelo producta: Et sic: *Non sunt realiter ipsa essentia Angeli* uti Arist. asseruisse putat Suar. *d.* 35. *Metaph. sect.* 4. *num.* 2. & Javell. *l.* 12. *Metaph. q.* 11. Patet: 1. Quia actio vitalis Angeli est mutabilis: Acquiritur enim illa de novo ab objecto, & iterum poterit deperdi: Pendet enim Angelus in actibus istis ab objectis extrinsecis à quibus in actum deducitur. At essentia Angeli est immutabilis. Hinc 2. Actiones vitales Angeli sunt plures; Quia multiplicantur aliquando pro ratione multitudinis objectorum: Una enim v. g. intellectio non est qua Angelus multa absolute objecta cognoscit sed plures, ut videbo suo loco. At essentia Angeli est unica. 3. In nullo Ente producto actio sua potest esse propria ipsius substantia, uti dicit Javell. *lib.* 12. *Metaphys. quæst.* 26. Atqui Angeli sunt Entia producta. Ergo.

7. *III Pergo ad Divisionem*: Dividitur vita Angeli *in Intellectum & voluntatem*: Potest autem illa Divisio intelligi vel de Intellectu & voluntate ut sunt in actu primo, & habent se ut potentiæ, vel de iis ut sunt in actu secundo tanquam operationes: Priori modo Est ista Divisio: 1. *Non generis in species*: Species enim unius generis per contrarias differentias ita sunt divisæ, ut in una re nunquam coincidere, multo minus realiter identificari possint: At intellectus & voluntas in Angelo realiter identificantur, Quia sunt realiter eadem cum essentia Angeli, Et sic etiam inter se: Ergo non possunt esse species vitæ. *II. Non subjecti in accidentia*: Quia neque intellectus & voluntas rationem accidentis subire, neque vita subjecti vice esse potest, cum omnia in re coincidant, sed 3. *Unius rei in diversos modos sive conceptus*: Unica enim essentia

Angeli est principium adæquatum omnium actuum vitalium. Quia igitur ratio deprehendit plures actus sive effectus aliter atq; aliter se habentes, (alium enim videt esse actum intellectionis, alium volitionis) hinc occasionem sumit ipsam quoque essentiam inadæquatis suis conceptibus partiendi quasi in plures, eamque, prout est principium intellectionis vocat intellectum, prout volitionis, voluntatem, Et sic *Intellectus & voluntas sunt attributa* (non re sed) *ratione diversa ab essentia ejusdem &c.*

8. Posteriori modo dico esse divisionem *vel generis in species*, (si per vitam intelligas actionem vitalem) sensus enim erit, quod actio vitalis Angeli sit vel intellectio vel volitio: Ubi actio vitalis generis loco, intellectio autem & volitio sunt species; *vel subjecti in accidentia*, (si per vitam intelligas vitam actus primi sive essentiam Angeli) Dicet enim divisio, quod vita Angeli se exerat vel per operationem intellectionis, vel per volitionem: Res autem hæc facile confirmatur inde: *Quia intellectio & volitio non solum a substantia Angeli sed & inter se differunt realiter*; ideoque sunt accidentia quæ se habent ad essentiam Angeli ut accidens ad subjectum: Sunt enim omnino diversi actus: Intellectio enim attrahit quasi objectum sibique illud unit beneficio speciei impressæ: Volitio autem egreditur quasi ad illud, ferturq;, neque ulla specie indiget: *Dein:* Intellectio habet pro objecto *verum*, volitio *bonum*: Et *Tertio* In nobis ipsis experimur actus illos esse diversos, cur igitur illud non esset in Angelis: Neque enim est, unde hac in parte major possit esse simplicitas Angeli quam Animæ. Intellectio itaq; & volitio inter se realiter differunt, E & ab essentia Angeli, Et sic ejus accidentia sunt: Sed pergo.

9. *De Intellectu primum ago:* Quia ille ratione nostra apprehenditur ut prior voluntate, & ut principium illius, Et inquiro *I. Existentiam* ejus in Angelo *II. Essentiam*, ubi simul *de principio* intellectionis, *objecto actu, & modo.*

10. *Esse in Angelo intellectum* probatione non eget: Patet enim illud 1. *Ex vita ipsius:* Vivit Angelus, ut modo dictum: At non potest vivere nisi vita intellectuali: Sensitivam enim & vegetativam propter sui immaterialitatem non admittit. 2. *Ex spiritualitate*: Angelus est spiritus, Ergo est intelligens.

Quia ratio intellectualitatis est immaterialitas, uti sæpe dixi. *3. Ex effectibus*, quos ab Angelis oriri experimur, qui non modo vitam intellectivam, sed eam quoque perfectam innuunt ut hinc etiam peculiari nomine *Intelligentiarum & mentium* nomen à Philosophico Imperio acceperint. Res clara.

11. *II. Essentiam Intellectus* definio hoc modo: *Intellectus est attributum Angeli, quo seipsum, & inde Deum creatorem, & reliqua Entia, quoad sphæra virtutis ipsius creatæ admittit, sive per suam substantiam, sive per species intelligibiles, modo sibi debito, finito, limitato, ex se mutabili, & cum successione plurium actuum, aliquando etiam cum discursu, cognoscit.* Definitio hæc exprimit I. Principium intellectionis, II. Actum: III. Objectum, & IV. Modum intelligendi.

12. *I. Principium intellectionis*, est essentia Angeli, quæ ut ante dixi, quatenus se refert ad intellectionis actum, involvitur nomine intellectus: Unde ne puta: Esse illud principium *I Accidens aut Qualitatem re diversam ab essentia Angeli* per ea quæ dixi *th.* 5. Essentia enim Angeli ex se est sufficiens ut sine addito accidentis intellectionis actum possit elicere: *II. Animam aut formam in Angelo*, quale principium in homine agnoscit intellectio, Angelus enim non est compositus ex materia, Ideoque etiam formam physicam nullam agnoscit, Hæc enim mutuo se respiciunt ita ut sine uno aliud existere facile non possit.

13. *II. Actus à principio hoc ortus* dicitur *Intellectio sive cognitio*: Quem actum dico esse accidens de prædicamento actionis realiter ab essentia Angeli diversum & per veram efficientiam ab illa productum: Ideoque *non potest esse realiter idem cum essentia Angeli* per ea quæ dixi *thesi* 6. Angelus enim non est ita perfectus in intelligendo, quin possit plura intelligere, quam nunc forte intelligit: Ideoque in intellectione sua potest mutari pro ratione mutationis sive multitudinis objectorum, Essentia autem Angeli hoc modo est immutabilis: Neque hic aures præbeo *Durand.* qui cit. Suaretz. *disp 35. Metaph. s. 4. n. 11. cognitionem, quâ Angelus intelligit seipsum, vult esse eandem cum essentia Angeli*, Nam, ut rectè *Suaretz cit. l.* innuit, saltem supernaturaliter fieri potest ut Angelus existat de facto, quin intelligat seipsum, Ergo intellectio illa est sepa-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0278
DFG

parabilis ab illo, & sic realiter quoque diversa. Quæcunq; enim separabilia sunt, realiter distincta sunt.

14. *III. Objectum intellectus Angelici* explico per seqq. theor. *I. Angelicæ cognitionis objectum est sua ipsius essentia, intellectio, & affectiones aliæ*: Patet: Quia Ubi datur objectum potentiæ cognoscenti proportionatum & sufficienter unitum, ibi quoque poterit illud à potentia cognosci: Atqui Angelus, intellectio, ejus, & affectiones reliquæ, sunt objectum, intellectui Angelico proportionatum, quia sunt entia spiritualia, & sic actu intelligibilia, & sufficienter unitum, quia essentia Angelica est intime præsens sibi ipsi. Ergo. *Dein: A simili* probatur idem: Anima rationalis reflexè cognoscit seipsam, & suas affectiones & actiones, Cur igitur illud denegares Angelo?

15. Theor. II. *Angelica cognitionis objectum est Deus*: Patet: Quia Angelus cognoscendo essentiam suam cognoscit quoque prædicata essentialia in sese, & sic etiam *productum esse*; Et sic evehitur *in cognitionem causæ* à Qua productus est: Novit enim causam illam non posse esse, creaturam ullam, Quia Angelica essentia non nisi creatione producitur, Creatio autem non potest effective attingi ab ulla creatura; Ideoq; cognoscit eam esse Ens illud, increatum, improductum, opt. max. Ideoque: Qui novit se creaturam à nullo alio quam primo Ente productam novit quoque primum Ens. At Angelus novit se creaturam &c. Ergo.

16. Theor. III. *Angelici intellectus objectum sunt creaturæ spirituales & materiales, universales & singulares*: *spirituales*: Quia in spiritu nihil est, quod sit improportionatum Angelico intellectui, quo minus eum possit cognoscere, Est enim ille actu intelligibilis, & ex se non habet aliquid quod cognitionem impediat: Quia res materiales quæ sunt, actu solū cognosci ab intellectu non possunt, ideoque prius hic est ab alio agente formanda species intelligibilis beneficio cujus cognoscantur. Res igitur spirituales actu cognosci possunt. *II. Materiales*: Quia videmus Angelos occupatos esse circa res materiales, Ideoque maxime cognoscunt eas: *III. Singulares*: (quod sine ratione negat Zimara 2. *de Cœlo cont.* 10.) Quia occupatus est circa res singulares agendo aliquid in illis: At actio

in-

in agente intellectuali supponit cognitionem *IV. Universales*; Spiritus enim cognoscendo v. g. Petrum cognoscit quoque prædicata essentialia & *communia* in illo, nempe esse hominem animal corpus, substantiam &c.

17. Theor. *IV. Angelici intellectus objectum non sunt cogitationes mentis:* Quod ut monstrem adverto 1. Cognitionem aliam esse revelatam, aliam naturalem, II. Aliam certam & infallibilem, aliam conjecturalem à posteriori, signis sc. & effectibus haustam, III. Theorematis potest esse triplex sensus, 1. Angelum de facto & actu non cognoscere cogitationes alterius sive hominis sive angeli, 2. Angelum non debere cognoscere, 3. Angelum non posse: Quo observato non diffiteor: *1. Angelum accidente signo externo cogitata mentis posse (* si non infallibili & certa, saltem *) conjecturali cognitione intelligere:* Homo enim è signis illis v. g. gemitu, pulsu, mutatione vultus, voce externa &c. cognoscit mentem interiorem, Non igitur id denegaveris Angelo: *II. Angelum accidente notitia revelatâ certo scire posse mentis abdita:* Potest enim naturale lumen intellectus Angelici elevari lumine gratiæ divinæ; ad illud objectum cognoscendum ad quod erat improportionatum; *Et porro:* Sicut accedente signo potest cognoscere cogitationes, poterit etiam accedente gratia divina, quæ ex se poterit id exhibere intellectui Angelico, quod alias exhibuisset signū externū: Attamen & hoc certū est *III. Angelū actu sine signis externis non cognoscere cogitata mentis* sive hominis sive Angeli alterius: Quia (præterquam quod hoc solius Dei esse dictitet sacer codex) alias frustranea esset locutio & manifestatio conceptuum, quam Angelus habet ad Angelum, *Et secundo;* Cogitatio cordis est actus omnino liber, qui non cognoscitur ab Angelo *vel ut est adhuc in causa sua*, quia sic adhuc poterat non esse, eò quod habeat illa indifferentiam ad actus producendos vel non producendos, *vel ut est in esse*, quia sic potentia cognoscens non habet ejus speciem uti mox innuo: Certum est *IV. Angelum non debere cognoscere cogitata mentis* Quia hoc non solum ita visum beneplacito divino, sed etiam, quod alij putant, in Republica intellectuali magnum incommodum esset, si unus sciret cogitationes alterius. Certum est *V. Angelum naturâ suâ non posse sive notitiâ certa sive conjecturali cogitationes mentis interiores*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0280
DFG

riores (sine signo externo) *cognoscere*: quod est contra Carol. Franciſc. de Abra de Racon. *p. 5. ſumm. tr. 2. de Angel. q. 3. a. 1.* qui putat Angelos, licet non debeant, posse tamen per naturam cogitationes alterius cognoscere: *Patet autem* 1. Quia, si Angelus potest naturâ cogitata mentis cognoscere, potentia illa cognoscendi aliquando deducetur in actum, Potentiæ enim sunt propter actus & operationes: At illa nunquam deducitur in actum, Quia naturaliter nunquam cognoscit actu cogitationes illas, ut fatentur omnes; *Dices forte*: eam vel frustra esse, vel Deum suum concursum modo extraordinario & præternaturali subtrahere: *Resp.* Hoc esse nequit, Quia Deus & natura nihil frustra agunt, & Deus concursum naturæ debitum non subtrahit nisi modo miraculoso, Deum autem perpetuo miraculo actum cognitionis in Angelo prohibere non est verisimile. 2. Deest Angelo principium cognitionis à parte objecti requisitum nempe species intelligibilis: Angeli enim neque cogitationum species vel innatas vel acquisitas habent, unde eas percipere possint; Alias enim si species illas haberent, nihil deesset, quo minus cogitationes pro lubitu animadvertere possent, quod tamen non est.

38. Theor. V. *Angelici intellectus objectum non sunt futura omnis generis*: Ut itaque habeas, quænam futura Angelus præscire possit, quæ non, adverte: 1. Futura esse duûm generum: *Vel enim sunt necessario futura*, quia pendent ex causis necessariis & naturalibus ex sese ad hunc effectum producendum determinatis, qua ratione v. g. Eclipsis Lunæ futura est necessario, quia causæ illius necessario producunt eam: *vel sunt contingenter futura*, quæ pendent ex causis contingenter agentibus, Et hæc iterum sunt in triplici differentia: *vel enim contingunt ἐπ' ἴσης* sive *æqualiter*, quæ ex sese indifferentia sunt ad esse & non esse, neque magis petunt esse quam non esse, uti v. g. contingentes sunt actus liberi, ita contingens est me cras obambulare, disputare &c. vel 2. *contingunt ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ut plurimum*, quæ plerumque fiunt his, aliisque conditionibus suppositis, qua ratione v. g. contingens est, hominem mori, si morbus hoc aut illo modo sit dispositus. vel 3. *contingunt raro* & casu fortuito, uti contingens est Petrum cras interiturum ex lapsa

de tegula &c. *Deinde:* Futura sunt vel quoad rem, vel quoad opinionē nostram: *Porro nota:* Cognitionem futurorū esse duplicem: Aliter enim cognoscuntur *ut sunt in suis causis* & dispositionibus futura, qua ratione v. g. Angelus novit cras oriturum solem; Aliter vero cognoscuntur *ut sunt in seipsis*, sine intuitu ad causas præcedentes: *Adde & 4.* Cognitionem aliam esse revelatam aliam naturalē, *Et 5.* aliam, certam, aliam conjecturalem: Hoc observato facilius me expedio & fateor *I. Angelum notitia naturali & certâ, necessario futura ut in suis causis secundū præexistunt, cognoscere posse:* Ad id n. sufficit intellectus humanus ut v. g. prævideat Eclipsin sequenti anno futuram, quia novit causas ita dispositas, ut inde necessario oriatur illa; Cur ergo non multo magis Angelicus? *Imo:* Quia lumen intellectus Angelici est humano multo exactius & subtilius, poterit etiam illud causas rerum acutius penetrare, certamque rerum cognitionem habere, *Dico tamen notanter,* De futuris necessario, ut sunt in causis *secundis*: Potest enim fieri, ut causa prima modo extraordinario, vel concursum subtrahat, vel agens impediat, ut effectus non sequatur: Unde hac ratione illud Angelus scire non poterit, & sic hoc modo in sua cognitione potest falli: non enim v. g. si Sol cras non oriatur aut in cursu se sistat hodie naturaliter id norit Angelus, qui alias ex causarum secundārum ratione sciebat solem cras oriturum &c. *II. Angelum notitiâ conjecturali ea, quæ ut plurimum contingunt, quæq; æqualiter fiunt, si prævias dispositiones viderit, posse nosse*: Patet. Quia ad illam cognitionem sufficit causarum & circumstantiarum diligentior consideratio, unde conjecturaliter quid in effectu futurum sit, venari licet; At Angelus causas exacte considerare potis: Et ideo Angelus potest nosse (conjecturâ) hunc hominem moriturum, si viderit has aut illas morbi dispositiones &c. *III. Angelum multa scire, quæ re præsentia, & solum quoad opinionem nostram futura sunt;* satis enim est intellectui Angelico ad notitiam eorum existentia eorundem, quam nos nondum videramus: Habet hac de re historiam August. *in l. Genes. ad lit. D. IV. Angelum notitiâ revelatâ omnis generis futura nosse posse*: Potest enim Deus intellectus Angelici lumen facile elevare, ad cognoscendum ea quæ non tangit illud, uti etiam contigit intellectui humano v. g. Propheterarum. Ut autem

autem & videas, quousque Angelus futura non possit cognoscere, dico *V. Angelum ullius generis futura notitia naturali intuitivâ non posse scire ut sunt in seipsis:* Patet: Quia intuitiva futurorum notitia, requirit, ut actu præsentissima ea videas, non ut sunt in causis sed ut *sunt in sese* reverâ futura: At hoc nulli creaturæ datum, ut ea quæ nondum sunt, sine intuitu ad causas, futura sciat, requirit enim illud eam intelligendi præspicacitatem, quæ soli Deo competit: *Patet porro:* Quia quod nondum præsens est, non potest creatura cognoscere *ut est in sese*: Pendent enim omnia in fieri suo â concursu Dei libero & sic res illa sive necessario (ratione causarum secundarum) sive contingenter futura, potest pro voluntate Dei etiam non fieri: Quomodo igitur eam Angelus prævidebit, ut est in sese, & sine intuitu ad causas non aliter ac si esset producta? *VI Angelum notitia naturali certa ea quæ contingenter, ideoq; sive ut plurimum, sive æqualiter futura sunt, scire non posse; Patet*: Quia Angeli cognitio in re futura est ex causis & circumstantiis: Ideoque Ubi causæ ex se sunt liberæ & indeterminatæ ad agendum, neque magis petunt agere quam non agere, sive in hunc sive illum effectum, ibi Angelus determinate non potest scire quemnam effectum velit producere: Atqui contingenter futura habent causas liberas & indeterminatas, sive secundas sive primam, cujus voluntatem Angelus exhaurire nequit. Ergo. *VII. Angelum notitia naturali præscire non posse quæ casu & fortunâ futura sunt*: Quia neque illa habent causas determinatas & certas: At quæcunq; Angelus scit de rebus futuris, haurit ex causis eorundem.

18. Quæris: *Unde ergo tot divinationum, oraculorum, vaticiniorum, responsorum genera sumere potuerunt Diaboli, etiam de futuris contingentibus*, quæ eventui nihilominus respondisse dictitat historia? Resp. vaticinia illa & responsa non semper sunt certa & infallibilia sed super meris conjecturis (quas ex dispositione causarum habuerunt) imo & ignorantia nudâ quandoque fundata: Quod colligе ex ambiguis & fucatis responsis sæpiuscule redditis, unde, quid certo futurum, colligere non licuit, vide Caspar. Peucer. *l. 1. de divinat p. 29. & 49.* si tamen aliquando vera fuere, potuerunt ista vaticinia desumere 1. *Ex peculiari Dei revelatione*, Nam Deum suam mediante Diabolo homini hoc illudve denunciare constat,

Qua ratione Sauli mortis & belli exitum prædixisse æstimatur secundum quorundam sententiam, 1. *Sam. c. 28. v. 16. II. Ex verbi revelata notitia*. Hinc ex Esaiæ & Danielis vaticinijs Alexandro oraculum Delphicum consulenti responsum est: *Invictus eris Alexander*: Sciverat namque Diabolus ex Prophetis istis (ubi uterq; Alexandrum subinnuit) illum Dario devicto universâ Persiâ potiturum, & positurum imperium è Babylone in Græciam. Ita etiam varia miracula & prodigia illi sæpius objecit: Post etiam Alexandro ad extremum cum Dario congrediente visa est aquila ex alto sese supra verticem ejus librare, nec sonitu armorum nec gemitu morientium territa: Unde indubium victoriæ auspicium sumsere: uti refert Quintus *Curt. de reb. gest. Alex. l. 4.* Plura alia exempla passim obvia, *III. Ex naturæ, rerumq; accurata scientia*: quæ in illis tanta est, quanta in aliis creaturis vix reperitur: Observant enim illi 1. *Causas rerum sive universales sive particulares*, ex quarum longa cognitione plurima eliciunt, ideoque 2. notant *corporum cœlestium positus*, quæ norunt ideo condita, ut naturas inferiores foveant, aliter, atque aliter moveant, afficiant, immutent, temperamenta corporum mirifice alterent: Norunt illi quid quævis stella, quovis loco aut positione vel designet vel efficiat: Unde de tempestatibus, mutationibus, contagione aeris, sterilitate, fœcunditate, motibus, seditionibus, bellis &c. non leves faciunt conjecturas, 3. Considerant *hominum naturas & temperamenta*; quæ pro diversitate positus stellarum aliter atque aliter alterantur: Nam à temperamentis motiones sive propensiones, ad certa morum studiorum actionum aut effectuum studia cieri, & casus cujusque aut eventus conjecturari posse, dictitant quoque experientissimi Physici, multo magis itaque norit id Diabolus: Hoc Itaq; observato facile cognoscit, quæ sit cujusq; natura, in quæ propendeat studia, qui sint affectus, qui morbi, quæ naturæ & fortunæ imbecillitates, 4. Advertunt *hominum studia & consilia*: Quia enim sui cuique mores fortunam fingunt, illi eosdem accuratissime observant, quo consilio, & prudentia, quidve geratur, penitus notant, indeque æstimant exitum, 5. Consignant *temporum observationes & mutationes periodicas*; unde facile sive rerum sive regnorum & imperiorum mutationes habent: Sic ex *annis climactericis*

Æthericis, aliisque (nobis forte incognitis) temporum observationibus conjecturas sumunt de futura corporum mutatione, morbo, morte: Annos enim istos insignem corporum mutationem plerunque facere docuit experientia vide pecul. libr. Baptistæ Codronchi Imolensis *de annis Climact. c.* 2. *seqq.* Levin. Lemn. *de occult. nat. mirac.* Cœl. Rhodigin. *l.* 22. *lect. antiq. cap.* 12. Jul Firm. Matern. *l.* 4. *Mathes. c.* 14. Senec. *l.* 7. *de benef. &c.* Ita quoque *ex periodis fatalibus*, quibus imperia divinitus comprehensa sunt, longa experientiâ observarunt mutationes ipsorum, Plerumque enim regna & Respublicas potentiores, quingentis annis, vel ad summum, ut Plato æstimat, septingentis annis floruisse Chronologia testis est, multa etiam regna circa medium hujus periodi defeciisse, nulla vel pauca terminum hunc superasse, sed in ipso fere quingentesimi vel septingesimi anni articulo vel circiter aut penitus defeciisse, aut saltem oppressa, aut alio translata, aut mirum in modum dilatata aliam longe suscepisse formam. Exempla passim habes obvia. 6. Notificant *propriam potentiam*, *eaq; quæ illi* (ex permissu Dei) qui illis ut flagellis sæpius uti solet, *facturi aliquando sunt*, *præsagiunt*; Quod sæpius accidisse est indubium. Sufficit hæc dixisse de objecto.

19. *IV. Modus intelligendi in Angelo, an fiat per substantiam, an per species*, quæritur: Ego distincte me expedio & assero 1. *Angelum seipsum intelligere* (non per speciem, sed) *per suammet substantiam*: Patet: Quia species intelligibiles duas ob causas natura concessit: 1. *ut distantis objecti vices supplerent*, seque illius loco potentiæ offerrent: Cognoscens enim & objectum cognitum debent esse unita: At illa unio non potest esse semper ipsius *formaliter* objecti cum cognoscente, Ideoque à se emittit species, quæ loco illius uniant sese cum objecto: 2. *ut objectum potestate intelligibile facerent actu tale*, Uti v. g. species intelligibiles ideo fabricantur ab intellectu agente (si verum est quod dici solet de illo) Ut objectum materiale ex se non cognoscibile ab intellectu, fiat cognoscibile, At neutrum hic est: Neque enim Angelus se cognoscendo vel habet distantiam objecti, cum intimè sibi sit præsens, vel objectum potestate intelligibile, quia ejus essentia est spiritualis, ideoque actu intelligibilis, Ideoque opus natura non habuit ut species hic concederet.

Assero II. *Angelum cognoscere Deum, Angelos alios, animasq; separatas à se indistantes per substantiam cogniti:* Patet: Quia neque hic ulla necessitas ponendi species. Cum datæ sint vel ut distantis objecti loco sese unirent intellectui, vel ut illud potestate intelligibile facerent actu tale, At neutrum hic est: Deus enim & Angelus alius & animæ (ut indistantes) utique sunt unita intellectui, & maxime cognoscibilia, Ergo. Assero. III. *Non implicare forte, ut Angelus objecti reliqua cognoscat sine speciebus:* Quia quicquid auxilij præbet intellectui species intelligibilis & impressa, spectat ad genus causæ efficientis, At illud aliunde suppleri potest sive Deus se ipso faciat cum intellectu, quod præstarent ille species, sive communicet ipsi intellectui totam efficaciam earundem, Quia tamen modus ille cognoscendi Angelo forte non est naturalis verisimilius est. IV. *Angelum cognoscere objecta à se distantia & materialia per species:* Nam ubicunque est distantiâ objecti cogniti & cognoscentis ibi mediæ sunt species: Debet enim esse objectum unitum intellectui, quod repræsentat species, Alias enim non posset fieri intellectio, cum potentia deducatur in actum mediante objecto, objectum autem (quod suppono esse distans) non potest immediate & per se uniri, ideoque per species.

20. Sed hic occurrit difficultas de Modo productionis: *Quomodo hæ species impressæ producantur in Angelo?* Distincte dico 1. *Species impressas omnium rerum non esse Angelo concreatas, & à Deo inditas ipsi in primo creationis puncto*, ut plurimi putant: Quia sic Angelus non posset naturaliter in cognitione crescere & perfectior fieri: *Imo* sic omnia sive præterita, sive præsentia sive futura cognitione intuitiva cognosceret, & haberet v. g. speciem hominis post centum annos nascendi, rerumque futurarum, ab illo post-hac cognoscendarum &c. Quæ quis non videt esse ridicula? *Connexio patet*: Quia ubi datur species intelligibilis actu unita intelligenti ibi fieri potest pro lubitu cognitio nisi fingatur hic extraordinaria concursus divini suspensio: At hic dantur (per contrariæ sententiæ asserto)res) species omnium rerum intellectui unitæ. Ergo. Ideoque Dico II. *Probabilius esse quod species omnium rerum acquisitæ sint ab Angelo*: Productio namq; specierum est actio debita poten-

potentiæ ab objecto, Ideoque se tenet ex parte illius: Et sic potentia *ex se* est nuda à speciebus, neque illas si objectum non esset, acquirere posset: Ut igitur illas habeat, acquirit eas naturaliter ab objectis: Quia tamen concursus qui se tenet ex parte objecti diversus est, dico *III. Species impressas rerum spiritualium produci ab objectis ipsis, ideoq; potuerunt acquiri à cognoscente in primo creationis puncto*; Patet utrumque, Quia spiritus distans à cognoscente aliter cognosci non videtur, Ideoque indiget specie: At illam *ex se* potest ipse producere, Quia ad eam non est improportionatus: *Dein:* Cur non potuisset eam Angelus habere sive acquirere in primo creationis puncto? Quia fuit objectū actu intelligibile, species ejus, & intelligens potētia? Dico *IV. Probabilius esse, quod species impressæ rerum materialium, quæis eas cognoscit Angelus producantur à Deo*: Res hæc forte mira videbitur, sed en habe rationem: Species istæ, vel producuntur ab objecto, vel ab Angelo, vel (si causam secundam nullam possis assignare,) ab ipso Deo: *Non ab objecto*: Quia illud est materiale, ideoque non nisi species materiales producit, quæ improportionatæ sunt ut uniri possint Angelico intellectui spirituali: Accidens enim materiale in subjecto spirituali recipi non potest. *Non ab Angelo*; Quia species debet supplere concursum debitum ex parte objecti: At ille non potest suppleri à potentia Angelica; Restat igitur tertium *ut dicas eas produci à Deo, & loco objecti* ab illo (non tamen in prima creatione, sed successive pro ratione existentiæ & variationis objectorum) potentiæ offerri: præcipue cum in defectu causarum secundarum recurrere necessario oporteat ad causam primam.

21. Regeres forte 1. Si Scotum sequare, qui *2. sentent. dist. 3. quæst. ult.* in Angelo ponit intellectum agentem & patientem, *Angelum ipsum fabricare sibi beneficio intellectus agentis species intelligibiles spirituales*, ad similitudinem rei materialis, quibus deinde intelligere possit, non aliter ac fieri videmus in nobis ipsis: *Sed ineptum hoc:* Quia intellectus agens (sicubi est) indiget specie materiali sive phantasmate, quod unitum sibi & concurrat (quasi instrumentaliter) cum illo, Intellectus enim agens (ex regula communi) non potest agere nisi sit illuminatus phantasmatis: At dicito mihi quomodo Angelus sibi possit unitas habere species mate-

materiales, easque in se recipere & juxta illarum similitudinem alias fabricare? Unde figmentum est, quod Scotus habet de intellectu agente & patiente Angeli:

22. Regeres forte 2. si alios sequare, *species rerum materialium esse spirituales*, ideoque commode in Angelo recipi posse: sed ridiculum & hoc: Species enim hæ spiritales quidem sunt, sed non spirituales. Quia accidens spirituale esse non potest, quod à corpore pendet in produci, esse & conservari. At species hæ ita pendent: Quia à corpore fiunt, cum corpore oriuntur & intereunt, in corpore recipiuntur, &c. Ergo.

23. *Porro III. Modus intelligendi in Angelo est Limitatus & finitus* qui se non potest extendere ad omnia scibilia: *Patet*: Quia nunc visum, quod Angelus non possit nosse futura omnis generis & quævis possibilia sive futura aliquando sint sive non sint, neque cogitata mentis, & plura alia, quæ sibi soli reservavit omniscientiæ divinæ thesaurus, *Ratio hujus est à priori*? Quia sicut Angelus in essentia, ita quoque in omni operatione & virtute est finitus, & sic etiam in intelligendo; Unde se ad infinita intelligibilia extendere non potest.

24. *III. Est ex sese mutabilis*: Mutatio in intelligendo potest esse vel *ab intrinseco* solum, quæ sc. est ex ignorantia rei aut errore malæ apprehensionis: vel est *ab extrinseco*, objecto sc. quod mutatur, unde etiam in cognitione circa illud fit variatio: Sic alia cognitio est qua hominum cognosco ut infantem, alia, qua eundem ut adultum &c. *Utraq; est in Angelis*: Nam *Angeli* (in sese & sine speciali gratiæ confirmatione considerati) *in cognoscendo possunt errare* præcipue in supernaturalibus, & divinis, uti de facto monstravit lapsus malorum, Et Dein: *Cum successione plurium actuum intelligunt*; quod indicio est, Angelum actuari ab objecto, & mutato objecto mutari intellectionem & orto alio elici novam.

25. *Quæris*: *Sitne ergo necessarium, ut semper Angelus multiplicet intellectiones, pro multitudine objectorum, an vero unico actu quandoq; possit multa intelligere?* Resp. Multa (ut multa sunt, & sine ordine ad totum aliquod, quod constituant, considerata) possunt ab Angelo cognosci vel eodem vel diverso medio: Indubium iraq;

1. An-

3. *Angelum diversis mediis multa simul posse cognoscere*, uti v. g. se per substantiam & creaturas alias per species cognoscit simul: Nam quando Angelus cognoscit Petrum, quæro anne quoque cognoscat seipsum? si affirmes habeo intentum: Si neges, dices posse Angelum aliquando cessare à cognitione sui, quod falsum esse mox dicam. *Dein: Angelus diversis speciebus absolute plura potest simul cognoscere*, non tamen ita distincte & perspicuè ac si unum solum cognosceret: Patet: Quia hinc nulla apparet contradictio, neque apparet ratio cur id fieri non possit: *Imo*: Sicuti sensus externus visus tabulam multis coloribus variegatam simul potest intueri, cur intellectus Angelicus non posset plura cognoscere? *Tertio*: *Angelus eadem numero specici non potest multa simul cognoscere*: Quia pro multitudine objectorum multiplicantur quoq; conceptus mentis: Nam: si una species posset esse repræsentativa multorum, esset ea vel impressa, vel expressa: *Non impressa*: Quia illa concursum præbet qui requirebatur ex parte objecti, ejusque vices supplet: At ille concursus est limitatus ad repræsentandum solum objectum hoc & non aliud, uti v. g. species impressa equi de se concurrit cum intellectu Angeli ad cognoscendum equum, non vero ad repræsentandum alia extra se, asinum v. g. vel bovem, neque illud à specie fieri potest. *Non expressa*: Quia illa formatur ad similitudinem impressæ, ideoque illa ex se non poterit extendi ad plura objecta, quam se extendit impressa. Unde constat, pro multitudine objectorum, & specierum impressarum multiplicari quoque in Angelo ipsos conceptus.

26. *IV. Certus tamen est* circa res naturales & necessarias cognoscendas, Quia hoc admittit magna illius, in intelligendo pernicitas: *Probabilis etiam aliquando & fluctuans*, in rerum futurarum contingentium cognitione, quas non nisi à posteriori venari cogitur: *Ratio*: Quia probabilis cognitio oritur vel ex objecti ipsius in certitudine & contingentia, vel ex inevidentia actus qui est circa illud: At utrumq; est in Angelo: Quia enim incerta sunt futura contingentia, ratione causarum considerata, Angelus quoq; illa certo non novit, sed probabiliter solum aliquid venatur ex signis & conjecturis externis.

27. *V. Modus intelligendi an fiat compositione, divisione & di-*

sursu, uti in nobis est, dubitatur: Ego suppono: *I. Compositionem* & divisionem *aliam esse ex parte objecti*, quando plura prædicata in illo sunt conjuncta, quæ intellectus (simplici quandoque apprehensione (cognoscit, *aliam ex parte cognoscentis*, quando distinctis & *diversis* cognitionibus distincta prædicata combinamus, ea de se invicem vel affirmando vel negando. *II. Porro*: *Discursus* vel potest notare cognitionem plurium sine dependentia unius actus ab alio (vocant discursum discretum) qua ratione discurro quando à cognitione hominis pergo ad cognitionem Angeli &c. Vel notat cognitionem plurium cum dependentiâ unius notitiæ ab alia, ita ut una ex alia sequatur & eliciatur: Et est discursus proprie syllogisticus, *III. Objecta* variant: Alia enim Angelis sunt naturaliter & certo nota, alia conjecturaliter solum & ex acquisitione; Quibus præmissis dico *I. Angelos cognoscere posse compositionem & divisionem quæ est ex parte objecti*, h. e. plura prædicata quæ in objecto sunt combinata: uti v.g. intelligendo hominem intelligit quoque illum esse animal, corpus, &c. Alias enim intellectus Angelicus esset valde imperfectus *II. Probabile est Angelum non cognoscere componendo & dividendo objecta naturaliter ipsi nota*: Patet: Quia compositio & divisio exigit plures cognitiones, aliam de subjecto, aliam de prædicato, quod illi tribuitur vel ab eo removetur, At Angelus subjectum sibi naturâ notum per unicam speciem & ideoque etiam unico actu cognoscit, & videt quid illi conveniat, quid non, Et sic cognitio illa est simplex apprehensio non vero compositio & divisio: Sic v. g Angelus habens speciem hominis cognoscit per illam, hominem esse animal, non lapidem, esse corpus non spiritum, unica & simplici apprehensione non vero distinctis *III. Probabile & hoc, Angelum circa objecta conjecturaliter nota componere & dividere*, *Patet*: Quia circa hæc alia cognitio est, quâ cognoscit subjectum, alia, quâ prædicatum dein subjecto vel tribuit, vel removet ab illo: Ergo componit & dividit: Compositio enim & divisio nil exigit aliud quam plures cognitiones, easque ad invicem conjunctas: *Antecedens probatur*: Quia distincta cognitio est qua novit v. g. Petrum, alia dein, quâ videt eum ingemiscere: Has itaque cognitiones Angelus vel potest componere vel dividere, indeque pro lubitu hoc aut illud elicere, Et

hoc

hoc videtur esse certum, ut mirer illud ita frequenter negari. Quantum attinet discursum ibi dico. *IV. Angelus discursu discreto utitur*, & currit q. ab unius rei cognitione ad aliam: Patet: Quia procul dubio non unum objectum sed plura cognoscit, ideoque hunc discursum habet: Sed tamen V. Probabile est, *Angelum non uti discursu continuo, neq; facere syllogismos, circa objecta primo & naturaliter nota:* Patet: 1. Quia discursus est processus à noto ad eliciendum aliud ignotum: At objecta hæc nota ipsi: 2 In discursu sunt plures cognitiones quarum una pendeat ab alia, & eliciatur ex illa, uti v. g. ex cognitione causæ cognoscitur effectus: At Angelus unico actu penetrat in rebus naturâ sibi notis causam & effectum, ideoque rem videt non *ex* causis sed *in* illis, neque unum ex alio cognoscit, sed (si maximè sint plures actus) post aliud. VI. Probabile & hoc, *Angelos discurrere circa objecta conjecturaliter nota*, v. g. circa actus liberos hominum, cogitationes mentis, futura contingentia &c. Ideoque non possum assentiri iis qui omnem omnino compositionem divisionem & discursum Angelis adimunt, ut Thom. *p.* 1. *q.* 58. *a* 3. Carol. Francisc. de Abra de Racon. *p.* 5. *tr.* 2. *p.* 121. Aliisque hujus scholæ sectatoribus: *Patet* 1. Quia discursus (supposita imperfectione, quod intellectus unico actu omnia non possit penetrare) est magna perfectio: At Angelus in rebus sibi conjecturâ notis uno actu evidenter non penetrat omnia, ut constat. Ergo discurrit circa ista: 2. Manifestius: Ubi sunt distinctæ cognitiones, quarum una dependeat ab alia & eliciatur *ex illa*, ibi est discursus: Atqui circa objecta conjecturaliter nota Angelus distinctas habet cognitiones, quarum una eliciatur ex alia: sic v. g. alia cognitione Angelus videt gemitus, suspiria, &c. aliâ rursum elicit inde cogitationes mentis &c. Ergo.

28. VI. Specialius: *Modus intelligendi seipsum in Angelo non potest esse liber sed necessarius*, ut asserit Suar. *disp.* 35. *Metaph. s.* 4. *n.* 14. ideoque non potest cessare ab intellectione sui: Quia si omnes Angeli intellectiones essent liberæ, ab omnibus etiam (collective) posset cessare, ideoque, quod inde sequitur, si cessaret aliquando, non posset intrinsecè reduci in actum: Patet, Quia non posset reduci in actum *à voluntate*, cum illa non velit, nisi supposita co-

gnitione intellectus, *neq; â seipso*, cum ipse non sit liber, At absurdum est Angelum non posse reduci ad actum intelligendi, E. & illud quod possit aliquando ab omni intellectione cessare, E. & illud, quod omnes sint liberæ: *Hinc igitur ulterius*: si quæ est intellectio Angeli necessaria, erit maxime intellectio sui ipsius: Quia objectum illius est illi maxime naturale & proportionatum, & intime præsens, indeque illud præ aliis perfectissime cognoscit. At est aliqua intellectio Angeli, quæ non sit libera. Ergo.

29. *VII. Modus intelligendi reliqua objecta in Angelo est liber*: Patet: Quia voluntas movet intellectum quoad exercitium actus, ut possit intelligere & non intelligere: At voluntas circa hæc objecta est libera Ergo.

30. *VIII. Modus intelligendi Deum in Angelo non est comprehensivus*, & adæquatus, sed inadæquatus & imperfectus: *Patet*, Quia cognitio comprehensiva est rei ut in se est, & omnium prædicatorum quæ sunt in illo: At Angelus non potest ita Deum cognoscere, Quia Deus est infinitus, intellectus vero Angeli finitus, Ergo.

31. *IX. Modus cognoscendi creaturas præsentes, in Angelo est intuitivus, futuras abstractivus*: Patet id, si terminos explices: Cognitio enim intuitiva dicitur rerum præsentium, ut sunt præsentes, cognitio: Abstractiva vero est rerum, ut in causis adhuc latitantium, Hinc sume theseos probationem.

32. *De voluntate* brevissimè: Inquiram I. in ejus *Existentiam*, *II. Essentiam*, ubi simul de principio, actu, objecto & volendi modo, III. Consequentes *habitus & affectus*, IV. Consequentes actus imperatos *locutionem & motionem*.

33. *I. Angelos esse voluntate præditos* nemo forte negaverit: si quis vero fuerit, proba: *1. Ab intellectu eorum*: Intellectus sine voluntate esse nequit, cujus rationem habe ex *disp. 2. Pneumat. th. 73. & disp. 6. th. 42.* At Angeli habent intellectum per modo dicta. Ergo. *2. Ab effectibus*: In Angelo videas effectus non nisi à voluntario principio oriundos, agit enim liberè modo hoc, modo illud. &c. E. illi inerit voluntas.

34. *II. Essentiam* ita describo: *Voluntas est attributum Angeli, quo essentia ejus adæquatè, quoad sphæra activitatis suæ admittit res â-*

se

cognitas, modo sibi debito, finito tamen, & ex sese mutabili, & pro ratione objecti libero, vel vult vel non vult. Exprimitur hic I. Principium volitionis, II. Actus, III. Objectum, IV. Modus volendi.

35. *I. Principium volitionis* immediatum, proximum & *adæquatum est ipsa essentia Angeli* : Fruſtra enim fingitur hic *potentia quædam accidentalis realiter diversa ab essentia Angeli*, quæ sit actus istius principium, per ea quæ in simili dixi de Intellectu. Est enim essentia Angeli ex sese & sine addito accidentis alicujus sufficiens ad producendum volitionem, Quia continet omnes ejus formalitates, &c.

36. *II. Actus voluntatis* est accidens de prædicamento actionis, productum ab essentia Angeli ideoque realiter diversum ab ea, unde Angelus denominatur volens actu: Dicitur alias (barbaro licet, non tamen inscito nomine ut æstimat Scalig.) *Volitio*. Ideoque certum: *Actum hunc non identificari realiter cum ipsâ essentiâ Angeli:* Volitio enim in Angelo potest mutari, essentia nihil mutata: Fieri enim potest, ut Angelus nunc velit aliquid, quod ante non voluerit, & aliquando etiam non velit, quod postea velit, & possit plura velle (saltem per Dei potentiam) quam nunc vult. Et sic actus illi *ab intrinseco* sunt mutabiles. *Deinde:* Quæ ratio est, ut Angelo tribuas hanc simplicitatem, ut illum sine accidente per essentiam dicas constitui *actualiter volentem:* cum tamen id soli Deo conveniat perfectionis, ut sine efficientiâ actus per essentiam solum dicatur intelligere & velle?

38. *III. Objectum voluntatis* tam late patet, quam objectum intellectus, ita tamen ut in illud, quod intellectus cognovit, feratur sub ratione boni & appetibilis; Et sic omnia Entia, Deum v. g. & creaturas, potest velle & amare quia in illis videt rationem boni &c. *Plura hic non addo.*

38. *IV. Modus volendi: ex sese est mutabilis*: Potest enim voluntas Angeli secundū se spectata & sine speciali gratia ferri in objectum non conveniens, uti de facto monstravit Angelorum lapsus. Et sic *mutabilitas* est in illis, (si non proxima & propriè dicta, saltem) remota & *obedientialis*, quâ illis non repugnat mutatio omnis.

39. *II. Est cum successione plurium actuum*, ita sc. ut Angelus

non unica volitione omnia, sed pluribus pro ratione objectorum velit & appetat: Nam 1. Actum intellectus sequitur volitio, Ideoque sicut in Angelo intellectiones possunt esse plures, ita & volitiones; *Deinde* Angelus potest nunc aliquid velle, quod ante non voluerit, & sic antea actum illum in sese non habuit: Ideoq; actus volendi in illo multiplicari possunt:

40. *III. Modus volendi* suam ipsius essentiam Deum aliaq; objecta extra sese positiva, *in Angelo est necessarius* (si non quod exercitium saltem) *quoad specificationem*, quod ea non possit non velle & odisse: Quia non velle & odisse oritur ex displicentia sive notitiâ reperta in objecto, cujus gratia aversamur illud: At Angelus in sua essentia non potest invenire displicentiam sive malitiam: Quia enim illa entitatem habet, utique & involvit *bonitatem*, & appetibilitatem, quia hæc illam perpetuo comitatur; *Dico autem notanter de essentia*: Quia alias certum in Angelis maiis aliquid esse, quod non vellet voluntas ipsorum, v. g. damnationem & pœnam, Ubi tamen illi ideo non volunt, ut ipsorum essentia amplius non sit, sed ut non sit pœnæ porro obnoxia. Sed hac de re alij.

41. *IV. Modus volendi Deum aliaq; objecta extra sese est liber* (non quoad specificationem, quasi sine indifferentia objecta extra posit amare vel odisse, sed) *quoad exercitium*, quod aliquando actum volitionis circa illa possit suspendere; quod est contra *Aristot.* qui citante Mendoz. *disp.* 15. *Metaph.* §. 3. intelligentiis libertatem ademit: Patet autem *1. Ex intellectu*: Intellectus est libertatis radix: Illa enim agunt libere, quæ ex rationis præscripto, consilio, judicio, agunt, sicut contra necessario agunt, quæ sine ratione, judicio, consilio &c. Ubi igitur intellectus est, ibi libertas; At in Angelis est intellectus. E. *II. Ex voluntate*: quæ est principium tale, quod positis ad agendum omnibus requisitis possit operari & non operari, Ideoque in actu primo nihil aliud est quam libertas: Vide Hurtad. Mendoz. *disp.* 15. *de an. s.* 3. E. ubi voluntas ibi quoque libertas. *III. Ex modo agendi causarum necessariarum*: Causa necessaria in actu posita & non impedita agit ad extremum quantum potest, At Angelus ita non agit, sic enim si plura jam non agit aut efficit, non posset plura &c. quod dici non potest. *IV.*

A simili

A simili: Homo est liberum agens E. & Angelus. Antecedens ex physicis suppono: *Connexum probo*: Quia libertas est perfectio simpliciter simplex, h. e. talis quæ non involvat imperfectionem, & competit homini, E. multo magis Angelo: Quia hic homine dicitur esse perfectior, quod alias non esset.

42. III. Voluntatis nostræ *consequentia* invenias habitus morales, sive virtutes & vitia, & affectus: De quibus quæri potest *sintne pariter in Angelo*: De habitibus moralibus primo: dico: *Angelum posse admittere & recipere in voluntate habitus istos*: Habitus enim ideo sunt necessarij vel quia potentia propter inclinationem quam habet ad aliud non est satis propensa ad actum, vel quia secundum se non est sufficiens propter imperfectionem, neq; prompta & facilis ad operandum: At causæ he reperiri possunt in intelligentiis, saltem quoad res divinas & mysticas: Ibi enim essentia Angelica neque est ita propensa ad actum appetendi, quin possit fieri propensior, neque ita est prompta, quin possit fieri promptior & expeditior: At illa propensio & promptitudo non potest oriri nisi ex superveniente habitu. Ergo.

43. *II. Angeli de facto habent in se habitus morales virtutis vel vitij*, Patet: Quia certum est eos esse & dici, bonos, & veraces, malos item & mendaces; Aut igitur competit illis esse bonos & malos per realem identitatem bonitatis & malitiæ ad essentiam illorum, aut, quia bonitas & malitia sunt essentiales proprietates manantes ab essentia eorum, aut quia sunt habitus supervenientes. Non primum est, neque secundum, Quia bonitas & malitia insunt iis mutabiliter, uti patet in bonis Angelis qui malitiâ, & malis, qui bonitate carent, Quæ vero mutabilia sunt, essentialia (sive à priori sive à posteriori) esse non possunt.

44. Quæris: *Quænam igitur Angelo in specie virtutes sint tribuendæ, quæ vitia*? Resp virtutes sunt duûm generum: vel enim sunt ordinatæ ad actiones circa alterum, vel ad passiones materiales coercendas & regendas in sese: Illæ rursum vel respiciunt actionem inferioris erga superiorem ut sunt, *religio, obedientia, cultus &c.* vel æqualis erga æqualem, *ut justitia commutativa*, vel ab illo respectu, absolvunt, & sine ratione inferioritatis vel æqualitatis alterum respiciunt: Ita etiam vitia virtutibus opposita similiter dividi possunt &c. Dico igitur *I. Virtutes & vitia quæ ordinantur*

mantur ad actiones circa alterum, Angelo competere posse: Nam hæ virtutes præcisè spectant ad voluntatem eamque incitant & expeditam reddunt, ad operationes alioqui difficiles, non vero ullâ ratione respiciunt appetitum sensitivum: Ideoque si maxime capax sit voluntas Angeli habituum moralium, has virtutes admittit, aut vitia, At capax est. Ergo. Ideoque specialius: Angelo potest tribui *liberalitas*, quâ vult aliis bona communicari sine intuitu alicujus commodi, Item *Magnificentia, Veracitas, Religio, cultus &c.* Dico *II. Virtutes & vitia quæ circa passiones materiales & appetitus sensitivi operationes versantur* sive coercêdas sive regêdas in sese, *Angelo proprie & formaliter tribui non possunt:* Patet: Quia Angelo appetitus sensitivus & passiones materiales non competunt, ut mox dicâ, Non igitur & virtutibus indigent superadditis, quæ dirigant illas: Ideoque non competit illi v. g. *temperantia, castitas, luxus, libido &c.* quia hæc circa sensus & sensuales actiones occupantur, quæ desunt Angelo. Ideoque si quandoque hæ virtutes aut vitia oppositа illis tribuuntur, fit illud vel *Metaphorice* & per similitudinem, vel *metonymice*, quia ad ejusmodi virtutes aut vitia homines excitât & instigant, aut delectantur illis &c. Plura de virtutibus & vitiis Angelorum sume è Theologo.

45. *II. Affectus*, qui & â nostra voluntate oriri intelliguntur, *anne & in Angelo sint*, porro quæritur: *Præsuppono hic:* Affectus proprie & formaliter plerunque accipi pro passionibus materialibus, cum vehementi motu cordis, ob notitiam objecti sive boni quod appetit, sive mali quod fugit; Generalius tamen & extendi, ad quasvis inclinationes sive propensiones ad motum aliquem peculiarem; Unde dico: *In Angelo non esse affectus per modum passionis materialis:* Quia hoc modo affectus, est accidens materiale, quod pro subjecto non admittit spiritum sed corpus: *Porro: Affectus ut generalius significant quamvis inclinationem, & propensionem ad motum peculiarem, Angelo commode tribui possunt:* Patet: Quia ita non necessario involvunt respectum ad materiam, *Deinde:* Experimur in Angelo motus, v. g. iram odium E. & propensiones ad motum. Specialius; *Angelo competit amor* Amare enim nihil est aliud, quam velle alicui bonum: At Angelus & sibi ipsi & aliis potest velle bonum: 2. *Odium*, quod est aut abominationis,

qua

qua abominatur (uti videmus vel maxime in malo Angelo) malũ sive proprium, v. g. damnationem sive (ut reperimus in bono) alienum v. g. peccata &c. aut inimicitiæ, quo ex displicentia per sonæ vult illi malum: 3. *Gaudium*, quod nihil est aliud quã voluptas & complacentia in apprehenso bono: At Angelus utique habet bona in sese. E. gaudet in illis: 4. *Tristitia*, quæ est circa malum proprium ut præsens: Angelo igitur malo illam non denegaveris. Similiter dicito de affectibus reliquis.

46. Denique IV. *de Consequentibus Actibus Imperatis*, verbo supereſt agendum: *Actus Imperatos* voco (non quasi per potentias inferiores materiales quæ in Angelo non sunt, pro jussu voluntatis perficiantur, uti in nobis, sed) *quia proportione quadam ad nostros actus imperantur quasi à voluntate Angeli & intelliguntur perfici per aliud con principium*, ita tamen ut in ipso immediate recipiantur. Et sunt duo isti potissimum: *Loquutio & Motio.*

47. *Primum de loquutione*: Ubi videbo: 1. *Distinctionem* termini: II. *Existentiam* III. *Modum*, cui dein addam *definitionem*:

48. I. *τὸ Loqui ita distinguo*: Sumitur illud *vel magis strictè* pro manifestatione conceptuum mentis aut affectuum voluntatis facta *per certa organa corporea*, v. g. pulmonem, thoracem, intercostales musculos, asperam arteriam, laryngem & gurgulionem: *Et illa loquutio speciatim competit soli homini*: *Deinde*: Latius solet accipi *pro manifestatione conceptum mentis* aut affectuum voluntatis, præscindendo, an fiat per certa organa corporis, an non: *Et ita hoc loco sumo τὸ* loqui, licet n. Angelus ut consideratur in assumpto corpore corporeis organis ad loquendũ uti possit, (cum valeat ista movere, flectere & regere, ac si regerentur ab anima alio tamẽ modo,) non tamẽ id æque potest, quando in sua essentia præcisè consideratur Ideoq; hoc modo si loquitur, necessario id fiet sine corporeis organis.

49. II. Circa *Existentiam* dico tria: *I. Angelos posse loqui ad invicem*, h. e. manifestare suos conceptus; Patet Quia illud est perfectionis indicium posse alteri manifestare conceptus, (sicut contra imperfectionis est, non posse manifestare eos,) & in homine repertum, E. in Angelo multo magis. *II. Angelos loqui debere ad invicem*: Nam 1. Magnum esset incommodum in Republica

intellectuali, si unus alteri non deberet sua animi cogitata aliquando exprimere, præcipue vero in Angelica: 2. Angelo huic non sunt noti naturaliter conceptus & cogitationes mentis alterius Angeli: Hos igitur conceptus aliquando tenetur alteri manifestare, ut sciat, quid velit, quid putet agendum, incipiendum, &c. Imo 3. Communio Angelica & civitas ista spiritualis, quî quæso posset conservari, si non essent aliquando mutui civium sermones? Hinc sequitur *III. Angelos actu aliquando loqui ad invicem*: Angelus enim hic aliquando scit cogitata alterius Angeli, quod experientia operationum dictitat: At illa non potest scire nisi loquutione: *Dein*: Possunt & debent & volunt loqui aliquando Angeli, Cur igitur non loquerentur sæpius actu?

50. *III. De Modo loquutionis res dubia magis*, (nemo enim hactenus illorum consortio interfuit) unde hic diversas invenies opiniones Nam 1. Alij putant Angelum loqui efficiendo in sese certa signa, cogitatorum aut conceptuum, quorum species videat alter Angelus, indeque loquentem intelligat: 2. Alij, inter quos Durand *2. sent. d. 11. q. 2.* existimant, Angelos colloqui signa sensibilia, characteres v. g. in cœlo, aut voces ex aere efformando, non aliter uti nos colloquimur, & Angeli ad nos loqui solent, 3. Alij ut Scotus *2. sent. d. 9. q. 2.* opinantur Angelum unum loqui alteri, si effective imprimat menti alterius Angeli conceptum vel signum simile conceptui quem *ipse* habet in mente 4. Alij ut Thom. *p. 1. q. 107. a. 1.* & Mendoz. *disp. 12. Metaph. sect. 5. §. 31.* & Carol. Francisc de Abra de Racon. *summ. phil. p. 2 de Angel p. 122.* putant locutionem fieri solo consensu alterius (sine efficientia alicujus vel signi vel speciei) ita scilicet ut locutio ex parte loquentis nihil sit aliud quam actus voluntatis quo v. g. vult Michael ut Gabriel intelligat suum secretum 5. Alij ut Becan. *p. 1. Theol. Scholast. c. 8. de Angel. quæst. 14.* autumant fieri per species cogitationum impressas Angelo alteri cui fit locutio 6.: Alij deniq; loquuntur aliter 7. Alij τὸ ἐπέχειν tenent, nec volunt, hic aliquid certa ratione naturali aliquid affirmari posse, ut Clariss. Dn. Scheibl. *l. 2. Met. c. 4. p. 445.*

51. Ego, quod hic temere statuam, non habeo, puto tamen præ reliquis probabilius, si duas postremas sententias conjungas:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0298
DFG

jungas & dicas, *Angelos loqui ad invicem, actu voluntatis,* (non solo, & sine editione speciei vel signi sed) *tali, qui velit emitti species cogitationum & imprimi alteri Angelo, ut ita intelligat eas*: Ideoque voluntatis actus erit quasi *causa sive dispositio* ad locutionem, *formalis ratio* autem loquutionis, qua Angelus hic intelligat, quod cogitet alter, erit species locutionis impressa Angelo: Nam intelligere vix poteris, quomodo solus consensus sive voluntatis actus (sine specie aut signo) faciat, ut cogitata unius percipiat alter: Iste enim consensus (cujus beneficio Angelus Angelum percipit) aut erit seipso signum alteri Angelo per quod intelligat cogitata mentis, aut efficiet signum in reliquis cogitatis mentis, ut intelligi possint: Aliter enim consensus ille alteri Angelo non poterit hac in re prodesse: Quia cogitationes quæ antea non sunt intellectæ, & tamen nunc intelliguntur, necessario ex aliquo signo superveniente, quod ante non habebant, intelligi debere videntur: si igitur consensus nudus faciat cogitationes antea non perceptas, ut percipi possint, necesse est, ut ipse vel seipso sit signum quo percipiantur, vel faciat in ipsis cogitatis signũ quo percipiantur: *At prius non est*; *Quod sc. Consensus seipso & ex se possit esse signũ*: Est n consensus ille voluntatis actus, E. non magis est perceptibilis ac reliqui: E. sicut illi de se ab alio Angelo non possunt intelligi, neque hic poterit, Et sic neque reliquorum actuum, ut percipiantur, ratio formalis erit: *Dein:* Inexplicabile est, quomodo iste consensus possit repræsentare alteri Angelo cogitata alterius; Quia actus voluntatis alium actum quidem potest velle, sed non repræsentare, Ipse cogita repræsentationis vim & videbis: *Si igitur posterius dicas: Consensum facere in ipsis cogitatis signum ut percipi possint*, jam illud erit falsum quod dicitur solum consensum sufficere ad locutionem, & incides in meam assertionem, quæ dicit loquutionem (præcedente consensu) fieri per species impressas: Nam signa illa quæ efficit consensus hujus Angeli, quo vult ut alius intelligat illum, aut sunt cogitationes impressæ alteri Angelo similes hisce cogitatis, quæ volebat manifestari, ut putat Scotus, aut sunt characteres sive voces in aere, aut corpore formatæ ut vult Durand aut sunt signa in Angelo loquente formata,

quorum ſpecies videat alter, aut denique ſunt ſpecies impreſſæ cogitationum mentis: *Non primum eſt*; Quia non video, qua ratione cogitationes hujus Angeli alteri Angelo imprimi poſsint, ſuis ſimiles, Quærã n. ego de impreſsionis modo qui in intelligibilis eſt, & de repræſentatione, quî cogitatio iſta (ſimilis licet huic) formaliter & *ſeipsâ* poſsit hanc repræſentare: ſi n. poſſet, ſaltem poſſet, ideo, quia ſimilis eſſet: At ſimilitudo non repræſentari facit rem ad quam ſe refert, formaliter, Tu enim licet mihi ſis ſimilis in omnibus exactiſsimè, non tamen tu mei eris repræſentatio formalis ut qui te videt, me quoque formaliter videat. *Non ſecundum*: Quia modus iſte loquendi eſt per ſigna corporea: At quia Angeli corporei non ſunt, neque corporeo more loquuntur ad invicem: *Non tertium*: Quia ſigna talia in Angelo fruſtra ponuntur: Cur n. non potius Angelus fabricat ſpecies cogitationum quam ſpecies ſignorum? præcipue cum meliori longe compendio poſsit fabricare ſpecies cogitationum mentis, quam primo facere in ſeſe certa ſigna cogitationum, & deinceps, horum ſignorum ſpecies: Quia igitur natura non præſtat pluribus, quod poterat pauciori-bus collige Angelum iſta ſigna cogitationum (quorum dein fabricat ſpecies) non facere in ſeſe. Reſtat igitur quartum, *Angelum loquî alteri hoc modo*, ut (ſi volitio ſive conſenſus communicandi conceptus præceſſerit) *ſpecies cogitatorum, quæ communicari cupit, fabricet, easq; alteri Angelo imprimat, quæ ſeipſis ſint repræſentativæ cogitationum, ut ita Angelus alterum intelligere poſsit.*

52. Hinc porro colligo: *I. Angelum non neceſſario manifeſtare omnes cogitationes, quando manifeſtat unam*, ſed poſſe pro lubitu hanc illamve communicare alteri, aliam vero ſibi reſervare: Quia ſpecies iſtæ cogitationum non imprimuntur alteri Angelo niſi præceſſerit voluntatis actus, quo eam Angelus velit produci & imprimi: At actus voluntatis liberi ſunt: Et ſic liberè modo hujus modo illius cogitati ſpeciem producit Angelus *II. Angelum neq; neceſſario loqui h. e. manifeſtare omnibus Angelis cogitata, quando manifeſtat uni*; Sed poſſe pro lubitu huic communicare alij vero non: Quia non fit impreſsio ſpecierum niſi prævio voluntatis actu: At poterit voluntas Angeli velle, ut ſpecies imprimatur huic aut illi Angelo, v. g. Michaeli, quin imprimatur Gabrieli.

53. Hinc

53. Hinc tandem sume *definitionem loquutionis* Angelicæ, *quæ nihil aliud est, quam libera repræsentatio cogitationis hujus aut illius in mente, aut affectus, volitionisq; in voluntate ejus, facta per speciem impressam, ad prævium consensum & approbationem loquentis, & receptam in eo, cui fit locutio.*

54. II. Alter actus à voluntate imperatus in Angelo est *Motio ejus:* Ubi videbo *I. Distinctionem nominis, II Existentiam, III. Motionis modum* cui dein sese subjungit *definitio.*

55. *I. Motus* (quod ex Physica huc pono) sumi solet dupliciter 1. *Est motus substantialis*, cujus terminus est substantia, Estq; vel generatio vel corruptio: 2. *Est motus accidentalis* cujus terminus est accidens: nempe vel *Quantitas* (si modo hæc sit accidens) & dicitur Accretio vel Diminutio, vel *Qualitas*, & dicitur Alteratio, vel *Præsentia ad Ubi* sive locum & dicitur speciali nomine Motus localis, magis proprie tamen *Motus ad Ubi*; In præsenti igitur cum de Motu Angelorum sermo est, non intelligitur motus substantialis, neque qui ad Quantitatem est, quia hi speciatim competunt soli corpori, neque præcise is qui ad Qualitatem est, quia (licet Angelo alteratio non desit, attamen) de illa dictū est in præced. ubi visum, Angelum admittere in sese aliquando alterationem in potentiis, habitus v. g. in intellectu & voluntate, solum igitur de Motione ad Ubi hic loci sermo noster.

56. *II. Angelos esse mobiles de Ubi hoc ad aliud* novum, negavit Arist. *l. 12 Metaph. t. 3.* uti putat Javell *l. eod q. 4* verum hæc sententia inprimis absurda est: *Patet*, Quia vel attribuit Angelis perfectionem infinitam & divinam, vel imperfectionem maximam: Aut enim cogitur asserere Angelos esse immobiles quia immensi sint & in omnibus locis præsentes; aut quia sunt uni perpetuo loco aut spatio affixi immutabiliter, de quo moveri non possint: si prius dicas: Angelus erit omnipræsens, ideoque perfectione divinâ præditus, quod illum nimis elevat: Sin posterius, Angelus erit omni fere animali vivente imperfectior, quod de loco in locum mutari potest, ideoque hoc modo immobile non est, quod eum nimis deprimit. Ideoque 2 Mobile esse, de loco in locum (supposita hac imperfectione, quod non sit omnipræsens & immensum, sed in finito spatio) est magna perfectio in creatura,

Et repetitur in animali vivente, E. multo magis erit ista in Angelo, creatura reliquis perfectiore.

57. III Modus motionis Angelicæ 1. *non est Physicus*: Nam 2. Motus Physicus est in subjecto, quanto, partibili & divisibili Arist. *l. 6 phys. t. 36. & 86.* At Angeli non sunt, quanti, non divisibiles, quia immateriales, 2. Motus physicus *potest* fieri in loco physico, Habet enim omne corpus hanc aptitudinem, ut licet quandoque actu non movcatur in loco, moveri tamen possit in illo, uti v. g. constat in extimo cælo, quod φυσικῶς, non tamen in loco movetur, si tamē à Deo crearetur aliud corpus quod cœlum hoc undique tegeret, moveretur utique in loco: At Angelorū motus *non potest* fieri in loco: Quia ipsi non possunt ulla ratione esse in loco Ergo. Confer *disp. 2. Pneumat. th. 49. seqq.*

58. Hinc colligo *II. probabile esse, quod motus Angeli sit instantaneus*: Quia successio & tarditas in motu proprie convenit corporibus motis physicè, & oritur vel *ex resistentiâ medij*, quod quantum est, & justo densius, ideoque quantitatem corporis moti tardat & impedit, uti videmus fieri in motu qui peraquam est, vel *2. ex resistentia partium mobilis*, quæ quia propter extensionem sui sunt ad invicem distantes, fieri nequit, ut plura simul & in momento loca occupent, sed omnia seriatim, At neutram causam invenias in Angelo, Neque enim ille successive movebitur propter resistentiam medij, quia ipsi nullum corpus resistit, eumque impedit, neque propter resistentiam mobilis quia partes non habet extensas & distantes, ob immaterialitatem sui. Ergo. Sunt tamen qui putent *nullum motum* etiam eum qui à spiritu est, *posse in instanti fieri sive naturali, sive divinâ virtute*, vide Conimb. *l. 6. phys. c. 6. q. 1. a. 2.* Indeque non instantaneum, sed celerrimum motum Angelo tribuunt, si contingat illum moveri, in distans, Rostochio v. g. Romam; Non tamen est in hac sententiâ, quod invenias, unde aliquam successionem motus, contradicenti persuadere possis. Argumenta pro istâ, quæ sunt, reservo collationi.

59. *III. Motus in Angelo non est per extrinsecam denominationem*, ut vult Cajetan. apud Suar. *d. 51. Met. s. 4. n. 13.* Illa enim moveri dicuntur per extrinsecam denominationem, *quæ seipsis & intrin-*

intrinsecè immota moveri saltem dicuntur, propter motum alterius corporis: uti v. g. movetur arbor in flumine quando aqua movetur, quæ est circa illam: At Angelus ita non movetur: 1. Quia sic Angelus in sese & *ab intrinseco* esset immobilis, At magnâ hanc esse imperfectionem, visum est suprà. Et 2. Angelus valde impropriè diceretur moveri, imo & falsò, neque enim arborem tu dicas moveri, in flumine, licet aqua perpetuo moveatur circa illam, Cur igitur dices moveri Angelum, si ipso immobili, moveantur solum ultro citroque ea quæ sunt circa illum. 3. Angelus est in spatio finito & determinato, & tamen potest mutare illud ita ut sit quandoque in alio: At non potest intelligi quomodo Angelus possit mutare illud *sine intrinsecâ mutatione*, recepta in illo; Cum mutatio illa fieri possit, extrinsecis & circumstantibus nihil mutatis, ideoque denominatione extrinseca sic mobilis non erit: Potest enim v. g. Angelus quî Petro Rostochi præsens est moveri ab illo & Romam abire, Petro nihilominus & Rostochio non motis, sed uni perpetuo spatio affixis: Angelus igitur amittit propinquitatem quam habuit ante ad Petrum: At ista non potuit amitti nisi moto intrinsecè altero eorum: At Petrus non motus est sed, quod suppono, suo spatio affixus. Angelus igitur. Dein, *licet Angelus moveatur in corpore assumpto*, non tamen movebitur in illo per extrinsecam denominationem & per accidens ad motum corporis, sed corpus potius movetur ad motum ipsius, uti eleganter circa præsens monstrat Suarez *d. 51. Metaph. s. 4. n. 18. seqq.* & ex eo Dn. Scheibl *l. 2. Met. c. 4. tit. 13. a. 2. p. 2. num. 230.* Quando enim v. g. Angelus assumit cadaver, sequitur isti per modum formæ assistentis, & movet se una cum isto de loco hoc in illum, ibi non minus movetur Angelus & mutat spatium *intrinsecè*, quam si solus mutaret locum: Patet? Quia concomitantia illa & conjunctio cum corpore non impedit propriam mutationem, sed potius, quia corpus cadavericum per se nihil affert ad talem motum, dicit, quod Angelus non moveatur ad motum corporis extrinsecè & per accidens, sed, quod Angelus seipsum moveat per se & intrinsecè, eo ipso vero dum se movet, secum deferat tale corpus, ideoque hoc (si quid est) debet dici motum per accidens: Addo & hoc: *Angelum licet ipse non moveat*

se

se, sed movetur ab alio, nihilominus intrinsecè mutare locum: Uti v. g. homo motus in curru vel navi ipse se non movet sed ab alio movetur, formaliter tamen & intrinsece mutat locum. Ita puta etiam esse in Angelo &c.

60. Tandem *IV. Motus Angeli non potest fieri ab extremo adextremũ quin una fiat per mediũ:* contra quã putavit Thom *p. 1. q. 53. a. 2.* Observa autem. Motum esse *vel continuum*, qui non tam fit in spatiis continuis, sed etiam in tempore continuo & non interrupto: Uti v. g motus continuus est, quâ navis (sine appulsu ad portum aut quietem,) huc navigat in Hispaniam; &c. Vel discontinuum qui sive tempore discontinuo fit, sive in spatiis discontinuis: Dico igitur: *I. Motu continuo Angelum moveri non posse ab extremo ad extremum, quin moveatur per medium:* Res facis clara est: si enim per medium non moveretur, in spatiis continuis non moveretur (extremum enim cum extremo non potest esse continuum nisi per medium) & sic motus is continuus non esset. *II. Nec motu discontinuo moveri posse Angelum ab extremo ad extremum quin transeat per medium aliquod* (neque enim illud necessario volo, quod est per lineam rectam:) non, inquam, potest Angelus Rostochio ire Venetias, nisi pertranseat medium: Est enim ipsorum Thomistarum in re alia, hoc assertum, quod saltus non possit fieri ab extremo ad extremum, quin fiat per medium: Cur igitur non esset id in motu Angelico! *Sed finio & gloriam dico Deo meo.*

COLLEGII PNEUMATICI

Disputatio Decima

DE

POTENTIA ANGELORUM,

Quam

Favente potentissimo Jehovah

&

Secundante Venerando Philosophorum consessu in inclyta Rostochiensi Academia

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Discutiendam exhibet ad diem 20. Junij.

HENNINGUS JANUS

Hildesia-Saxo.

Potentia Magica (potius Diabolica) ita apud Ovid. gloriatur.

Cum volui, ripis ipsis mirantibus amnes,
In fontes rediere suos, concussaque sisto,
Stantia concutio cantu freta, nubila pello,
Nubilaque induco, ventos abigoque vocoq;,
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,
Vivaque saxa, sua convulsaque robora terra
Et sylvas moveo, jubeoque tremiscere montes,
Et mugire solum, manesque exire sepulchris
Te quoque Luna traho.

ROSTOCHI

Literis Joachimi Pedani, Anno 1629.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0305

DFG

Literatißimo,

DN. RESPONDENTI.

RUmpis in æthera, ſcandis in aera, tendis in arces,
Longa ubi ſpirituum viſq́, manusq́ cluent,
Et viget Angelicæ conceſſa *potentia* mentis
Mirando prorſus conſpicienda ſinu,
Quæ denſata novo motu regit agmina & oſſa,
Inq́ novam verſat funera multa facem,
Et venas, nervosq́ alacres centumq́ figuras,
Sumit, & arbitrio diſſipat ipſa ſuo;
Atq́ Deos revocat tercentum, Erebumq́ Chaosq́;
Excitat, & tenebris Solis inęſcat equos:
Rumpis! Diſrumpar quin jura rependat Apollo,
Et meritis dedat ſerta novena tuis.

L. M. Q.

Stephanus Clotz M.

CUr juvant plures labor & tumultus
Martis horrendi, galeæ graveſq́;
Cur placent multis ſcelerata vanæ
Otia vitæ?
Scilicet Martis ſociis calentis
Sanguinis moles nimij furorem
Addit, aſt frigens latet hiſce circum
Pectora ſanguinis

Parva

Parva Cypſellûm ſpecies eundi
Nuſpiam compos, vehementiori
Sic volatu ſe macerat, cubat vel
Corpore trunco.
Diſplicet quod vis mihi certe eorum,
Laudo ſed greſſu medio volentem
Ingredi, curſum requie bona qui
Temperat æquè.
Qualis Henningees, ſtudiis inhærens
Artium multum, ſophiæq́; claræ,
Otium vitans violentiamq́;
Temporis hujus.
Janus inſignis geminæq́; frontis
Dicitur, frontem is tibi duplicatam
Litteris ſanctis, ſophicisq́;, vero
Nomine reddit.
Hinc petes tutus cathedram ſacratam
Præſidis clari auxilio, prius nec,
Quam ſtruas verum bene pneuma quid ſit,
Inde redibis.

Gratulabatur

Albertus Dietericus Toppius
Gueſtph.

Σῳ Θεῷ.

Disputatio Decima Pneumatica,

DE POTENTIA ANGELORUM.

RESPONDENTE,

HENNINGO JANO
Hildesiâ-Saxone.

Thesis I.

ALterum attributum Angeli ἐνεργητικὸν est *Potentia* qua se exerit & operatur *ad extra*: Quam nunc tracto; Sermo enim erit non 1. de *potentia passiva* Angeli; neque 2. de *potentia activâ* tali, quæ se referat ad actus immanentes, Hæc enim venit sub nomine vitæ Angelicæ, sed 3. *de potentia activâ* se referente ad actus transeuntes & ad extra: Quo sensu etiam vocem potentiæ sumimus quando Deo illam vendicamus.

2. Hoc non neglecto videbo *I. Existentiam*, sitne Angelus potens hac ratione? *II. Essentiam*, Quid sit potentia Angeli & quousq; se extendat.

3. *I. Esse Angelos activâ potentiâ ad extra potentes* monstraveris *I. Ab intellectu & voluntate ejus*: Semper reperias his duobus attributis tertium conjunctum, quod potentia est, eò quod potentia dirigens (ut intellectus) & applicans (ut voluntas) perfectæ nequaquam essent, si tertia, quæ exequeretur volitum & prægnitum, deesset. Ubi igitur intellectus & voluntas, ibi & potentia activa; At in Angelo est intellectus & voluntas ut constat ex *disp.*

præcedenti Ergo. *II. Ab effectibus*: Actus transeuntes supponunt in agente potentiam ad illos, ut constat: At ab Angelis oriuntur actus transeuntes, ut constat experientia, & deinde alias firmabo specialius. Ergo.

4. Essentiam ita describo: *Potentia est attributum Angeli, quo à se præcognita & volita, quoad permittit sphæra activitatis ipsius finita & limitata, perficere posse in rebus creatis intelligitur.* Innuitur ita *I. Formalis ratio* sive principuum actuum transeuntium proximum. *II. Objectum*, & *III. Modus agendi* potentiæ in Angelo. De singulis me video.

5. *I. Formalis ratio potentiæ* potissimum venit sub nomine *attributi*, (non tamen seorsim & absque suo objecto & actu considerati) Quia in definitionibus attributorum hoc observamus, ut illud quod rationem formæ habet, generis vice, quod vero rationem materiæ vel subjecti, aut objecti, differentiæ loco collocemus: Contra quam in definitionibus substantiarum, ubi generis loco materia, & differentiæ forma poni assolet ex Aristot. *l. 7. Met. c.* 12. Conjice igitur, formale in potentia Angeli esse rationem attributi, quod eam loco generis positam videas.

6. Ut exactius inquiram, *Quale in Angelo attributum sit potentia*, non inepte videro: Attributa enim sunt duplicia: *vel enim 1. sunt è numero accidentium prædicamentalium*, ideoque realiter suo subjecto inhærentia, ab illo per veram efficientiam aut emanationem producta, in illo conservata, ab illo inseparabilia, re tamen (quod hinc consequens) distincta. Dicuntur alias ἴδια πάθη, affectiones, proprietates &c. Vel 2. *ultra accidentium classem elevata* sunt, nec realiter suo subjecto inhærent, nec verâ emanatione producta ab illo sunt, nec realiter distincta ab illo, sed solum ratione nostra apprehenduntur ut attributa, ideoque, alias licet in re conveniant cum suis subjectis, nec distinguantur, ut distincta apprehenduntur: De quibus me vidi pluribus disp. 2. Pneumat. Quæri igitur potest. *Sitne potentia attributum accidentale Angeli, ideoq; realiter distinctum ab ipso, An vero solâ ratione ita distinguatur, in re vero coincidat cum illo?* Resp. Difficulter, quod hic apodictice statuam, invenio: Assero tamen: *I. Probari non posse, quod potentia Angeli sit accidens ejusdem*: Quod contradicit iis qui putant non inveniri

venire *subſtantiam creatam, quin operetur mediis accidentibus*: Ideoq; nec Angelum ejus eſſe ſimplicitatis, ut quicquam ſine medio accidente operetur: Sed, quantum ad præſens, deeſt firma probatio: quod patet refutando argumenta unde indicium ſumi poſſit illius rei, quorum maximam partem ſive in alium locum ſive in συζήτησιν colloco, duo ſaltem in hunc locum *1. Indicium ſumi poteſt à ſeparabilitate per potentiam divinam*: Deus enim poteſt (modo extraordinario) Angelum in eſſentia conſervare, & deſtruere potentiam in illo, negato ſc. & ſubtracto concurſu ad illam: Quid enim vetat Michaelem v. g. manere in eſſentiâ Angelum, & tamen non potentem? Eſſentia igitur Angeli poteſt eſſe quin ſit potentia in illo, E. eſſentia & potentia ab invicem realiter diſtinguuntur quia ſeparari poſſunt, E. potentia eſt accidens eſſentiæ Angeli: Nam: Quod ita eſt in Angelo ut non ſit pars illius, ita tamen ut ab illo ſeparari poſsit illud eſt accidens illius, uti patet ex ratione accidentis prædicamentalis, vide Ariſtot. *lib. Categor.* §. 5. At potentia ita eſt in Angelo ut non ſit pars illius, ſeparari tamen poſsit ab illo, per modo dicta. Ergo. *II. Indicium ſumi poteſt à reliquarum creatarum ſubſtantiarum conditione*: Nulla ſubſtantia creata ejus eſt perfectionis, ut immediate agat per ſuam ſubſtantiam ſed mediate per accidentia perficit omnia: In re corporea res certa: ſic ignis non operatur niſi medio calore, aqua non frigefacit aut humectat niſi medio frigore & humore &c. Ita etiam putandum, non eſſe ſubſtantiæ ſpirituali id perfectionis conceſſum, ut ſine accidente operetur, Vide, quæ pro confirmatione hujus diſputat Carol. Franciſc. de Abra de Racon. *p. 4. ſum. phil. tr. 2. de Angel. c. 4.* Ergo & Angelus quando operatur ad extra, media potentia accidentali id perficiet. *Hæc tamen indicia non ſunt certa: Ad primum* enim, quod de ſeparabilitate potentiæ Angeli ab eſſentia ejuſdem dictum eſt, *reſp.* Fieri poſſe ut Deus conſervet Angeli eſſentiam, non tamen concurſum præbeat ad potentiam ut agat ad extra, inde tamen potentiam ipſam non ſeparari ab Angelo, ſed ſolum inhiberi ipſi, per ſubtractionem concurſus, quem exigit ad actum ſecundum ne exerat illum: *Aliud igitur eſt ipſam potentiam deſtrui, & aliud eſt potentiæ exercitum inhiberi*: Hoc fieri poteſt à Deo & ſic hoc modo Angelus erit imbecillior ſeipſo ut conſiderato in

priori statu: Illud vero fieri non posse dicet is qui defensitaverit potentiam ab Angeli essentia non distingui: Indicium itaque hoc pro distinctione ista non est evidens: *Ad secundum dico*: Falsum vel saltem improbabile videri, quod dicitur *nullam substantiam immediate operari posse*: Quia 1. immediate operari non est perfectio summa, sed limitata quæ creaturæ competere possit, (etiam ignobiliori v. g. accidenti) cur igitur illa in totum omni substantiæ, maxime inter creaturas nobiliori v. g. Angelicæ, esset deneganda? 2. substantia corporea aliquando per essentiam immediatè operatur, aqua v. g. reducens se ad pristinum frigus expulsum per introductum calorem, Ergo immediate operari potest creaturæ competere 3. Zabarell. *l. de facult. an. c. 4.* & alij negant potentias esse vel causas medias vel instrumenta media, quibus essentia operetur, Esse solum aptitudines sive conditiones requisitas ad agendum, sine quibus tamen essentia alias immediate agens effectum producere non possit: Hi igitur robore istius argumenti ad probandum intentum uti non poterunt. Taceo ad hanc rem alia.

6. Dico igitur *II. Probabilius esse, quod potentia Angeli non sit accidens illius, sed realiter potius identificetur cum essentia ejusdem*: Patet: 1. Quia si contrarium asseras evidenti ratione destitueris, 2. In essentia Angeli eminenter continentur omnes formalitates effectuum transeuntium. E. frustra ad illos eliciendos potentia superadditur, Connexio patet, *vide disp. præced. th. 5.* Antecedens patet: In actu transeunte non nisi hæc reperias 1. Esse *accidens*, 2. *actionem*, 3. *transeuntem*, & 4. *determinatam*, talem sc. vel talem: At ista omnia possunt immediate produci ab essentia Angeli, ut non opus sit addere potentiam ab illa re distinctam: Nam *1. Esse accidentale* quod est in eo produci posse ab Angeli essentia quis neget? Substantia enim creata (in contraria sententia) dicitur elicere potentiam accidentalem: E. non est insufficiens ad producendum accidens, 2. *Actionem* quoque immediate potest producere Quia *ex sese* & sua natura ad agendum determinata est, *Ex sese inquam & non medio accidente*; Hanc enim perfectionem ut essentia ad agendum determinetur, non accipit ab accidente, sed potius, accidens eam habet ab essentia mutuam.

3. Esse

3. *Esse transiens* quodetiã (non à potentia sed) ab essentia Angeli potest produci immediate: Potentia enim (si quæ est) manet nihilominus in subjecto, E. transitum actionis non potest promovere magis quam ipsa essentia: E. si potentiæ istam virtutem defers, ut actionem faciat transire cur non & ipsi essentiæ? 4. *Esse determinatum* actionis oritur ab objecto partim, partim ab essentia agentis: Ideoque potentiâ neque hic opus, Quia igitur omnia possunt manare ab essentia Angeli quæ in actu transeunte reperiuntur non videtur superaddendum accidens potentiæ, distinctum realiter ab illa.

7. Dico *III. Potentia tamen ab essentia Angeli, ejusq; intellectu & voluntate distinguitur ratione ratiocinata:* Patet: Quia distinctio rationis est, quæ unum idemque partitur in plures conceptus formales sive formalitates, cum fundamento tamen sive occasione ex re desumpta: At hic sunt plures conceptus formales illique distincti, sumpto fundamento ex re, *Alius enim conceptus est essentiæ Angeli, alius intellectus, alius voluntatis, alius potentiæ:* Essentiam enim nude si concipias, invenias illam ut principium sive radicem reliquorum, ideoque ut omnium primum, quod in Angelo datur concipiendum, quo apprehenso nondum vides rationem ullius attributi sive potentiæ; *Dein:* Si ulterius progrediare, & apprehendas eam in ordine *ad diversa connotata,* invenies in ea vel intellectum, quatenus respicit actum cognoscendi, dirigendique, vel voluntatis, quatenus respicit actum volendi, vel potentiæ, quatenus respicit actus transeuntes &c. Unde non probo, quod Soncinas *l.* 12. *Met. quæst.* 35. asserit *potentiæ activæ actus exeri per voluntatem* Angeli: Falso: Quia alius conceptus voluntatis, alius potentiæ: Illa est ut imperans hæc ut exequens: voluntas enim simplex non intelligitur agere ad extra, sed tum si applicet potentiam ad agendum, per imperium suum, & hæc exequatur. Confer ea quæ disputant (licet ex alio proposito ad inferendum reale discrimen inter ea) Suaretz *disp.* 35. *Metaph. s.* 6. *n.* 21. Conimbr. *de an. sep. d.* 6. *a.* 3. Summatim igitur: *Potentia in Angelo nihil aliud esse videtur quam ipsa essentia Angeli, quatenus est principium operationum extra sese.* Unde non est ut hic distinguas principium proximum & immediatum illudque dicas esse potentiam de secunda

cunda ſpecie Qualitatis, & remotum, quod ſit eſſentia Angeli? Hæc enim proximum eſt principium, nullius medij egens uti vidi.

8. *II Objectum Angelicæ potentiæ* ad quod ſeſe diffundit, dupliciter poteſt explicari *I. Negativè* monſtrando ea, quæ Angelus non poteſt ſuâ natura, *II. Poſitivè* recenſendo ea quæ poteſt.

9. Priori modo *I. Angelus non poteſt omnia facere, quæ quocunq; modo ſunt poßibilia*, ideoque non eſt omnipotens: Patet: Quia quicquid in eſſentia finitum eſt in virtute quoque & operationibus finitum eſt: Modus namque operandi ſequitur modum eſſendi: At Angelus finitus eſt in eſſentia, E. quoque in operatione: E. non poteſt facere omnia poſsibilia, Hæc enim exigunt virtutem infinitam, quia in infinitum extendi poſſunt. 2 Multa ſunt poſsibilia quæ tamen à potentiâ Angelicâ fieri non poſſunt, E. Angelus non poteſt omnia. Antecedens ſpecialius patebit.

10. *II. Angelus non poteſt ullam ſubſtantiam producere*, Patet: Quia omnis ſubſtantia producitur vel generatione vel creatione: Tertius enim eam producendi modus hactenus non eſt datus. At neutro modo producit Angelus: Ergo: Minorem probo diſtinctè: *I. Angelus non poteſt ſubſtantiam creatione producere:* Quia creatio eſt infinitæ virtutis, ideoque divinæ ſolùm, & ob modum agendi infinitum ex nihilo, & ob objectū creabile quod in infinitum ſe extendit, Confer quæ dixi de Creationis cauſa *diſp. 7. Pneumat.* Angelus autem non habet virtutem infinitam. *II. Angelus non poteſt ſubſtantiam generatione producere*: Quia generatio attingitur per diſpoſitiones materiales prævias, & eſt nihil aliud quam eductio formæ è materia, vel (ſi parcius loquare) inductio formæ in eam: At Angelus tanquam ſpiritus non poteſt diſpoſitionibus & actionibus materialibus quicquam attingere: *Dein ſpecialius:* Eſſet illa ſubſtantia generabilis vel Spiritus vel corpus. At neutrum eſſe poteſt: *Angelus enim primò, non poteſt generare ſpiritum:* Eſſet enim vel Angelus in ſpecie ſibi ſimilis, vel anima rationalis: *At Angelus non poteſt producere Angelum ſibi ſimilem generatione:* 1. Quia Generatio fit (ſi non ex, ſaltem) in materia, tanquam ſubjecto ejuſdem & vehiculo, quod recipiat & terminet eandem: At Angeli omnino ſunt materiæ expertes: 2. Generatio eſt à corporea natura ad conſervan-

ſervandam ſpeciem, ne illa in individuis natura corruptibilibus intereat, ſed ſeriatim per mutuos ortus & interitus rerum conſervetur: Dein: Neque *Angelus poteſt producere animam:* Quia hæc petit utiq; in certa materia præviis diſpoſitionibus certis fieri, & nō niſi in & cum illâ produci, At Angelus nō poteſt diſpoſitiones illas producere neq; in materia quicquam agere phyſice quod ad hanc generationem conferat. Ergo. Secundo: *Angelus non poteſt generare corpus*: Nam Generatio corporis ſi eſſe poſſet ab illo, corporis eſſentiam eminenter (quia non formaliter,) contineret: At illud falſum eſt, Quia eminenter rerum eſſentias continere in ſua eſſentia virtutis divinæ eſt: *Deinde*: Non poteſt intelligi, quomodo Angelus generet corpora qui tamen in ſe non habet generaliſsima corporis principia materiam ſc. & formam.

11° *III. Angelus non poteſt ullam ſubſtantiam annihilare*: Patet: Quia non eſt minoris virtutis rem annihilare quam creare: Sunt enim annihilatio & creatio oppoſiti motus, & habent oppoſitos terminos: Hæc enim eſt è nihilo, ad non Nihil ſive Ens, Illa vero à non Nihilo ſive Ente ad Nihil & non Ens. Sicut igitur creata virtus non poteſt rem è nihilo educere ut ſit non Nihil ſive Ens, ita etiam non poteſt eandem à non Nihilo deducere ut ſit Nihil. Contrariorum enim hic ratio eadem eſt: Unde ſicut creatio eſt infinitæ virtutis ita & annihilatio: At Angeli non habent virtutem infinitam. Ergo.

12. Hinc ſumo anſam decidendi famoſa iſta quæſita: *I. An Angelus poſsit facere miracula*? Quod poſsit videtur innuere hiſtorica fides & experientia: Sic multa ſæpe portentoſa & apud Ethnicos accidére quæ vi Angelicæ aſſcribenda putabantur: Ita *Tuccia* virgo Veſtalis cribro hauſit aquam ad virginitatis ſalvæ indicinam apud Plin. *l.* 27. *hiſtor. nat. cap.* 2 Valer. Max. *l.* 8. *c.* 1. Caſpar. Peucer. *l. de divinat. p.* 316. Et *Claudia* cingulo navem traxit, quam de ripa Tiberis alias vel hominum millia ſolvere non potuiſſent, cujus meminit Livius *l.* 29. *diſt.* 38. Ita in quodam Veneris fano λυχνὸς fuit ἄσβεστος neque ulla tempeſtate aut imbre delebilis apud Auguſtin. *l.* 21. *de Civit. Dei cap.* 6. Et quis omnia recenſeat mira quæ apud Ethnicos contigiſſe ubique reperimus? Pro deciſione itaque præſuppono: 1. *Miracula poſſe dici dupliciter*, 1. vera & proprie dicta quæ excedunt vires naturæ creatæ ideoque

ſine

ne concursu illius & auxilio, tanquam insolita contingunt: 2. Putativa & apparentia, quæ excedunt intellectum & potentiam hominum, alias tamen non excedunt potentiam naturæ creatæ simpliciter, sed potius concurrente illa fiunt naturaliter: Et illa potius mira dixeris quam miracula, quia homines ista miramur & ut insolita suspicimus, suppono *II. Miraculorum causam posse esse duplicem*: vel Principalem, quæ ex sese & propria authoritate & virtute illa efficit, vel instrumentalem, quæ ex sese insufficiens & improportionata est ad illa propria virtute perficienda, elevata tamen ab agente superiore ad illa concurrere dicitur. Dico igitur *I. Solum Deum posse facere vera & propriè dicta miracula ut causam principem non vero ullam creaturam, nec Angelum ullum*: Patet illud (omissis SS. dicteriis) 1. Quia miracula omnem virtutem creatam excedunt neque possunt fieri concursu illius: E. fiunt virtute solum increata 2. Ejusdem est rem condere, conservare, mutare: At Deus condidit naturam causasque naturales & vires ejus: E. potest mutare: Et sic: Qui eam non condidit, neque eam conditam potest immutare, indeque (quia in miraculis fit mutatio naturæ) nec miracula facere: At nec Angelus nec alia creatura potest naturam creare. Ergo. *II. Angelum posse miracula facere ut causam organicam obedientialem*: Sufficit enim ad rationem instrumenti ut elevetur ab agente superiori ad effectum suis viribus superiorem: At hoc potest fieri: Angelus enim cur non possit elevari à Deo ad facienda miracula? *III. Angelum posse miracula putativa facere ut causam principē*: Illa n ita dicuntur quia putātur esse miracula, quia fiunt prēter notitiam & supra potentiam nostrā, reverâ tamen non sunt miracula nec supra potentiam creatam contingunt: At multa potest Angelus, quæ nobis sunt ignota & impossibilia, uti videas, si contuleris ipsius perfectionem, experientiam, scientiam, & potentiam exactissimam cum nostra mutila & penè nulla: Illa igitur quæ ita contingunt nobis videntur miracula: Sic ipsa natura multa habet nobis abstrusa & miracula, quæ cum norit Angelus, poterit illis pro lubitu uti, indeque & ex applicatione illorum mirabilia elicere: Ita potuit esse, quod λύχνος ἄσβεστος neque ulla tempestate delebilis in Veneris qnodam fano fuerit, ex causis naturalibus: v.g. ex mistione *Asbesti* lapidis, de quo Plinius

l.37.

l. 37. hist. nat. c. 10. refert quod semel incensus extingui non possit: Ubi etiam meminit alicujus *lini vivi* quod ignibus non absumatur *l. 19. c. 1.* inde à græcis ἄσβεστον dictum à natura sumpto nomine: Et talia ellychnia ἄσβεστα multa se vidisse Parisiis testatur Ludov. Vives *in comm. ad l. 21. August. de Civit. Dei c. 6.* Ita etiam *homines fraude* & astutia *plurima faciunt, quæ alij horum ignari ut miracula excipiunt:* Sic *Alexandriæ* contigit in templo Sarapidis simulachrum in aeris medio pendulum fuisse inter positos in solo & laquearibus desuper, æquali proportione magnetes, quod divina virtute contigisse putabant ij, qui lapidem sursum & deorsum conditum non norant, apud Aug. *l. 21. de C. D. c. 6.* Sic æque mirum est, quod refert idem *l. 14. de C. D. c. 24. de Presbytero* quodam, quod ad lubitum ita se potuerit ab omni sensu auferre, ut similis fuerit exanimi, & igne urentes, vellicantes, pungentes ipsum, sine ullo doloris sensu admiserit. Plura alia exempla passim obvia. Unde constat Angelum si faciat mira, facere ea naturæ auxilio vel propria fraude & industriâ. Inferius etiam constabit Angelum mire posse fallere sensus hominis, quod si perpenderis, videbis nec mirum, quod mira à Diabolo sæpius contingant.

13. Specialius hinc Q. *II. An Angelus possit mortuos excitare?* Ita sæpe factum fuisse testantur exempla: *Sic Aviolam Consularem, & C. Ælium Tuberonem* in rogo revixisse, Et *Capuæ* quendam feretro elatum, domum remeasse pedibus, itemq; *Aquini*, refert Plinius *l. 7. histor. nat. c. 52.* Ita *Herus Pamphilius* qui in acie occubuit decimo post mortem die vitæ redditus fuit apud Platon. *in fine l. de Republ.* Et *Enarchus* quidam ubi diem obijt ad vitam rediisse dicitur, & narrasse quod anima quidem corpore egressa sit, verum *jussu Ditis* restituta, qui alios dæmones graviter increparit, quod Enarchum pro Nicanda cori ario & palæstrite adduxerint: Unde postquam ille revixit, hic fato concesit apud Plut. *l. 1. de An.* Imò fuere è Stoicis qui πάλιγγενεσίαν quandam sive regenerationem hominum, ubi annis quadringentis quadraginta idem corpus & eadem anima, quæ aliquando juncta fuerant, in conjunctionem redeant, confinxere: Quod si esset, sane excitatio mortui aliquod in naturæ viribus robur haberet: Sed utut sit, certum est: *Angelum mortuos excitare non posse*: Quia resuscitatio mortuorum non habet ullam in natura causam, sed contingit sola vi increata

per creationem: At Angelus creare non potest, E. nec mortuos excitare: Unde vel figmenta historiæ sunt (quibus Plinius probè refertus est) quæ narrantur, vel Diaboli præstigiæ: Uti legimus *Bononiæ* contigisse, ubi emortuæ *Citharistiæ Virginis* cadaver Negromanticus quidam ita adornavit, ut vivere, cætus hominum & convivia frequentare, fidibusque ludere consueto more videretur: At cum in hanc rem forte alius Negromanticus (monitu Diaboli) incidisset, impostoram demonstravit, unde ad terram statim de lapsa citharistia jacuit exanimis, Caspar. Peuc. *l. de divin. p.* 14. Godelmann. *tract. de Mag. l.* 1. *c.* 4. *de Negrom. p.* 36. Simile ferme exemplum contigit in Bavariâ, quod refert idem Godelm. sc. *cit. l.*

14. Q. III. *An Angelus possit creaturas mutare in alias specie diversas, v. g. possitne Dæmonum ope homo converti in lupum felem canem &c.* Si negem contrariam habeam vulgi persuasionem & exempla ad quæ provocat: Famam enim hanc quis nescit, *quod Lycaones sive Lycanthropi*, qui putent se verti in lupos certis statisque temporibus, & pererratis undiq; campis invadere greges pecorum, obvia quævis dilaniando: Sic Herodot. Varro, Pompon. Mela referunt *Neuros* (quos Peucer. *de Divinat. p.* 280. putat esse Livoniæ populos, veteri vocabulo Nervios dictos, Plinius tamen *l.* 4. *hist. nat. c.* 12. Neuros generatim appellat Schytiæ Europææ populos, alij Nervios Belgiæ gentem putant, quos hodie Tornacenses dicimus) in lupos converti annuatim ad dies aliquot, & deinde ad pristinum habitum redire: Ita & in *Livonia* accidere, ut proximis duodecim à Christi natali diebus plurimi in lupos converti soleant & dein pristinam formam reassumere testatur ex fide dignis Casp. Peucer. *supra cit. l.* Sic in *Asia* quoque frequentem esse ejusmodi luporum generationem testatur Bodin. *lib.* 2. *Dæmonom. cap.* 6. Plura alia huius rei narrat exempla Godelman. *tr. de Lam. l.* 2. *c.* 3. *p.* 16. Sic alia *μεταμωρφόσεως* genera testatur observatio: Ita Diomedis socios in aves conversos legimus quarum naturam peculiariter depingit Plinius *l.* 10. *c.* 44. dicitque illis esse dentes & oculos igneo colore, cæterùm corpus candidum, duas semper illis duces, alteram ducere agmen, alteram cogere, has tantum visi in insula nobili Diomedis tumulo atque delubro, contra Apuliæ oram, non longe à monte Gargano fulicarum similes; Advenas barbaros clamore infestare, imo & capita eorum gravi ictu

adi

ad necem usque (quod prævalida rostra habeant) sæpe percutere, Græcis adulari contra, velut generi Diomedis id tribuentes, ejusque templum quotidie pleno gutture, pennisq; madentibus perluere & purificare; Confer Augustin. *l.* 18 *de Civit. Dei c.* 16. Ovid. *l.* 14. *Metamorph.* Virgil. l. 2. Georg. Homer. *l.* 5. *odyss.* &c. Sic famosissima *Circe* Ulyssis socios mutavit in sues, post vero eidem restituit apud Ovid. *l.* 14. *Metamorph.* virgil. *in pharmaceutr.* Idque fabulosum non esse æstimat Bodin. *l.* 1. *Dæmon c.* 6. Sic ex gente (apud Arcades) *Anten*, sorte deductos stagnum transnatare atque in lupos converti, post annos novem verò, si interea homine se abstinuerint reverti, & pristinam formam reassumere narrat Augustin. *l.* 18 *de Civit. Dei cap.* 17. Plinius *l.* 8. *c.* 22. Quidem dicit de *Demæneto* quodam *Parrhasio* quod in lupum conversus ob exta immolati pueri â se degustata decennio post restitutus, & in olympico certamine victor factus fuerit. Ita suo tempore accidisse narrat Aug. *cit l.c.* 18. quod stabulariæ mulieres in caseo dare solitæ sint viatoribus, quib⁹ sive voluerint, sive potuerint, ut in jumenta ilico conversa necessaria quævis portarēt, post exactā operā ad sese redirent. Exēpla alia taceo. Pro decisione hujⁿ noto: *Quod mutatio sive* μεταφορὰ *ista possit dupliciter intelligi.* 1. *Separatione* animæ à corpore ita sc. ut eductæ putētur è corporibus animæ per Dæmonis potentiā, & in luporum sive vera corpora, sive efficta φάσματα immittātur, & inde, ubi peract⁹ circulus, quē instituit Dæmon, remittantur in corpora, quæ interea tēporis attonita & prorsus exanima fuerint. 2. *Essentiali mutatione* corporis & animæ humanæ in speciē beluinā, ut ex eo qui ante fuerat verus homo, post fiat verùs & physicus, sive lupus, sive asinus, sive felis, sive canis &c. Quo notato dico *I. Dæmona non posse animam â corpore ad tempus separare, & alteri corpori jungere, eamq; post illi reunire*; Nam: 1. Mors est, ubi in vivente animæ à corpore separatio est: At quod semel mortuum est in vitam revocare nequit Angelus naturâ suâ, 2. Corruptio unius, necessario est generatio alterius: Ideoque expulsâ à corpore formâ hominis succedit forma cadaveris naturaliter: Materia enim (quæ semper existit sub determinata forma) per prævias dispositiones ita alteratur, ut animâ expulsâ cadavericam formā suscipiat: At illa restitutioni prioris contraria est. 3. Per separationē animæ à corpore corrumpuntur dispositiones & qualitates materiales

riales conservantes eam At Angelus (si semel sede pepulit animam) aptus non est in materiam ducere dispositiones queis apta fiat ad recipiendum illam, & expellere pristinas quæ conservant formam cadaveris. Dico II. *Damona non posse essentiali mutatione, ex homine facere bestiam*; Metamorphosis enim ista contingeret vel creatione vel generatione: At neutro modo: *Non creatione*: Quia Diabolus non potest creare, E. nec bestiam ex homine: Licet enim hic materia esset, attamen indisposita esset, nec alterata præviis dispositionibus ad recipiendam formam bestiæ: Hinc ita collige: Ex materia indisposita creare non est minoris virtutis quam ex nihilo creare; uti v. g. is qui potest ex lapide panes facere, ex aqua vinum, ex costa mulierem &c. etiam hæc omnia potest facere ex nihilo: *Ratio* est: Quia in materia præsupponitur aptitudo sive habilitas ad recipiendam formam, facta per præcedentes dispositiones: Ubi igitur illa habilitas non est, neque verè materia est, Et sic inhabilis materia habetur pro nulla materia, Indeque Ex inhabili materia aliquid facere eandem exigit virtutem quam τὸ Facere ex nihilo, *Assumo igitur*: Angelum non posse ex nihilo creare: E. nec ex indisposita materia. Ergo nec ex homine bestiam, lupum, canem, felem &c. quia materia quæ est sub forma hominis ad recipiendam continuò formam bestiæ prorsus est inhabilis. Unde sequitur alterum: *Nec generatione* posse hanc mutationem fieri: Quia generatio physica certæ & determinatæ formæ non fit, nisi materia sit habilis facta & determinata per certas dispositiones: Est enim illa *ex sese* indifferens, ut possit recipere omnes formas, necessario itaque determinatur & vestitur certis qualitatibus & dispositionibus, ut non indifferenter hanc illamve appetat & recipiat, sed sub determinata forma per dispositiones certas conservetur, donec introducantur novæ ad recipiendam novam aliam: At materia quæ est sub forma hominis, prorsus est inhabilis ad recipiendam formam bestiæ, & si introducas novas dispositiones aptam potius facerent eam ad recipiendam formam cadaveris. Ergo.

15. *Quid autem experientiæ & historiæ dices, quæ exempla factæ metamorphoseos objicit*? Dicito nisi præstigias & impostruras Diabolicas esse quæ recensentur: Ut hoc videas & tibi caveas adverte: *Diabo-*

Diabolum hominem posse decipere: I. Mutatione objecti, quod potest iterum fieri tripliciter *1. Fucatam speciem rei alienæ & absentis, sensibus objiciendo*, ut putent inde rem esse præsentem, quæ tamen reverâ præsens non erat: Diabolus enim virtutum & naturalium qualitatum apprimè peritus, potest varias in aëre omnium rerum impressionibus obnoxio, species & colores efficere: Qui enim novit causas colorum, eorumque materiam habet, quî non posset varios & infinitos pene objicere visui nostro? At Diabolum causas colorum nosse, & materiam eorundem facile applicare posse, ut insolita quævis videamus, quis quæso negaret? *2. Rem præsentem sub alienâ specie monstrando*: Natura enim contingere posse dictitarunt multi Magiæ naturalis scriptores, ut *Alexius Pædemontanus*, *Mizaldus*, *Johan. Baptista Porta*, *Levin. Lemnius*, aliique, ut videas aliquando naturas corporum extra suum statum naturalem: Ut v. g. videas (ex peculiari arte & dispositione) serpentes, ubi non nisi candela sit & palea, homines item abscissis capitibus, mutato, luridoque colore, &c. Taceo ea quæ fieri scimus à circulatoribus & agyrtis passim obvia: Diabolus igitur, qui exactissimè & omnium longissimè physicæ operam dedit, cur non posset multò majora, & magis insolita, quam callet ars hominum? *3. Abscondendo rem præsentem*, quod potest fieri vel impediendo speciem ejus sensibilem ne veniat ad sensum, vel ocyssime illam removendo aliamque in ejus locum supponendo, eâ astutiâ, ut Jovem jures lapidem esse, rem istam revera transmutatam in eam quæ tibi suppositia est: *II. Mutatione facta in organo cognoscentis* quod Diabolus variis modis potest alterare & commovere, Unde objectum aliter cognoscitur ac est in sese: Sic videmus fieri posse naturaliter vitio symptomatis, quod organo accidit, ut objectum non appareat, eo modo quo est, ideoque fallit cognitio uti v. g. Melancholicis usu venit, ut in hypochymatis (suffusionis oculorum) initio ex humoris affluxu ad visus organon pusillos culices sibi obversari putent, interdum caliginosa opuscula, nonnunquam aranearum telas aut filamenta videre sibi imaginentur &c. Ita regio morbo laborantibus omnia propter suffusam bilem lutea & flavescentia sese ostendunt, organo igitur immutato & minus recte disposito potentia fallit in cognitione objecti: Diabolus autem potest humores agi-

tare, indeque organon corrumpere, quod præcipue obtinet apud *Melancholicos*, quorum humor Diabolorum operationi est præ aliis convenientior, Horum enim virtus imaginativa sæpiuscule est depravata ob humorem melancholicum qui cerebrum occupat; Fuit, qui se fictilem urceum crederet, hinc accidentes ad se prohibuit, veritus, ne illorum collisione comminueretur: Alius putabat se ab hostibus impeti, delitescens in furno ne comprehenderetur: Vide Wierum *l. 3. de præstig. Dæm. c. 7.* Ita puella fuit, quæ sibi & astantibus equa putabatur donec tandem Machario D. adducta cerneretur sub specie genuina apud Georg. Major. *in vitis Patrum in vita S. Macarij Ægyptij*, & D. Luther. *tom. 1. Witteberg. in explan. 3. cap. ad Galat.* Quod facile potuit fieri (ex permissu Dei) juvante ad id humore melancholiæ. Hinc constat *Quomodo in Metamorphosi ista, qua homines putant se in lupos, canes, feles, & c. conversos, & alij illos videre sibi maginantur, Diabolus decipiat illos?* Persuadet falso tum veneficum sive alium qui se putat conversum, tum eum, qui monstrum videt: Illum ut putet se in leporem vel lupum versum, sensuum organa & vim imaginativam lædendo & alterando, quod facile obtinet apud aniculas Melancholicas, eò quod alias Melancholia sibi multa mira confingat Unde est quod λυκανθρωπια species morbi atra bile vitiatorum dicatur à Paul. Æginet. *Med. l. c. 6.* Ludov. Cœl. Rhodigin. *l. 27. lect. antiq. c. 12.* Hunc vero fascinat, vel aera alienis speciebus pingendo, vel aeriam bestiæ speciem homini circumdando, vel subtractis iis, alia quæ videri volet, supponendo, uti pro *Iphigenia* Agamemnonis filia cum ad aram sub ictu staret, jam jam immolationi obnoxia, cervam substituit, quæ suppositio non deprehensa, nisi longo postea intervallo, cum virgo adhuc superstes cognosceretur: Sic & Diomedis aves, sublatis ejus sociis & quia nusquam post comparuerunt, fortassis à Dæmone enectis, in locum suppositæ & aliunde adductæ sunt (si modo vera fabula est) ut æstimat August. *l. 18. de Civit. Dei c. 18.* Quid de aliis exemplis dicendum sit, facile constat ex dictis.

16. Q. IV. *An Dæmon possit fulgura, tonitrua, tempestates, pluvias &c. excitare?* Resp. 1. *Causa physica* & immediata harum rerum est cœli influxus, & elementorum concursus, mistio, actio & reactio

& reactio ut illud constat ex physicis: 2. *Causa moralis* tamen potest esse Diabolus: Hic enim materiam tempestatis & tonitruum itemque causas eorundem potest applicare ad invicem, promovere, dirigere, vel aliunde directas in certum locum cogere ut gravissima oriatur tempestas: Hæc enim vires ejus non excedunt. Non aliter ut homo potest esse causa incendij: Is enim immediate non comburit domum, nec creat ignem qui comburat, sed applicat eundem ut comburat: Et ut agricola est causa boni frumenti, agrum probè colens, & ut vinitor pastinans & repastinans vitem, vinum multum feciſſe dicitur: Non quasi ille creet frumentum, sed quia causas istius bene dirigit & applicat. iste itidem creet vinum, sed quia vineta, causas hujus, bene ab injuria defendit, custodit, regit: Ita & Diabolus dicitur causa tempestatis, non quasi is creet eam, sed quia applicat rite activa passivis, materiamque fovet cogit, dirigit, inde ut pluviæ Jupiterque rigidus exurgant. Hinc fama de *Lappis & Finnonibus* quod ventos pretio vendant nautis, mercedeque oblata, tres nodos magicos, non cassioticos, loro constrictos reddant, hoc discrimine, ut si primum solverint, placidos, si alterum, ferventiores, si ultimum, sæviſſimos ventos & tempestates maximas passuri sint, uti narrat ex Histor. gent. septentr. ab *Olao Magno* conscripta Johan. Wierus *l. 2. de præstig. Dæmon. c. 7.* Godelm. *de lam. l. 2. c. 6.* Ita & Herodotus *l. 7.* testatur præfectos Xerxis triduana tempestate trecentas naves amisisse donec ista die quarta incantationibus veneficiisque frænata & sacrificiis Thetidi & Nereidibus factis coercita cessarit. Ita & *Lamæ* auxiliante ipsorum Magistello tempestates excitare dicuntur, nō quasi ipsas ipsæ faciant, sed quia Diabolo causas materiamque ipsarum applicat, ita ut inde tempestas consurgat, quod dein lamiarum operâ factū esse (quæ tamen ne hilum quidem hic præstant) falso persuadet. 3. *Si tamen causa physica & materies ventorum, tempestatumq; nulla sit, nimis impotens est Dæmon ad excitandum illas:* Quia nihil ille potest creare ex nihilo, nihil generatione vera causari, ideoque nec tempestates, Et ideo in SS. solius Dei dicitur grandines procellas tempestatesque ciere.

17. Q. V. *An & quomodo Dæmon possit clavos, cultros, tigillos, ligna, fusta vitrorum, acus cultri, glomos pilorum, panni lacinias, lapides,*

lapides, sulphur & innumera alia corpori emittere? Ita sæpe factum esse ut vel vomitu, vel ejectione alvi à dæmoniacis aut aliter maleficio affectis hæc egererentur, vel è ventriculis mortuorũ excinderentur, testantur historiæ, quarum aliquam seriem colligit Joh. Wier. *l. 4. de præstig. Dæmon. c. 2. seqq.* Inprimis notabile est & ferme incredibile, quod oculatis testibus confirmat Langius *l. 1. Epist. 38.* in quodam pago Eistettensis episcopatus *Fugenstal,* accidisse, quod rusticus quidam peculiari dolorũ tormento circa hypochondrium confectus, subito mann deprehenderit sub cute illæsa delitescentem clavum ferreum; A quo per chirurgum exciso cum immensos denuo dolores persentisceret, violentâ sibi manu guttur abscidit: Post tertia die ventriculus incisus lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim instar serræ dentatos, ac duo ferramenta aspera longitudine cujusque ultra sphitami mensuram, visenda præbuit magna cum admiratione astantium. Hac in re Certum est, *Diabolum non posse res istas sine concursu causarum naturalium in corpore creare, vel producere:* Creandi namque potentia illi in totum denegatur & ascribitur omnipotentiæ divinæ: Aliter igitur hæc à Diabolo fiunt: 1. Causam hic plurimi citant naturalem, quæ ex putridis & viscosis humoribus, membrisque sive calore coctis, sive aliunde corruptis, in corpore mira sæpius potest producere: Uti enim lapides calculi morbus generat ex renum calore, ita etiam alibi in corpore duram quandam & solidam materiam condensari posse quis neget? Addo tamen; Non ita quemvis humorem in tantam posse concrescere duritiem, neque forte naturaliter in cultrum, lignum; pannum, aliamque formam sese condensare, indeque hæc ratio ex omni parte non est sufficiens. Ideoque 2. *Alij rectius referunt hæc in Dæmonum præstigias:* Illi enim vel 1. sensus dementare & *apparentes rerum illarum species* facile *possunt fingere* ut res miranda videatur, quæ tamen non adsit, præcipue cum ea, quæ apparent sæpe ingredi in corpus maleficio læsi naturaliter non potuerint, Illa etiam quæ excisa sunt ligna, frustra vitrorum, & cetera intra biduum triduumve penitus evanescere formasque priores amittere observatum est à Paulo Girlando Icto *tract. de Sortileg.* vel 2. *subtilissima pernicitate* quando vel ægri vomitus est, vel corporis dissectio,

fectio, *res istas possunt ingerere*, ut putent astantes has reverâ ibi abditas fuisse, indeque in concepta de maleficio opinione, quam ægro illatam putant, confirmentur: Ita contigit in puella quadam, dæmoniaca, è cujus ore panni nigri laciniosum rudimentum emulsum esse, eo tempore, quo post assumptum cibum crudo cibo vel chylo oblitum esse oportuit, si reddidisset ventriculus, vix tamen sputo irrigatũ, quod indicio fuit, illud in ventriculo non delituisse, testatur Wierus *l. 4. de præstig. Dæmon. cap. 3.* Adde ea quæ narrat *eod. lib. c. 6.*

18. *IV. Angelus non potest producere accidentia materialia*; Intellige, productione physicâ & immediata, non mediata & morali, quæ fit applicando activa passivis eaque dirigendo, disponendo, Ita enim Angelum operari posse & qualitates elicere est indubium: priori tamen modo illud non potest: *Patet*: Quia accidentia materialia pendent (suppositio concursu primæ causæ) unice à suis subjectis aut aliis causis corporeis in fieri, ideoque necessariam habent convenientiam cum illis: Quicquid igitur incorporeum est, improportionatum est ad producendum accidentia corporea, At Angelos esse incorporeos ante probatum est. Ergo.

19. Quæritur specialius: *Possitne Diabolus morbos, pestem, famem, &c. producere, vel si assint, pellere?* Ita fieri & à Lamiis (Diaboli indultu & auxilio) hominibus & jumentis sæpe morbos insolitos inferri testatur experientia: Certis enim anni temporibus ut ait Peucer. *lib. de divinat.* herbas ad certarum vocum pronunciationem evellunt, colliguntque aut alia suis artibus accommodata acquirunt, ea opinione, quod ex verbis, hanc, quam volunt, virtutem contrahant; Iis deinde vel ad remedia utuntur, vel si noxiũ aliquid parant cibo potuve hominum injectis, aut in pecorum pabula sparsis, aut saltem collocatis eo cum fascino, qua transeundum est, vel alio, mirificè lædunt, & perimunt etiam animantia, quæ ferè talibus degustatis, vel solo halitu attractis, vel transitu perstrictis aut superatis è vestigio inficiuntur, aut statim concidunt & moriuntur, aut lenta consumuntur tabe &c. Confer Bodin. *l. 2. Dæmon. cap. 1.* Godelm. *de Venef. lib. 1. c. 7.* Girland. *de Sortileg. q. 6. n. 10. seqq.* Sic & è contrario testis historia est, Dia-

bolum sæpe morbos curasse: Ita pestis subito Romæ suborta intra paucos dies tam sæviit, ut omnes undique vias compleret cadaveribus, & si diutius mansisset, totam ferme vastasse t Rempublicam: Curata tamen est & fugata à *Demetrio* Lacedæmonio, Per Uri (animalis in Hercynia sylva frequentis) immolationē: cui ad dimidium præciso dextro cornu in aurem dixit carmina quædam magica, voculasque: Quo exacto tam cicuravit eum, ut tenuissimo filo ligatus & in Amphitheatrum ductus, post in sacrificium expositus sit; Unde pestis desiit. Sic Aelian. narrat *lib. 12. Variar. histor.* Alpasiam jussu mulieris, primum in specie columbæ visæ, rosis de corona idoli Veneri sacri sumptis maculas faciei incurabiles extinxisse, Dico igitur: *Diabolum posse & morbos inducere, & inductos abducere*: Quia novit accurate morborum causas & vires, herbarumque & metallorum, aliorumque medicaminum naturas & operationes, Quibus vel morbos fugare, vel inducere potest, ex Dei permissu.

20. Q. II. *Possitne corpora reddere invisibilia*, hominis v. g. ut adhibitis certis mediis non appareant? Ita vulgo creditur, & mirum hujus exemplum narratur de *Gyge Lydorum rege, qui quando annuli alicujus magici palam* (partem cavam & latiorem, quâ inseritur gemma,) *in palmam converterat à nullo videbatur, ipse videbat omnia, idem rursus videbatur, cum in lucem annulum inverterat: Qua oportunitate annuli usus reginæ stuprum intulit, eaq; adjutrice regem Dominum interemit, sustulitq; quos obstare arbitrabatur, nec in his eum facinoribus quisquam potuit videre: Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ*, uti narrat Cicero *l. 3. de officio p. 522.* Non puto tamen *Dæmona corpus posse omni visibilitate exuere*: Quia non potest auferre omnem colorem: Corpus enim mixtum necessario est coloratum: E. nec potest facere corpus invisibile: Coloratum enim quod est, visibile est. Ne tamen sub determinata specie hominis v. g. sed vel bestiæ vel arboris, vel parietis vel alterius corporis videatur, fieri potest ab ipso, dūmodo effigiem aeriam alterius corporis homini circumdat, vel alio modo sensus fascinat. Pergo.

21. Expressi aliqua quæ Angelus non potest, dicam etiam paucis quædam, quæ sub potentiâ ipsius continentur: Assero igitur 1. *Angelum multò plura posse quam hominem*: Quod constat satis

ab

ab effectibus, quos præstat, hominis potentiâ longe superioribus, indeque illud demonstrare supersedeo.

22. Unde merito lugeas illorum miseriam, qui ita fascinantur, ut putent *Diabolum cogi vinciq; posse, ut fiat familiaris*; Sunt enim qui jactitent, se spiritus vinctos secum gestare, vel annulis, vel thecis, vel speculis, vel crystallis, vel aliis id generis instrumentis inclusos; Alij eos ex pacto & fœdere, quando opus est, alliciunt, ut doceant, informent, erudiant, in cognoscendis disciplinis juvent, occulta revelent, & alia plura quæ in locis remotioribus peraguntur alibive dicuntur manifestent. Sed, præterquam, quod modus advocandi & possidendi spiritus familiares sit superstitiosus & impius uti monstrat Dn. D. Balthasar Meisner. *p.m. p. 2. Philos sobr. sect. 2. cap. 2. q. 1.* Diabolus se cogi & incarcerari ab homine non patitur: Quia inferior non potest cogere superiorem; violentia enim sive coactio dicit actionem cum finali victoria agentis: At illa ab homine non potest suis naturæ viribus manare in Angelum. Ergo. Dæmon igitur quandoque fingit se compelli & cogi, ut ipse compellat & cogat: *Non tu eum compellis*, ait eleganter quidam *Henricus de Assia super Genes.* aut in vinculis tenes, *sed hoc certum habe, quod ipse simulet se captum, ut te capiat, se vinctum ut te vinciat, se tuo imperio subditum ut te subdat, à te inclusum, ut te finaliter includat, fingit se ligatum, vel arte, vel lapide, vel imaginibus, ut funibus peccatorum ligatum ad infernum deducat.*

23. Assero *II. Angelum posse movere corpora*: Patet: 1. Quia Angelus potest in corpore esse: Ergo & operari in illo: Ergo & movere illa: Connexio patet: Quia essentia Angeli secum defert omnia παθη, ideoq; & virtutem operandi sive loco movendi, 2. Angelus est homine potentior, At hic potest corpora movere. 3. Deprehenditur illud in energumenis, quos ultro citroq; à Dæmone moveri etiam invitis ipsis, intelligis.

24. Hinc patet: *Cœlum posse forte moveri ab intelligentia*: Potuisset enim Deus creare aliquam intelligentiam tantæ virtutis, quæ cœlum perpetuo circumrotaret: *An autem de facto moveat*, ut pleraque Peripateticorum pars asseruit, merito dubitaveris, per ea quæ dixi disputat. 8. Pneumat. thesi 9. Quæ hîc recognosce.

25. Quæris *Quid de nocturná Lamiarum transvectione per aera ſtatuendum* fiatne illa reverà à Diabolo nec ne? Hac in re invenio divortia apud authores: Johan. Franciſc. Ponzilibius ICt. *tract. de lamiis n. 45. & 54.* non ſolum negat Angelum movere actu corpora lamiarum, ſed & poſſe movere, ſic & Godelmann. ICt. iſtam abductionem lamiarum negat *tract. de lam. l. 2. c. 4. pag. 36.* & hanc dicit eſſe ſententiam maximæ partis Theologorum, ICtorum, Medicorum, & Philoſophorum, lamiasque virtute unguenti (cujus compoſitionem aliquam invenias apud Johan. Baptiſt. Port. Neapolit. *lib. 2. Magiæ natur. cap. 26.* & Cardan. *lib. 18. Subtil. pag. 910.*) in profundum ſomnum incidere, Diabolum vero illis ſomniantibus varia phantaſmata de volatu per aera, choreis, commeſſationibus concubitu, aliiſque quos ſe exerere putant, operationibus, imprimere, & in tali phantaſmate eas donec evigilent, detinere, corpore interim in lecto aut cubili, aut alibi quieſcente: Ita contigiſſe in vetula quadam, ultro pollicita ſe per aera volaturam, quæ poſtquam unguento corpus perfricuit, profundo ſomno preſſa eſt, à ſomno vero revocata, multa incepit fari deliria ſe maria montesque transmeaſſe, ut oculatus teſtis narrat Johan. Baptiſt. Porta *l. 2. Magiæ natur. cap. 26.* Simile exemplum narrat Girland. *tract. de Sortileg. pag.* 180. & ejus generis aliud, quod in Ducatu hoc noſtro Megapolenſi contigit, Godelmann. *l. 3. c. 2. p. 130.* Alij tamen non inferiores lamiarum iſtam transvectionem reipſa fieri affirmant, ut Bodin. *l. 2. de Dæmon. c. 4.* Girlandus *tract. cit.* Scribon. *in phyſic. &c.* & conventicula plurium inſtitui in Bructerorum monte auffm Blocksberge & in Italia apud nucé Beneventanam: Ita narrat Girland. *cit. l. p. 187.* quod Magiſterulus ipſorum (ſic enim vocant Dæmonem) in forma hirci expectet eas, quem ſi conſcenderint, ocyſsimè volitando per aera, ad locum indictum ferantur: Sic maritus quidam in agro Sabino, cujus mulier venefica illum abduxit, conventui interfuit, qui dein. nomine Dei per incuriam expreſſo (neque enim in conventiculis vel Dei vel Chriſti meminiſſe audent) diſſipavit omnes, ipſe ſibi ſoli relictus in loco, à patrio 100. milliaribus diſtante; apud Girland. *p. 184.* Ita & puella quædam artis hujus diſcendæ cupida, eò deducta, cum admirationem magnificentia rerum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0328
DFG

rum, hircorum item & equitum, fœminarumque insidentium multitudo incussisset, pronunciatione nominis Jesu dissipavit omnes, pariter nuda relicta in loco frigido & ab omni hominum consortio remoto: Ita & juvenis quidam in senticeto invenit nudam lacteamque, pulchrâ tamen & præpingui formâ, mulierem, à Dæmone eò depositam, cum audisset in pago vicino campanarum pulsus, ut narrat Girland. sæpe *cit. l.* Aliud exemplum non minus mirabile est apud Godelmann. *l. 2. de lam. c. 4. p. 35.* Ita etiam *Albertus Magnus* Coloniâ Romam deductus esse disputationis ergo dicitur à Bartholom. Sybilla *in speculi peregr. quæst. decad. 3. cap. 7. q. 4.* Sic *Apollonius Thyaneus* insignis negromanticus è conspectu *Severi* Imperatoris, qui carcere eum commiserat, sublatus & Puteolis (Campaniæ oppido) paulo post eodem die visus est: Sic nostro vere seculo *Faustus* pallio insidentes ad longinqua regna ducere potuit, ut refert Godelm. *l. 2. c. 3. p. 45. 46.* Ita *nobilis* quidam *Lombardus* apud Sultanum captivus & triennio uxori absens, magi artificio Papiam delatus est, eo die, quo uxor ejus ab alio nisi redisset, ducta fuisset, apud Wier. *l. 3. de præst. Dæm. cap. 12.* Hæc & alia si vera sunt, quæ de transvectione ista narruntur, non poterit ista negari. Ego ut me hinc expediam Dico: *I. Angelum posse lamias istas transvehere* & in loca peculiaria collocare: Patet: Quia habet facultatem corpora movendi: Cur non igitur & harum corpora quæ ipsius potestati dedita sunt: *II. Angelum aliquando actu transvehere illas ad conventicula*, quod est contra Godelman. Ponzelib. & alios, qui rem hanc in totum æstimant fabulosam: Ita patet *2. Ex ratione:* Lamiæ penitus se subdidere arbitrio & potentiæ Diabolicæ: Ergo etiam ad lubitum illas ducere & reducere, (pro permissione divina tamen) vehere & revehere poterit: Imo & aliquando facit: *II. Ex exemplorum* copia, quæ id contigisse dicunt modo recensita, *III. Transvectionem lamiarum aliquando esse phantasticam* & non nisi in somnis obrepentem: Nam illam perpetuo non contigisse, sed ab unctione lamias in profundum somnium concidisse, utique etiam exempla exhibent: Unde utrique sententiæ in tantum aliquid concedimus.

24. Quæris porro: *Anne Angelus movendo corpora, impetum imprimat illis*, uti v. g. videas lapidem moveri impetu impresso à

virtute projicientis? *Resp.* Res dubia est; Nam, si Angelus imprimit impetum, erit iste impetus aut Qualitas materialis aut spiritualis: At neutrum videtur dici posse: *Non prius:* Quia accidens materiale non potest produci à subjecto prorsus spirituali, Unde etiam Angelus omnino est improportionatus, ad producendum ullum accidens materiale: E. neque poterit producere in corpore moto impetum, qui materialis sit, cujus beneficio moveatur: *Non posterius*: Quia impetus ille necessario esset in corpore moto: Requiritur enim ille ad explendum defectum præsentiæ motoris, quando sc. motor ipse suâ essentiâ non adest mobili, & tamen motus continuatur, ideoque necesse est, impetum corpori moto loco motoris semper esse & indistanter præsentem: At si impetus iste esset spiritualis qualitas, in corpore moto recipi non posset, Accidens enim spirituale in corporeo subjecto recipi non potest: Probabiliter itaque colligo hinc: *Angelum movere corpora sine impetu illis impresso*: Et porro: *Angelum non posse movere corpus quin immediatione suppositi, semper sit præsens*: Ideoque non posse movere corpus in distans: Quod licet improbabile videatur, colligitur tamen ex dictis: Quia Angelus non potest corpori moto impetum imprimere: E. nec in distans movere: Impetus enim tum imprimitur, quando deest præsentia moventis, cujus explendæ ergo ut motus continuetur, impetus superadditur: Ideoque impetus est causa movendi corpus in distans spatium à movente: Ubi igitur ille superaddi nequit, ibi nec corpus facile movebitur in distans: At ab Angelo ille superaddi nequit. Ergo. Hæc dissero probabiliter, tu si docueris melius, & monstraveris solutionem rationis ad positæ non improbavero.

26. Assero *III. Angelū posse assumere corpora sesēq; illis unire*: Pro majori explicatione noto: 1. *Assumptionem* corporis posse fieri duplici de causa: 1. Ob operationem tantum, 2. unâ ad manifestationem: 2. *Unionem* esse triplicem: alia enim est *ad modum formæ informantis*, uti v. g. forma unitur materiæ, anima corpori, ad perficiendum illud & unâ cum illo constituendum totum compositum: Alia dein est *ad modum formæ assistentis*, quæ cum re cui unita est, non facit compositum aliquod per se & essentiale, sed solum dicit aliquid unitum alteri accidentaliter ad peculiarem operationem

tem perficiendam: Alia denique est *ad modum personæ sustentantis*, aliam substantiam propriâ personalitate carentem, Qualis unio nobis exhibetur in magno Christi incarnati mysterio, in persona τῦ λόγυ & humana natura. Dico igitur: *I. Assumere non dicitur corpus Angelus, quando ei solum unitur propter operationem*: Uti v. g. asinus uniebatur linguæ asinæ Bileami *Num. 22.* quando eam movebat, ad loquendum, itemque hoc modo unitur energumenis, Quam tamen unionem non dicunt Dd. assumptionem corporum: Hæc enim innuit peculiarem magis Angeli manifestationem per corpus: *II. Angelus non potest sese unire corpori (quod assumit) unione formali & essentiali, qualis est formæ cum materia*: quod voluit *Aureol.* Quia Angelus non potest esse forma corporis informans, ideoque neque sese hoc modo unire illi: Constat antecedens: Quia Forma habet esse incompletum & partiale, quod completur & perficitur unione ista: At Angelus est spiritus completus: *III. Angelus non potest sese unire corpori unione hypostatica*, quod sensisse putant *Tertull.* Patet: Quia unio hypostatica est cũ in hypostasi sive persona unius sustentatur substantia alia ἀνυπόστατος sive carens suâ propria subsistentia: At corpora quæ assumit Angelus utique *naturâ* suâ propriam subsistentiam habent, quam illis Angelus suâ potentia auferre nequit. Ergo. IV. *Angelus potest assumere corpus, seseq; unire illi, ad modum formæ assistentis & unione accidentali*, propter sui manifestationem & operationem peculiarem: Patet illud: 1. Quia hæc unio non superat ulla ratione virtutem illorum: Possunt enim corpora intime permeare & invadere, illaq; pro ratione & arbitrio aptare, cõdensare, movere ad sui manifestationem, 2. Testantur illud apparitiones Angelorum (non solum quæ in scriptura sacra, sed etiam) quæ in Ethnicorum scriptis passim reperiuntur.

27. Quæris: *Unde accipiat & assumat corpora Angelus*? Resp. Illum nosse varia diverticula: 1. Nam 1. Potest assumere corpora *cadaverica* recens mortuorum, illaque pro arbitrio sui movere: 2. Potest sibi fabricare & concinnare (non physica generatione, sed artificiali congregatione & condensatione partium, earumq; fortiori unione aut mixtione) *corpora è quovis elemento*, præcipue verò *ex aere*. Hic enim præ omnibus aliis elementis in varias for-

mas

mas figurari potest, citiusque evanescit, & quia omnis generis imperfectionibus obnoxius est, variis multisque coloribus, (quos in illo ex mistione alterius corporis, vel additione causæ alius facile pingere potest Angelus) recipiendis imprimis est aptus:

27. *Quænam ergo sunt operationes, quas Angelus exerit per corpus assumptum?* Resp. 1. *Operationes istæ non sunt vitales:* Patet: 1. Quia actus vitales supponunt formam animatã pro causa ejusque unionem formalem ad materiam ut fieri possint; Forma enim animata causa est istorum actuum principalis & propria, illosque exerit per organa corporea: At Angelus non est corporis assumpti forma informans. 2. Angelus se solo & sine corpore existens est insufficiens ad exerendum actus istos vitales materiales, Quia illi perpetuum requirunt cum corpore commercium, neque fieri possunt nisi per organa corporea: E. etiam in corpore assumpto est insufficiens ad exerendum istos: *Connexio est evidens:* Quia corpus assumptum nulla ratione potest juvare Angelum in operando, etiam ut organon, sed habet se *merè passivè*: E. in corpore non habet majorem virtutem exerendi actus istos, quam extra corpus: Tota enim actio quæ fit in corpore, adæquatè tribuitur Angelo, qui idem manet sive in corpore, sive extra illud, neq; per unionem ad illud fit potentior: Si igitur quandoque Angelis vendicantur actus isti, fiet id non proprie sed improprie, propter apparentiam, quia nobis visi sunt actus istos exerere, cum tamen reverâ non exeruerint, vel propter similitudinem, quia fecerunt aliquid simile istis.

28. Hinc specialius constat: *Angelum, non posse generare in assumpto corpore:* Fuit equidè id valde dubium apud antiquos: Unde Augustin. *l. 15. de Civit. Dei cap.* 28. nihil hic audet definire: *Creberrima fama est,* inquit, *multiq; se expertos, vel ab eis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Sylvanos & Faunos quos vulgo incubos vocant, improbos sæpe extitisse mulieribus & earum appetisse ac peregisse concubitum & quosdam Dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam & tentare & perficere, plures tales; asseverant, ut hoc negare impudentiæ videatur, non hic aliquid audeo temerè definire &c.* Ita Lactant. *lib. 2. c. 15.* dicit *Angelos in custodiam generis humani delegatos paulatim consuetudine*

cudine fœminarum pellectos & cum illis inquinatos esse, & sic in cœlum, ob peccata quibus se immerserant, non receptos cecidisse in terram: Confer Euseb. *lib.* 5. Huc facit, quod è Lamiarum confessione vulgo asseritur, *Magistellum ipsorum carnali copula ipsis conjungi* libidinesque explere in assumpto corpore, ut par est: Confessione enim propriâ lamiæ & ultro sæpe indigitant suos amasios (quos vocant Sußholß / Leschhorn / Flederwisch / Schnurbusch &c.) & quam libet eorum habere suum sibi proprium, cum illo coire, indeque voluptatis indicia multa percipere; Et hunc Dæmonum concubitum multis confirmat Bodin. *l.* 7. *Dæmon c.* 2. nec abnuit Lambert. Danæus *l.* 2. *Eth. Christ. cap.* 14. Unde *Dæmon alius* dicitur *succubus* qui assumpto corpore in speciem mulieris formato, viro se subjicit venefico, ejusque semen recipit, & in nativa sua Qualitate, quæ naturali generationi convenit, conservat & fovet, usq; dum formâ muliebri depositâ illud vel alio Dæmoni incubo tradat, vel ipse fiat *incubus*, quando sc. corpore in speciem viri effigiato semen post defert Lamiæ: Et ex hoc concubitu liberos natos esse testantur historica exempla: *Extant & hodie nonnullæ gentes* inquit Ludov. vives *in comment. super l.* 15. *de Civit. Dei cap.* 23. *quæ originem suam habere gloriantur à Dæmonibus, qui coierint cum fœminis virili formâ aut cum viris fœmineâ*; Ita fabula est *Hunnos* esse procreatos ex congressu Dæmonum cum Gothicis fœminis quas Alrunas vocarunt, quæ postquã è Filuniri Gothorum regis castris egressæ, ac per Asiaticæ Schytiæ solitudines aviæ factæ essent, à Faunis & dæmonibus deprehensæ & compressæ putantur. Ita *Servius Tullus* creditus est Laris familiaris filius apud Plin. *l.* 37. *c.* 27. Et *Merlinus* quidam in Anglia Dæmonis & Virginis filius fuit habitus, ut refert Wierus *l.* 3. *de præstig. Dæmon. c.* 25. Taceo jam illos qui ex Deorum & fœminarum mortalium congressu nati esse finguntur apud Poetas. Ita *Psellus* refert *in lib. de Dæmon.* ex Marco quodam rerum dæmoniacarum maximè gnaro, dæmones semen ejicere, ex quo perpusilla oriantur animalia, habereque membra genitalia, sed non qualia homines, excrementum ex illis manare quod tamen non omnibus Dæmonum generib⁹ contingat, sed materiæ proximis aqueis & terrenis, Idem testatur de hoc Marco, Ludov. Cæl. Rhodigin. *l.* 2. *lect. antiquar. cap.* 6. Et hæc exempla

multos moverunt, ut putaverint Dæmones revera coire, generationemque perficere posse: Maneat tamen assertio supra posita, quæ dicit, *Dæmones generare neutiquam posse in corpore assumpto*: Patet, Quia Generatio est actio vitalis materialis, quæ non nisi à formâ materiæ essentialiter unita proficisci potest: At Angelus non unitur corpori unione esseutiali tanquam forma: E. nec per corpus potest generare: 2. Angelus extra corpus est improportionatus ad generationis actum E. & in corpore: *Connexio patet*: Quia corpus ad hanc rem se habet *mere passive*, neque quicquam juvat Angelum in operatione: Ergo quod extra corpus non potest, neque poterit in corpore.

29. *Quid ergo dicendum*, inquis, *de congressu Dæmonum cum Lamiis?* Resp. 1. Congressus iste vel est mere phantasticus & fictitius Magis & Magiæ deditis in somno obrepens, quos harum rerum phantasmatis solet vexare, imo & interdum probis mulieribus simile quid contigisse exemplo testatur Martinus de Arles *tract. de superstit. c. 7.* vel si aliquando tale quid Diabolus in *assumpto corpore* præstitit in conventiculis ipsorum, & in forma succubi se viro venefico subjecit, post in formâ incubi mulieri semen detulit, non tamen ideo erit *generationis causa physica*, quia ille ex se & sua *essentia* non poterit eâ perficere, aut semen generationi suppeditare, sed solum *generationis causa moralis*, applicans activa passivis, & destinans semen debitis locellis, Ideoque etiam qui inde generantur non Dæmonum filij, sed illorum à quibus est semen decisum, esse dicuntur: Ita putant fieri posse Bartholom. Sybilla *in specul. pereg. quæst. decad. 3. c. 2. q. 4.* Hurtad. Mendoz. *disp. 1 de gener. sect. 3. p. 533.* Conimbr. *lib 1 de gener. cap. 4 q. 10.* Thom. *p. 1. q. 51. art 3. ad 6* Girland. *ICt. tract. de Sortileg. &c.* Alij tamen dicunt neque Dæmona hic causam moralem esse posse, qui semen aliunde sumptum applicet, eò quod illius virtus & potentia non conservetur nisi in debitis à natura locellis, ut Wier. *l 3. de præstig. Dæmon, c. 23. p. 311.* Quod & ego naturæ magis favorabile puto, quæ ad id conservandum certa solùm instrumenta concinnavit extra quæ servari non potest, & rationi magis consentaneum, quæ non admittit Diabolum ita hac in re ludere posse. Sed plura hic non addo, quia res hæc odiosa est piis auribus.

30. Porro,

30. Porro *Angelus in assumpto corpore non potest nutriri, comedere &c.* Quia nutritio sive comestio significat introreceptionem *cibi convertibilis in substantiam comedentis*, propter digestionem illius, & concoctionem, quæ primo fit in stomacho, ubi cibus in albicantem humorem convertitur, qui dicitur chylus, post per venas mesaraicas ad sanguinis officinam delatus in sanguinem vertitur, post venarum beneficio sanguis in totum corpus omnesque ejus particulas sparsus mutatur in carnem, indeque corpus hoc modo nutritur & augetur, At Angelus non potest cibos in corpore assumpto ita convertere, Quia viribus illis est destitutus aliàs, ut est extra corpus &c. Ergo.

31. Porro *Angelus non potest exercere operationes animæ sensitivæ*, ideoque nec videre audire tangere, loqui, moveri motu animali, in assumpto corpore: Res clara est ex dictis.

32. Tandem *III. Modus agendi* in Angelo (quod restabat) est *Finitus & limitatus*: Patet: Quia quod in essendo Finitum est in agendo quoque est finitum, At Angelus est in essendo finitus. Ergo Finitus inquam est, *& dependens à prima causa*, quæ potentiam hanc potest limitare, arctare, laxare, pro liberrimo arbitrio: Hinc vulgo dicitur *Angelum multa posse vi suâ quæ nequit divinâ*, Item: *Multa posse potentiâ, quæ non potest actu &c.* Quia suspenditur aliquando influxus divinus debitus potentiæ, indeque illa exercere sese non potest. *Sed finio & Deo do gloriam.*

Corollaria.

I.

Quæritur: *Anne incantationibus suis Magi Ægyptiaci baculos vere verterint in serpentes, an solum quoad apparentiam?* Resp. 1. Sunt qui putent serpentes vere productos à Diabolo, eò quod Diabolos non lateat, quibus imitiis & seminiis fiant serpentes, quæ si incidant in manus eorum, plus illi efficient uno momento, quam longâ serie aliàs natura tardasset: Accipiunt igitur illi semina rerum & ex iis rite accommodatis mira sæpe efficiunt: Sicut enim

enim artifex & sedulus naturæ indagator novit è quibus herbis seminibusq; hoc aliove modo dispositis, quæ nascantur, animalia, Ita & Dæmon id noverit multo accuratius: Qui tamen ideo non creator erit serpentum sed solum causa applicans activa passivis, vide Augustin. *l. 3. de Trinit. cap. 7. 8. 9. & in gloss. super c. 7. Exod. & l. 10. de Civit. Dei c. 8.* Thom. *in dist. tr. q. 5. ad octav.* Bodin. *de Dæmon. l. 2. c. 6.* &c. *2.* Alij æstimant esse hic mutatos serpentes non secundum rei veritatem sed secundum apparentiam, potuit enim Diabolus vel 1. ludificare oculos & sensus, & pingere species serpentum, illasque oculis astantium objicere cum tamen isti reverâ ibi non fuerint, vel 2. subducere ex oculis virgas, & aliunde translatos subito supponere dracones, uti in simili factum dixi de Iphigenia Agamemnonis filia supra, Ita Lyra, Clemens *lib. 3. Stromat. Joseph. l. 2. Antiq. c. 5.* Johan. Wier. *l. 2. de præstig. Dæmon. c. 8. & lib. 1. c. 3. & 3.* Godelmann. *tract. de Lamiis l 2. cap. 3. p. 18.* Et magnus Lutherus, (qui ne pediculi quidem creationem Diabolo tribuendam putat, Der Fürst dieser Welt, inquit alicubi, ist nicht so mechtig daß er könne ein Lauß machen/) & cum eo orthodoxorum plerique omnes. Nos idem dixerimus, & penitus impossibile putaverimus Diabolo, è baculo serpentem facere, Quia materia baculi ad productionem serpentis prorsus est indisposita; Ex indisposita autem materiâ nihil ille potest producere, ut supra vidimus. Meræ igitur fuerunt præstigiæ.

II.

Q. *An Pythonissa in Endor verum Samuelem excitarit,* 1. Reg. 28. Resp. Authorum cumulum qui id affirment, quia magnus est, non addo, quorum authoritas potius quam ratio pellexit Bodin. *lib. 2. Dæmon. c. 3.* ut dubitaverit in hac re, neque quid certo statueret, invenerit: Orthodoxi tamen rectius multo statuunt Samuelem istum excitatum non nisi larvatum Diabolum fuisse; vide ad hanc rem Augstuin. *l. 2. de mirabilib. scripturæ c. 11.* Justin. Martyr. *in resp. ad q. 52.* Chemnit. *p. 3. exam. Concilij Trident. fol. 126.* & plures alios.

COLLEGII PNEUMATICI

Disputatio Undecima

DE

ANIMÆ RATIONALIS ESSENTIA ET ATTRIBUTIS, UBI DE IMMORTALITATE ejus, separabilitate & statu separato, Propensione ad Corpus, & Præsentia in Ubi,

Cujus positiones,

Favente divinâ clementiâ

&

Secundante venerando Philosophorum ordine

in inclyto Rostochiensi Lycæo

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Examinantium judicio subjiciet ad diem 18. Julij.

CHRISTIANUS HARTWIG

Rostochiensis.

Jacobus Zabarella lib. de Mente Hum. c. 1.

Nulla res est, cujus notitiam illi, qui rerum scientias inquirunt & sapientes evadere cupiunt, magis indagare, atque enixius pervestigare deberent, quam illa animæ præstantissima pars, qua homines sumus, & quam solam hominem ipsum esse plures Philosophi existimarunt.

ROSTOCHI

Literis Joachimi Pedani, Anno 1629.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0337

DFG

Disputatio Undecima

ANIMA RATIONALIS ESSENTIA ET ATTRIBUTIS, UBI DE IMMORTALITATE

ejus, separabilitate & statu separato Propensione ad Corpus, & Existentia in Ubi,

Cujus positiones,

Favente divina clementia

&

Secundante venerando Philosophorum ordine

in inclyto Rostochiensi Lyceo

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ

Philosophiæ Magistri,

Examinantium judicio subjicit ad diem 11. Julij.

CHRISTIANUS HARTWIG

Rostochiensis.

Jacobus Zabarella lib. de Mente Hum. &c.

Nulla res est, cujus indutiam illi, qui rerum [illegible] inquirunt & sapientes evadere cupiunt, magis indagare, atque enixius perveniare debeant, quam illa anima, [illegible] quæ hominem somus, & quam solam hominem [illegible] plures Philosophi existimarunt.

ROSTOCKI

Literis Joachimi Pedani, Anno 1620.

Σῳ Θεῷ.

Disputatio Undecima Pneumatica,

DE ANIMÆ RATIONALIS ESSENTIA, ET ATTRIBUTIS, UBI DE IMMORTALITATE, SEPARABILITATE, STATU SEPARATO, ET PROPENSIONE AD CORPUS.

RESPONDENTE,

CHRISTIANO HARTWIG
Rostochiensi.

Thesis I.

Concisus ero in hoc tractatu, qui *de Anima* est, præcipue quod norim, *Physicæ designandam esse hanc operam*, indeq; ab hac scientiâ alienorem: Sic enim volet veritas: 1 Quia ejusdem scientiæ est cum essentia passiones ejusdem investigare, ex Arist. *l.* 1. *poster. c.* 18. *l.* 7. *Met. c.* 5. Hæ enim perpetuam dicunt ab illa dependentiam sive in fieri, sive in esse, sive in conservari: Ideoque sicuti sine essentia esse non possunt, ita nec cognosci, At Physice considerat essentiam animæ rationalis, ut est in confesso: Ergo & affectiones ejusdem, indeque & separatam ejus conditionem, Quid igitur de illa sibi sument aliæ præter hanc disciplinæ? II. Anima *separata* retinet nihilominus perpetuo suam dependentiam, inclinationem, propensionem ad corpus, ut reduniatur illi, At ubi melius ages de ista propensione ad corpus quam in illo tractatu ubi de corpore sermo est? Compendiosius

igitur & magis juxta methodi leges illi agere videntur, qui de Anima sive juncta sit corpori sive separata ab illo, in Physicis agendum asserunt: licet, quod addo, nec iis usque adeo refragari possim, qui *Pneumatica nostræ*, animæ absolute consideratæ, & secundum illa attributa, quæ illi conveniunt, ut à corpore separata est, tractationem vendicant, Priorem tamen ordinem magis probo, unde, quod dixi initiò, me breviorem fistam: Illis qui *Metaphysicæ* dedicant sine jure animæ considerationem jus dicas ex dictis *diss.* 1. *Pneumat.* In præsenti autem ita me expediam, ut *I. Essentiam, II. Affectiones animæ intelligentis*, quæ illi competunt, ut absolute & sine unione vel relatione ad corpus consideratur, agnoscam: Post se finiet cum bono Deo tractatio nostra Pneumatica.

2. *I. Essentiam Animæ intelligentis* definitione sic indico: *Anima est spiritus incompletus*:

3. Dicitur *I. Spiritus*, ut distinguatur à reliquis formis materialibus & corporeis (quibuscum convenit in esse incompleto) quæ, licet in se & *intrinsecè* esse materiæ non involvant, (essent enim alias ex materia & forma compositæ) tam arctam tamen dicunt conjunctionem ad materiam, ut ab illa penitus dependeãt, sive in fieri, quia educuntur è potentia illius, sive in esse, quia conservantur in illa, sive in operari, quia non nisi per illam, & cum illa operari possunt. Et sic post separationem à materia non subsistunt, sed esse desinunt, ideoque non dicuntur spiritus: Anima autem rationalis, quia hoc modo est independens à materia ut neque fiat ex illa, neque necessario conservetur in illa, sed etiam possit esse sine illa, neque operetur subinde per illam, sed etiam quandoque sine illa, spiritus esse dicitur.

4. Hinc igitur facile probaveris *Animum intelligentem esse spiritum: I. Ex independentia à materia in fieri*: Anima sit quidem in materiâ & cum illâ bene disposita, sed non *ex potentia illius* educitur: Eductio enim ex potentia materiæ innuit specialem quendam productionis modum, qui facit perpetuam eamque arctissimam formæ à materiâ dependentiam, ut sine hæc illa neutiquam esse possit: *Quicquid igitur non fit ex potentia Materiæ, illud spirituale est*: Sicuti enim materiale dicimus, vel quod ex materiâ factum, vel compositum est, & ab illa penitus dependet: Ita contra spiri-

spirituale dicimus, quod vel non compositum est Ex materiâ, vel non pendet ab illa: *Atqui Anima rationalis non fit ex potentia materiæ*, quia non habet perpetuam eamque arctissimam à materiâ dependentiam, Ergo. *II. Ex independentia á materia in operari?* Actus & operationes spirituales non nisi à spirituali principio proficiscuntur: Actus namque aut potentiæ spiritualis principium non potest esse nisi Ens spirituale, eò quod Ens corporeum sit longe inferioris ordinis, quam ut ex se possit elicere spirituales affectiones, Atqui animæ intelligentis præcipuæ operationes sunt spirituales & à materiæ commercio independentes *Intellectio* v. g. *& volitio*, Ergo & origo earum, anima nempe nostra est spiritualis: Minor constat *1. De Intellectione*, quam spiritualem esse actionem sumes *1. Ab objecto* circa quod versatur, quod non sit materiæ immersum, quam à materia abstractum sive secundum rem, ut Ens spirituale Deus v. g. & Angelus, sive secundum rationem, ut Ens Universale, quod sive spiritui, sive corpori commune est, At objectum spirituale & à materia abstractum non potest cognosci sive attingi actione materiali, sed spirituali; Actio enim materialis tendit in objectum sub aliqua ratione accidentali materiali, quâ ipsum objectum intrinsecè afficitur, Ita *visio* v. g. non attingit suum objectum nisi sub ratione materiali *coloris*, auditio non nisi sub ratione *Soni* &c. At spiritus non est vestitus *intrinsecè* aliquo accidente materiali, quod sit ratio formalis sub Qua cognoscitur: Unde spiritus à potentia materiali cognosci nequit *II. A modo cognoscendi*, qui subinnuit, cognitionem intellectivam non nisi spiritualem esse, Est enim ille 1. *per discursum*, quo homo cognoscendo ex uno principio plures deducit conclusiones, indeque consequentias mirificè connectit, 2. *in se reflexus*, qui non solum objectum cognitum directè, sed etjam cognitionem ipsam objecti reflexè cognoscit, cognoscit namq; homo se cognoscere: 3. *subtilis & penetrans*, qui non solùm hæreat in externâ rerum superficie, sed & intimas rerum quiditates penetret & permeet, quod actio materialis facere nequit, 4. *sagax*, qui res sive conjunctas sive disjunctas discernat accuratius, & quid ad cujusque essentiam pertineat, disjudicet, 5. *potens*, qui non sit alligatus ad *existentiam* objectorum, neque solum cognoscat ea quæ sint vel fuerint, uti ab actionibus sensitivis & materialibus fieri

videas, sed etiam ea quæ futura sint, imo fingat & refingat sæpissimè ea, quæ nec sint nec esse possint. Hæc & alia subinnuunt in nobis cognitionem immaterialem, quam intellectionem dicimus.

III. Ab independentia ab organo corporeo: Omnis actio vitalis materialis dependet ab organo corporeo, per quod exeritur, uti videas v. g. visionem fieri non posse nisi immediatè influat organon visionis, quod oculus: At intellectio nullam habet dependentiam ab organo corporeo per quod immediate exeratur: Neque enim ullum nominaveris per quod ista fiat: Cerebrum enim juvet licet & promoveat intellectionem monstrando *objective* phantasmata ad fabricationem specierum intelligibilium, nil tamen præbet *effective* ad eliciendam immediatè ipsam intellectionem; sit licet principium (unà cum sensibus internis) ad intellectionem disponens, non tamen est immediate influens; Intellectio igitur non est actio vitalis materialis, organica, sed immaterialis, inorganica &c. *IV. Ex principio cogitandi de rebus spiritualibus*, quod non potest esse nisi spirituale: Omnis enim cogitatio nostra aut ex objectis oritur aut ex nobis ipsis suppullulat ab intrinseco: Cogitatio autem quam habemus de rebus spiritualibus non potest oriri ab objectis, externis; Incorporeum enim sensibus nostris non objicitur, (nisi forte sub specie corporea, unde ipsæ substantiæ spirituales si nobis apparere velint, speciem induunt corpoream) Ex nobis igitur erit ista de spiritualibus cogitatio, ita sc. ut in nobis sit principium quoddã quod post materialium cognitionem etiam possit sese evehere ultra illa ad spiritualia, ab iisque removeat ea qua in materialibus reperiebantur, indeque pro hoc statu deveniat in rei spiritualis aliqualem cognitionem: Illud autem principium non potest esse nisi spirituale: Quia potentia materialis nulla ratione in se habet vim percipiendi aut qualitercunq; agnoscendi objectũ spirituale sicut enim oculus non cognoscit sonos, aut auris colores, aut gustus odores, aut sapores odoratus, ita etiam prorsus improportionata est materialis potentia ut quicquam, quod spirituale sit, sive cognoscat, sive dijudicet: *Summa huc redit*: Principium cogitandi de rebus spiritualibus eaque percipiendi est spirituale: Atqui

Atqui in homine est principium cogitandi de rebus spiritualibus, Eo ipso enim quo disputamus de spiritu cognoscimus eum, quod satis indicat principiu in nobis delitescens ad cognoscendum eum: Hoc enim si non esset, homo non magis esset aptus ad disputandum de illo, quam oculus ad percipiendum sonos; Ergo in homine aliquid spirituale est, quod causa sit illarum cogitationum: At illud nō nisi anima esse potest. *II. De volitione* probatur quod sit actio spiritualis itidē *I. Ab objecto:* Tendit ista actio in ea quæ supra sensū sunt & materiā; Reprimit n. solius sæpe honestatis & virtutis impetu sentientem appetitū, cum omnibus suis pedissequis, ipsiq; imperat, quod ab actione materiali esse non potest. *II. A modo tendendi in objectum*, qui liber est ab intrinseco, & modo ad hoc modo ad illud objectum inclinatur pro arbitrio volentis, quod non potest esse ab actione materiali *III. Ab independentia ab organo:* volitio est actio prorsus inorganica, quæ nullo egeat organo, cujus beneficio eliciatur, neque enim ullum indigetari potest: Ergo est spiritualis: Indeque quod concludendum erat, principium harum actionum anima nempe nostra, spirituale erit.

5. Dicitur anima II. Spiritus *incompletus*, ut innuatur ejus natura, quæ est partialis, petitque aliud complere & in esse perfecto constituere: Differt ita ab Angelis & spiritibus aliis qui licet spiritus sint & ita conveniant cum anima, sunt tamen spiritus completi, qui sua natura non ordinantur ad complendum aliud compositum; Et illam naturam incompletam semper retinet, neque immutat in statu separato: Est enim tale attributum animæ, quod remoto omni extraneo illi competit, *ut petat complere sive perficere aliud*, sit licet separata à corpore, vel non:

6. Patet ita: *Animam etiam in statu separato, non posse dici suppositum*: Suppositum namque est, quod implicat talem essendi modum, per quem ab alio supposito sustentante sit independens, ideoque nec petat cum alio uniri aut sustentari ab illo ad modum suppositi: Anima rationalis talem essendi modum non habet, per quem ab alio supposito sustentante sit independens. Nam in statu conjuncto dicit dependentiam actualem non à materia solum, sed à toto supposito hominis, indeque sustentatur in illo:

In statu itidem separato retinet dependentiam aptitudinalem, qua *naturaliter* inclinat ad informandam materiam, & constituendum suppositum, indeque petit subinde sustentari ab illo: Quia est forma corporis, quæ naturaliter petit esse in corpore, & Ens incompletum, quod inclinat ad complendum aliud suppositum: Ergo. *Addo tamen*: Animam intelligentem in statu separato imitari rationem suppositi, indeque subsistere instar illius, & sic *per analogiam* & improprie suppositum dici posse: Actu enim secundo non pendet ab alio unito sustentante, tanquam supposito, sed subsistit sine illo. At quod ita subsistit habere putatur rationem suppositi. Quia tamen nihilominus retinet dependentiam istam aptitudinalem, qua petit ab alio supposito sustentari, proprie suppositum eam dicere non possum. Sisto me in essentia, plura si velis hic, assume è Physicâ.

7. II. Affectiones animæ sunt variæ: Nam 1. Quædam illi conveniunt *ob rationem formæ* præcisè, ut v. g. potentiæ operandi: 2. Quædam *ob rationem formæ viventis*, ut sunt v. g. potentiæ operandi vitaliter, 3. Quædam *ob rationem essentiæ spiritualis ut sic*, ut v. g. sunt, inextensio, indivisibilitas, immensurabilitas, illocabilitas, immutabilitas, simplicitas, perennitas, ubietas &c. de quibus me vidi *disp. 2. Pneumat.* 4. Quædam *ob rationẽ essentiæ spiritualis talis*, quæ incõpleta sit, & materiæ unita, sed non perpetuo, ut sunt v. g. suppositi Immortalitate, separabilitas à corpore, Propensio ad corpus, &c. *Rursum*: Hæ affectiones sunt in duplici discrimine: Nam 1. Aliæ animæ conveniunt in statu relativo, quo seipsâ ordinatur ad materiam perficiendam & constituendum compositum: 2. Aliæ conveniunt illi in statu absoluto, quatenus consideratur præcisè ut essentia spiritualis, actu non ordinata ad materiam: 3. Aliæ conveniunt illi in statu separato quatenus est à corpore sejuncta. Primas physicis mitto indagandas ut plurimum, mihi non erit lubido eas tractandi nisi forte ex occasione, posteriores igitur hic locabo, easque non omnes, sed solum quæ specialim ad animæ separatæ cognitionem facere videntur; Eas n. quæ animæ conveniunt ex ratione essentiæ spiritualis, ut sic, videas & repetas è *disp. 2. Pneumat.*

8. Agam igitur hoc ordine: videbo: I. Affectiones animæ

ave-

ἀνενεργήτους, per quas anima non apprehenditur operari, Ut sunt *Immortalitas, separabilitas, & status separatus, propensio ad corpus, præsentia in Ubi*, II ἐνεργητικὰς, ut sunt *potentia intelligendi, volendi, habitus iis superadditi, & potentia motiva.*

9. In attributis non operativis primo se offert *Immortalitas animæ*, digna sanè in qua se hominum animi torqueant, cum omnium causa agatur, & hinc pendeat ratio colendi numinis, & nominis humani gloria; Prænotandum autem I. Immortale dici tribus modis. 1. *Est immortale simpliciter*, quod nullâ vi sive externâ sive internâ, potest desinere, quomodo solus Deus possidet immortalitatem. 2. *Est immortale naturâ sua*, & ab intrinseco, quod tale accepit esse à Deo, quod secundum se spectatum tam sit firmum & stabile, ut non possit desinere, nisi id desinere velit Deus, 3. *Est immortale gratia Dei extra ordinariâ*, & ab extrinseco, quod secundum se petit aliquando non esse, quia naturam habet, quæ in se habet principia corruptionis, accedente tamen gratia divina in æternûm durare potest. Ita equus esset immortalis, si quis à Deo servaretur in æternum, simile quid dixi ad Immortalitatem Angeli *disp. 8. Pneum. th.* 45. II. Suppono: Aliter de Immortalitate loqui possumus ex sensu sacræ scripturæ, 2. aliter ex rationis dictamine, 3. aliter ex mente Aristotelis. Hoc non neglecto:

10. Dico I. *Anima*, neq; ex scripturæ, neq; ex rationis; neq; ex Aristotelis mente, *est immortalis simpliciter*: Scripturæ testimonia nõ addo: Ex ratione probo ita: Quicquid hoc modo est mortale, prorsus est indepẽdens à causa se priori, neq; admittit ulli in se se activi tatẽ, indeq; est increatum Ens: Immortale n. in hoc sensu dicimus, quod nulla vi sive interna sive externa potest desinere: At solus Deus est, qui hoc modo desinere non possit: Omnes vero creaturæ præter illum si non interna saltem externa & divina virtute possunt interire: Sicut enim ab illa sumpserunt esse per creationem, ita etiam ab illa possunt deduci ad non Esse per annihilationem, cum non minoris efficaciæ sit rem annihilare quam creare: Solus itaque Deus hoc modo est immortalis, omnia vero mortalia præter ipsum. *Ex mente Aristotelis* hoc itidem constat: Quia ille novit primum Ens, illudq; independens & causam omnium

omnium præter ipsũ se, uti dictum alibi: Novit itidem animã non esse Ens increatum, sed ab alio productum: vidit igitur solum Deum esse h. m. immortalem, qui non admittat activitatem causæ se prioris in se, eo quod ipse sit prima causa, Animam vero mortalem, eò quod, si non ab omni saltem a prima causa destrui possit.

11. Dico *II. Animam rationalem non esse immortalem ex gratia Dei extraordinaria*, eo se. modo quo equus esset immortalis, si quis à Deo servaretur in æternum, contra quam asseruit Clemens Timplerus *l. 4. Metaph. c. 14. quæst 18*: Patet: Quia anima natura sua & ab *intrinseco* non involvit principia quæ ducant ad corruptionem, materiam v. g. & privationem, itemque primas qualitates nec pendet ab iis: At quæ non habent in se principia corruptionis, neque suâ natura mortalia sunt, sed immortalia, & sic non facit gratia Dei *extraordinaria* ut in æternum serventur, Sume hanc rem prolixius ex asserto sequente: Ideoque.

12. Dico *III. Animam rationalem esse immortalem naturâ sua*: Quod constat non tam *ex scriptura* passim, sed etiam ex sanæ rationis dicterio, quod contra *Scaligerum* observo, qui in hac re sola fide putat agendum, nec quit quam sive suspicionibus sive persuasionibus hic certum fieri *exercit.* 307. *sect* 3. Ideoque fortius convinci possunt ij, qui ultra hominum sortem ad bestiarum naturam se ultro demerserunt, & oppugnarunt mordicus immortalitatem animæ, vel saltem de ea dubitarunt, dubitantque etiamnũ, ut fuere in hoc censu *Stoici* qui temporaneam solum durationem animis nostris assignarunt, easque à corpore solutas manere quidem, paulatim tamen debilitari & perire, sapientum vero ad summum, usque ad universi conflagrationem superstites esse, uti citant horum opinionem Conimbr. *Tract de anim. separ. d. 1. art. 1. 2. Epicurei*, qui animos unà cum corpore emori dicebant: Quos inter familiam ducit Plinius, qui *lib. 7. histor. natur. cap 55. omnibus*, inquit, *à suprema die eadem (manium ambages) quæ ante primum, nec magis à morte sensus ullus aut corpori aut animæ, quam ante natalem: Eadem enim vanitas in futurum se propagat, & in mortis quoq; tempora ipsa sibi vitam mentitur alias immortalitatem animæ,*

alias

alias transfiguratienem, alias sensum inferis dando, & manes colendo, Deumq; faciendo, qui jam etiam homo esse desierit, ceu vero ullo modo spirandi ratio homini à cæteris animalibus distet, aut non diuturniora in vita multa reperiantur, quibus nemo similem divinat immortalitatem: Tandem subdit: *Puerilium istæ deliramentorum avidæq; nunquam desinere mortalitatis commenta sunt*: Hæc Plinius, impio sane & infelici commento, certus nunc ea de re apud inferos malo suo, & plusquam infelici experimento, 3. *Hæretici* quoque plurimi in Ecclesia olim fuere qui immortalitatē animæ negarunt, testibus August. *l. de hæres. hær.* 85. Euseb. *lib. 6. histor. Eccles. c.* 26. Joseph. *lib. 18. Judaic. antiq. cap. 2.* Quibus se denuo succenturiarunt *Neo-Photiniani*, qui licet verbis immortalem velint fateri animam, re-ipsa tamen longe intendunt aliud: Quia loca scripturæ, quæ pro immortalitate animæ afferuntur, putant esse nullius momenti, indeque non posse stabilire eam: ita Valent. Smalcius *disp. de extr. jud. contra Frantz fol.* 410. nec ullam *nunc* ecclesiam triumphantem sed olim futuram credunt, quando Christus venerit redditum unicuique secundum opera, ut idem Smaltz. *disp. de Eccl. fol.* 273. contendit. Et sic falso conqueritur *disp. de extr. jud. contra Frantz. fol.* 409. sibi falso affingi à Frantzio, quod credat hominem mori quoad animam & quoad corpus, 4. Sic & alij, aperte licet negare non potuerint animæ immortalitatem, multum tamen hæsitarunt de illâ, nec nisi cum formidine assensum præbuere: Ita apud Ciceron. *l. 1. Tuscul. qq.* conqueritur *Antonius*, se Platonis libros de animæ immortalitate evolvisse, nec tamen inde factum ἀμετάπεισον in hac re; *Feci mehercule*, ait ad Ciceronem, *& quidem sæpius, sed nescio, quomodo dum lego assentior, cum posui librum & mecum ipse de animarum immortalitate cogitare incipio, omnis illa assensio labitur.* Sic *Theobrotus*, (vel ut vocant alij *Cleombrotus*) ex lectione libri Platonici de anima dubius hæsit, essetne anima immortalis, & tandem, ut experiretur, essentne vera nec ne, quæ Plato ad hanc rem disputarat, de muro in mare se præcipitavit, ut referunt Cicero *l. 1. Tuscul. qq.* Augustin. *l. 1. de Civit. Dei c. 22. Lactant. l. 2. divin. instit.* de quo hoc est epigramma apud *Ludov. viv.*

Vita vale, muro præceps de lapsus ab alto
Dixisti moriens, Ambraciota puer,

Nullum in morte malum credens; sed scripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.

Ita & *M. Portius Cato Uticensis*, victo ad Pharsaliam à Cæsare Pompejo & in Africa, Scipione Metello Pompeij Socero, ipse fracta fortunâ partium, cum omnia superata esse à Cæsare videret, Uticæ, quæ civitas est in Africa, perlecto prius bis eadem nocte Platonis Phædone de animæ immortalitate gladio se transfixit, ut meminit Ludov. Vives *in lib. 1. August. de Civit. Dei cap. 23.* vide & A. Hirt. *l. de bello Afric. p. 433.* Contra hos igitur, qui vel negant animam immortalem, vel dubitant de eadem munienda assertio nostra: 1. *Ex spiritualitate animæ*: Quicquid est spirituale, suâ natura est immortale: Atqui anima intelligens est spiritualis. Ergo. *Major patet*: Quia res spiritualis in se & suâ natura non involvit principia corruptionis intrinseca; ut sunt, *Materia prima* cum annexa sibi privatione, universali, quâ indifferens est ad seriatim recipiendum omnes formas, & *Qualitates primæ* elementares, quæ mutuâ actione & reactione compositum ad interitum disponunt; Illa est principium corruptionis passivum & radix ejusdem, sine qua perfici nequit: Hæ sunt principium activum instrumentale: Atqui spiritus non habet in se vel materiam vel primas qualitates, sed prorsus ab illa est independens, nec ab istis alterari potest, Ergo nec in se habet principia corruptionis, & sic ab intrinseco est incorruptibilis & immortalis. Minor probatur *ex thesi 4. II. Ex principio insito de immortalitate disputandi*; Impetus ille de immortalibus sive cogitandi sive disputandi non potest esse nisi à principio nobis intrinseco immortali: Illud igitur, (quia corpus esse nequit) anima erit. *Antecedens patet*: Quia potentia mortalis non habet in se vim cogitandi de objectis rebusque immortalibus; Eo quod natura cuilibet pro sui conservatione indidit sensum ad suum sibi conveniens bonum, sibique maxime proportionatum: At immortalitas mortali potentiæ bonum non est proportionatum & conveniens cum assequi illam non valeat; Unde quid quæso prodesset mortali potentiæ de re immortali cogitare, aut quem in finem hæc tenderet cogitatio si h. m. frustranea esset? Imò cur homini magis esset novercata natura, quam bestiæ, ut illi sensum de immortalitate indiderit huic vero minus, si utriusque animæ

nari

pari interitui sunt obnoxiæ, indeque illum fecerit ista longe miseriorem, quem Tantaleo onere excruciet, objiciendo eam, quam captare neutiquam possit perpetuo vivendi rationem: *Adde*: Mortale non magis posse cognoscere immortalitatem, quam oculus sonos, aut colores auris cognoscit; Anne n. si omnes ad unum homines sine oculis nati essent, in dubium vocare possent, essentne colores necne, essetne color albus à nigro diversus? Ita etiam si omnia in homine mortalia essent, non posset ille de immortalibus quicquam cogitare, aut vocare in dubium, anne anima immortalis sit vel non, Unde ni homo belluinam habeat stupiditatem vel ex hoc solo quod de immortalitate animæ disputat, animam agnoscet immortalem, *III. Ex appetitu perpetuo vivendi*: Homo naturaliter appetit ut perpetuò vivat, Ergo anima est immortalis: Antecedens patet per experientiam non solum cujusvis, qua petit perpetuo vivere, ied etiam ex studio, quo sibi immortalitatis famam consecrat; Hinc tam solliciti plerique sunt, qui de meliore luto, ut gloriam sibi conquirant, monumenta sibi assidua contentione relinquant, & magnifica opera construant, è quibus immortalitatis laus promineat: Hinc tam sancta cupido plerorumque, perpetuo in societate civili degendi, hinc jura extructa, hinc curiæ, forum, concilia delecta, hinc templa, unice in perennitatem societatis humanæ: Quæ omnia cur non æquali processu instituta prehendis à brutorum animantium collegio? Cur non & inibi societates perennes, consessus Senatorij, processus legales, & alia è conciliabulis promulgata decreta? Hoc scilicet obest, quod illis natura non concesserit appetitum honestè *perpetuoq;* vivendi, sed cæco impetu è die in diem usque ultimam se prorogandi sine ulteriori *futuræ æternitatis cogitatione*: *Connexio probatur* ita: Appetitus æternitatis & immortalitatis non potest esse à principio temporaneo & mortali: Natura enim nihil concessit frustra, sed unicuique pro ratione sui indidit inclinationem in suum sibi conveniens bonum, quodque non sit supra illius potestatem: Indeque etiam inclinatio in immortalitatem supponit principium, cui illa non sit inconveniens, sed apprime proportionata, immortale scilicet: Hinc assumo: In anima nostra est appetitus ad immortalitatem & vitam æternam: Stat igitur

conclusio: Ergo anima nostra immortalis est. *IV. Ex providentia divina:* Deum esse qui provideat bonis bene, & malis male, qui illos præmiis, istos pœnis afficiat sana ratio satis superque pronunciat, indicemque illius subinde promit, quando memorem fandi & nefandi conscientiam sive stimulis timoris exagitat pro malefactis, sive placide serenat pro benefactis: eò quod utrinque remuneratio pendeat à supremo numine, Istam autem providentiam divinam istos conscientiæ stimulos tollas omnes, si animæ immortalitatem dempseris. In hac enim vita sæpe malis bene accidit & bonis male, ideoque virtutis non est præmium, nec pœna vitij: Alia igitur superetit post mortem, quæ animæ erit, ubi justo judicio præmiorum & pœnarum hercisecundarum rationem inibit justus judex: Imò cur times homo tibi male conscius, cur abscondis faciem, cur fulminantis Dei aufugis iram, si post mortem alia non restat pœna præter mortem hanc temporaneam? Hanc sane nec effugies unquam, serius ocyus sors exitura, & tamen exibit, cur igitur illam etiamnum reformidas, si non est, quod reformides, aliud? At si quod est, quod timeas præter mortem temporalem, argues in te aliquid superstes immortale, pœnæ istius ictibus perpetuo exponendum, animam nempe tuam, Colligat ita animus, & resipiscat. Alia argumenta taceo: Addo tamen *V. Ex testimoniis Ethnicorum* quodammodo elucescere, quod rationis lumine constet animæ immortalitas: *Plato* multis egregiè scripsit in hanc sententiam, eámque tutatus est prolixè plurimis in locis Ita *l. 36 Epist. 7.* ad Dionis amicos, *Credendum est*, inquit, *revera semper antiquis sacrisq; verbis, quæ nobis nunciant immortalem esse animam, judicesq; habere, supplicia q; pati maxima, postquam à corpore fuerit separata:* Et in Phœdro fol. 182. seqq. *Anima*, ait, *omnis immortalis est. Quod enim semper movetur, immortale est, quod vero movet aliud, ab alioq; movetur, cum terminum habeat motus, terminum habet & vita, &c.* Et de Republ. dial. 10. *ex eo, quod mala quidem multa obtingant animæ, quæ deteriorem efficiant, dissolvere tamen non valeant, ab omni interitu liberam esse colligit.* Plura alia videas in *Gorgia, Menone, Apolog. Socratis*, & alibi passim. Sic & *Cyrus* apud Xenophontem *l. 1.* ad filios: *Nolite*, inquit, *arbitrari, ô mihi charissimi filij, me cum à vobis discessero nusquam aut nullum fore;*

Nec

Nec enim dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed cum essem in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam intelligebatis: Eundem igitur esse creditote etiamsi nullum videritis. Ita *Cicero* in Catone Majore pag. 556. *Ego vestros patres, inquit P. Scipio, tuq; C. Cœli, viros clarissimos mihiq; amicissimos vivere arbitror, & eam quidem vitam, quæ solum est vita nominanda; Nam dum sumus in his conclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis & gravi onere perfungimur, Est enim animus cælestis ex altissimo domicilio depressus & quasi demersus in terram, locum divinæ naturæ, æternitatiq; contrarium:* Et paulo post: *Quid multa? Sic mihi persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorumq; prudentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam, quæ res eas contineat esse mortalem:* Sic celebre est *oraculum Apollinis Milesij* de animæ immortalitate, quod refert Caspar. Peucer. *lib. de divinat. p. 55.*

Donec corporeis animus connexibus hæret
Cedit morrali patiens humanæ dolori,
Sed cum mortali compage solutus abibit
Corpore confecto tum totus in æthera fertur,
Incorruptus ubi maneat, nunquamq; senescens,
Sic antiqua Dei fieri prudentia mandat.

Plura aliorum testimonia non accumulo: Solum *Quid Aristoteles senserit super hac re,* superaddo, & ut honestè sentiam de præceptore nostro, missis aliorum opinionibus, probabilius reputo, si dixeris eum immortalitatem animæ cognovisse: Ita suadent textus plurimi: vocat enim νοῦν θείοτερόν τι καὶ ἀπαθὲς *l. 1. de an. t. 65. 66. & 3. de an. t. 12. & 19.* χωριστὸν *3. de an. c. 4. t. 7. & 19. & 20.* ἀμιγῆ *t. 4. & 19. ejusd. l.* cui laboriosum sit cum corpore μεμίχθαι & melius multo non cum corpore esse, καθάπερ καὶ πολλοῖς συνδοκεῖ *1. de an. t. 49.* imo ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον expresse appellat *lib. 3. de an. text. 20.* De Immortalitate satis.

13. Secundum attributum ἀνενέργητον animæ est *separabilitas:* ubi inquiram: *Anne anima possit separari â corpore*, indeque habeat separabilitatem? *II. Quod sit formaliter illa separatio?* Ubi subjungam *I. An anima separationem obtineat etiam ante unionē*

ejus cum corpore: II. An separatio illa sit violenta an præter an contra naturam animæ:

14. Circa primum: *Possitne anima separari à corpore*, & an actu aliquando separetur, potest supponi: 1. Separationem aliam esse *Logicalem sive mentalem*, ubi mens nostra unum attributum in re concipit sine alio, licet alias de facto illi sit conjunctum: uti fit v. g. quando animal consideratur non concepto homine &c. Aliam *realem* & physicam, ubi unum ab alio revera disjungitur, ut v. g. piscis separatur ab aqua, cujus species est separatio *localis* ubi locorum intervallis unum ab alio disjungitur: *Rursum*: Separatio ista realis potest esse *vel privativa*, & fit cum destructione vel utriusque vel alterius partis separatæ: Ita anima bovis & bestiæ cujusvis separatur à corpore, quia post ejus unionem continuo desinit esse &c. *Vel positiva*, & fit sine destructione partium separatarum: In præsenti autem sermo est, non de separatione logicali, nec de privativa; sed positiva, ubi anima post separationē superstes esse intelligatur: Et ita *animam à corpore separari posse & aliquando separari* nullo negotio sequitur *ex immortalitate* ejusdem: Nam: 1. *Animum separari* non est dubium eo quod in corpore necessario aliquando desinat esse: *II. Animum separari separatione positivâ* sic probo Quicquid immortale est per separationem à corpore non desinit, ideoq; post illud perpetuo manet superstes: Anima intelligens est immortalis ex ante dictis. Ergo.

15. *II. Formalis ratio* separationis definitione sic exprimitur: *Separatio est privatio actus secundi animæ, h. e. unionis formalis ad corpus ideoq; & præsentiæ & operationum in illo perficiendarum*: Dicitur *1. Privatio*: Quia est carentia debitæ perfectionis animæ, unionis nempe cū corpore, Quam quod suâ naturâ sit Ens partiale, subinde petit: Indeque *non est pura nudaq; negatio*, quia idoneum requirit subjectum, quod debita sibi perfectione privet nempe animam. *Convenit autem in hoc cum Morte, à qua alias in rigore differt*: Mors enim proprie totius: Separatio vero animæ quoque Animam enim separari dicas, sed non mori.

16. Dicitur *II. Privatio actus secundi, animæ*: Actus autem secundus infert *I. Præsentiam* ejus in corpore, *II. Informationem* materiæ ac constitutionem compositi, *III Facultates* sive potentias ope-

operandi in corpore. Per separationem igitur, anima nec erit præsens corpori, nec informabit illud, neque operabitur per illud: *Differt autem hoc ipso à separatione formarum irrationalium*, quæ sui separatione non solum actu secundo unionis, ut anima nostra, sed & actu primo h. e. essentia privantur & corrumpuntur. Occasione hujus facile decidi possunt sequentia quæsita.

17. Primo quæritur: *Anne separatio hæc obtingat animæ ante ejus cum corpore unionem*! In hac re Platonis *in Timæo* opinio fuit, omnes animas humanas ante corpora jam olim in cœlo à Deo creatas & in comparibus stellis constitutas vixisse, tum eas cælestium rerum tædio & terrenarum amore captas, ut tanti sceleris pœnas luerent, in corpora tanquam in carcerem conjectas fuisse, antequam vero in corpora migrarent, vehiculo quodam & vestimento cælesti & elementari, eo quod per vastos orbes cælestes & aerios migrare eas oporteret, sese induisse, beneficio cujus deinceps corporibus unirentur commodius, ut innuit Marsil. Ficinus *in comm. ad l. Plat. de Conv. c. 4.* vide Conimbr. *in l. 2. Arist. de an. c. 1. q. 3. art. 2.* Ita & Origenem censuisse, quod animus rationalis productus sit antequam corpus informet, refert Hurtadus de Mendoza *d. 1. de essentia an. sect. 7. §. 43.* Ita & vetusta opinio fuit animas migrare de corpore uno in aliud; indeque (quod hinc consequitur) separatim ante multa corpora existere: Docuit hunc errorem Plato in Phædro *pag. 183.* discursu valde ridiculo, innuens, animam in terram delapsam in prima generatione non continuò in brutalem ire naturam, sed vel in genituram viri Philosophi, vel pulchritudinis cupidi, vel Musici, aut amatorij. *Secundo* in regem, bellicum & imperatorium virum descendere, *tertio* in gubernatorem Reipublicæ, dispensatorem rei familiaris, aut quæstuarium, *Quarto* in laboriosum gymnasticum, aut eum qui exercitaturus sit medelam curamque corporis, *Quinto* in vatem aut sacerdotem, *Sexto* in Poetam, *Septimo* in artificem vel agricolam, *Octavo* in sophistam & popularem, *Nono* in tyrannicum &c. *Et paulo post: Et in bestiæ vitam humana anima transit, & ex bestia rursus in hominem, si modo ea anima quandoq; prius fuerit hominis*: Et in Timæo, fol. 292. *Et* inquit, *qui ne tum quidem finem peccandi faciet, quatenus depravatur, eatenus in brutorum naturam suis moribus similem*

similem permutari &c. Ita & *Pythagoras* suo exemplo conatur probare migrationem istam apud Ovid. *l. ult. Metamorph.* dum ita fatur:

Morte carent animæ, semperq; priore relicta
Sede novis domibus vivunt, habitantq; recepta,
Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ,

Empedocles credebat, se aliquando piscem fuisse: Ita Homerum in pavonem, Orpheum in cygnum abijsse, Animam Thamyræ philomelam affectasse, Ajacis leonem, Agamemnonis aquilam, Thersitis simiam, refert Plato *l ult. de Republ.* & inde Conimbr. *t. 2. de gen. & corr. c. 11 q. 1. art. 1.* Putabant enim animos hominum pro ratione anteactæ vitæ pecudum corpora sortiri, & in luscinias, olores aliasve aves cantatrices homines Musicos, in porcos Epicuræos, in lupos latrones, in serpentes iracundos, in leones audaculos, in vulpes fraudulentos degenerare: Refert etiam Julius Cæsar *lib. 6. de bello Gall. pag. 123. Germanos* hoc velle persuadere, Non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari metu mortis neglecto &c. Pro decisione hujus distincte me expedio & dico: 1. *Animas non esse creatas à Deo ante corpora, sed produci eo instanti, quo uniuntur corporibus ad informandum illa*: Patet: 1. Quia quod alicui competit secundum naturam & per se, illud prius est illo quod competit præter naturam & per accidens: Atque secundum naturam animæ est unio ejus cum corpore cui; competit per se, Ergo prior est separatione quæ animæ competit præter naturam & per accidens 2. Deus unumquodque creavit secundum statum naturæ ipsius congruum, debitamque perfectionem: At animæ maxime congrua est, imo debita ipsius perfectio est, ejus cum corpore unio: Uti enim omnes formæ producuntur ordine naturali non nisi supposita materia dispositionibus prævijs bene dispositâ: Ita etiam anima hoc poscit ut non nisi ad præsuppositam materiam eamque per dispositiones præparatam producatur & uniatur cum illa: Sine unione igitur ita producta non est. Et hinc patet: *Quî fiat quod anima post mortem seorsim subsistat, non vero ante unionem*

ejus

ejus cum corpore: Anima enim ex sua natura, quod forma sit, non petit ordinarie produci, nisi in bene disposita materia cui uniatur ad perficiendam illam, & sic productio animæ ordine naturæ non est ante unionem: Iterum: Anima post unionem ejus cum corpore non petit necessario corrumpi, per solutionem ejus à corpore, eo quod immortalis sit, ipsaque secundum suum esse *conservationem* perennare possit, licet de facto in corpore non sit, cum tamen *productio* ejus non nisi in corpore fieri potuerit. 3 Anima nihil operatur ante unionem ejus cum corpore, Ergo non est ante illam: *Connexio probatur*: Omnis essentia est propter operationes præcipue illa, quæ inter essentias est eminentior: Quo enim res est perfectior in essendo, eo quoque in operando est actuosior, sicuti contra; Quo quid magis discedit ab Esse & accedit ad non Esse eo magis ab operationibus est remotius: Indeque est, quod materia prima sit Ens imum, quia in operando est infimum, hæc enim non agit sed patitur, estque merè παθητική ex Arist. *l. 1. de gen. & corr. t. 55.* Formæ igitur non possunt esse sine operationibus, præcipue vero inter formas nobilissimæ uti sunt intelligentes animæ, indeque rectè ad negationem existentiæ à negatione operationis animæ hic proceditur, *Antecedens patet*. Quia si aliqua esset operatio animæ in illo statu, esset maxime intellectio, quippe quæ sine corporis commercio perfici potest: At illud non est: Quia nihil eorum recordamur aut cogitamus, quæ tali tempore intelleximus: Nec est unde non possimus recordari nos hæc aut illa feciſſe aliquando, quia memoria intellectiva non impeditur à materia quo minus intellectui possit objicere species rerum intellectarum; Quia ipsa intellectio prorsus est inorganica, quæ nec in materia fieri nec præpediri ab illa potest; Nec est, ut hic aliquis regerat *ex figmentis Platonicis* l. 10. de Republ. *animas ad Lethæum campum proficisci, siirpibus omnino vacuum, & ex Amelita fluvio pronas bibere, quæ largius hauriunt, oblivisci penitus omnium: Hoc facto mediâ nocte dormire omnes, tonitru ingenti excitari, venireq; ad vitam*, Ideoque anteactorum recordari non posse: Hinc apud *Virgil. Anchises* de animabus ait:

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos
Lethæum ad fluvium, Deus evocat agmine magno,

Scilicet immemores, supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant ad corpora velle reverti,

Hoc enim merito inter figmenta anilia reputaveris: 1. Quod constet, animas naturâ esse spirituales, quibus res corporea nocumento esse ideoque & oblivionem inducere non possit 2. Quod animæ unio cum corpore sit ipsi naturalis, ideoque ex ipsâ detrimentum capere non debeat, ut hausto quasi lethæo poculo omnium obliviscatur, 3. Quod unio animæ cum corpore sit naturæ bonum ab ipsa per se intentum, ideoque ad perfectionem animæ maxime vergat, & sic inde non possit rerum ante actarum penitus oblivisci. Sed pergo.

18. Dico II. *Animas non posse migrare de corpore hoc in aliud corpus sive humanum, sive beluinum: Non hoc: 1.* Quia natura animæ non potest in materia disposita ad recipiendam bruti formam conservari, sunt enim diversæ prorsus imò contrariæ dispositiones in corpore humano & beluino, quæ non admittunt unicam formam specificam: 2. Formæ specificæ munus est speciem certam constituere, & illam ab aliis omnibus distinguere: At si anima nostra etiam migraret in corpus bruti, constitueret duas oppositas species, ideoque hominem à bruto non dispesceret. 3. Formæ munus est operationes sua exerere, easque toti supposito communicare: Unio enim materiæ & formæ fit ad operationes: At anima intelligens in bruto non potest intelligere, non ratiocinari, aut discurrere, propter ineptitudinem corporis & organorum, 4. Esset memoria rerum in bruto corpore gestarum, quam tamen nemo deprehendit, vel si hoc non, pœna illa ab imprudente judice esset, quod ablegaret animam in carcere corporis bestialis cruciandam, (uti somniant, qui μετεμψύχωσιν hanc volunt) ubi tamen nullus doloris sensus, nulla culpæ ante actæ conscientia restaret, *Nec illud esse potest*: Quia omnis forma habet dependentiam à certâ numero materiâ & à certis numero dispositionibus, ideoque alteri corpori præter hoc, in quo vel est nunc, vel fuit olim, uniri naturaliter non potest. vide Fonsec. *l.* 5. *Met. c.* 5. *q.* 14 *f.* 5. Conimbr. *de an sep. d.* 6. *art.* 3. 2. Formæ numericæ est hoc numero suppositum constituere, illudque ab aliis speciei sive ejusdem sive diversæ distinguere, At si esset illa μετεμψύχωσις animarum & migra-

tio

tio à corpore hujus hominis ad aliud alterius, jam ista duo individua non erunt duo individua, quia non sunt numero distincta, quo tamen nihil est absurdius; Si enim v. g. eadem est anima Pythagoræ & Euphorbi, Pythagoras erit Euphorbus, & sic hi duo non erunt duo sed individuum unicum, quod quis non rideat? 3. Esset memoria rerum in alio corpore humano gestarum, vel si hoc non esset, imprudentia mehercles maxima in judice esset, qui (quod ajunt Pythagorici dogmatis assertores) in virtutis largum redhostimentum faciat migrare è corpore animas ad corpus aliud cum tamen nulla hinc præmij voluptas, nullus lætitia sensus percipiatur, & sic animæ ipsæ se præmio affectas ignorent: vel si in pœnam eas migrare diceres in corpora impiorum, utique aut recordarentur pœnarum, aut sine sensu & dolore pœnæ castigarentur quod omni absurdo est absurdius Ideoque in hac sententia absurda morus ego si immorer diutius. Itaque, conclusionis loco ad hoc quæsitum, illud manet, quod *Animæ separationis statum obtineãt post unionem earum cum corporibus sine* μετεμψυχώσει, quod erat dicendum.

18. Secundo quæsitum est: *Anne separatio à corpore animæ intelligenti sit naturalis an violenta, an præternaturalis? Naturale*, hic dicimus quod rei naturæ conveniens est & q. desiderabile ab illa, uti v. g. naturale est lapidi deorsum ferri, igni sursum, *Præternaturale*, quod naturæ nec conveniens est, nec repugnans prorsus, est tamen sine inclinatione ipsius ad illud, uti v g. vulgo dicitur esse præter naturam ignis quod (posito motu cœli) ad concavum lunæ moveatur in orbem: *Violentum*, quod est cum resistentia passi & contra inclinationem ipsius, uti v. g. violentum est lapidi sursum ferri: Hoc posito: Dico I *Separationem in fieri* (h. e separationis actionem) *esse violentam animæ*: Patet: Quia mors est violenta homini, Est enim contra inclinationem ipsius, Aut igitur erit contra inclinationem animæ, aut corporis, Quia alterutro horum est inclinatio in homine quæ resistit morti: At non est contra inclinationem corporis: Huic enim ratione sui nihil est violentum, quia ex se appetit omnes formas, earumq; dispositiones: Ergo erit contra inclinationem animæ, ideoque violenta ipsi. Dico II. *Separationem in facto esse* (h. e. factum separatum)

ratum) *non esse violentum animæ:* Patet: Quia violentum est contra inclinationem effectivam passi, quod propendet in contrarium, ideoque remoto principio violentante (ut sic loquar) redit ad suum statum convenientem: At ita non habet se status separatus in ordine ad animam: Neque enim ita detinetur in illo ut effective propendeat in unionem & remoto extrinseco prohibente redeat ad istam: Sic enim naturalis esset mortuorum resurrectio, quod dici non debere patebit inferius, Dico *III. Separationis statum esse præter naturam animæ:* Quæ assertio est contra Senec. *epist. 102. ad Lucill.* Mendoz. *disp. 18 de an. separ. s. 15. §. 19.* Ruvio *tr. de an. separ. q. 6. &c.* Et patet: Quia Formæ cuivis naturale est esse in materia, eamque perficere, & compositum cum illa constituere: Ideoque etiam animæ hoc perpetuo convenit ut petat esse in materia & cum illa componere suum suppositum: Quicquid igitur hanc unionem & perfectionem ab anima intentam impedit, illud non potest esse animæ naturale & optabile: Affectiones enim privativæ, quales sunt, unio & separatio, æque naturales uni rei esse non possunt, neque optari ab illa: Atque status separatus impedit hanc unionem & perfectionem intentam ab anima: Ergo, *Clarius:* Anima in statu separata naturaliter habet propensionem ad corpus, & subinde petit unionem cum ea: E. non potest naturaliter appetere statum in quo tunc subsistit, separationis.

19. *Objicitur*: Præter naturam esse ea quæ non sunt à natura, sed aliunde: At anima non habet esse sunm separatum aliunde sed à seipsâ, eo quod est immortalis: Ergo Hinc *Ruvio cit. l.* Anima, inquit rationalis, suâ naturâ est immortalis & perpetua, Ergo debetur ei naturaliter perpetua conservatio in esse, sed perpetua conservatio includit utrumque statum: Ergo uterque est ei naturalis &c. *Respondeo:* Omnino animæ aliunde contingere statum separatum *neq; esse intentum à natura* ipsius, ideoque antecedens falsum esse: Anima enim eò quod suâ natura sit forma corporis non intendit separari ab illo, & quod immortalis sit, uniri perpetuò: Quia autem materiæ potentia & privatio Universalis, itemq; dispositiones non admittunt hanc unionem perpetuari, pro appetitu & intentione animæ, sed potius inclinant ad aliam novam

formam

formam introducendam, hinc *illi & non animæ* imputandum, quod separatim à corpore subsistat; Uti etiam anima ex sua natura forma est, & tamen forma immortalis, hinc quoque immortalitatem illam non volet petitque perpetuari in utroque statu, sive conjuncto sive separato, sed solum in conjuncto, Quod autem perpetuare non possit præter intentionem ipsius ex *Materiæ petulantia* & lascivia est, quæ appetens plurium formarum est, non aliter ac ϑήλυ ἄῤῥενος καὶ ἀιχὴν καλοῦ, ut loquitur Arist. *l.* 1. *Phys c.* 9. *t.* 80. si enim materiæ isthæc conditio non esset, ut aliquando satiata hac forma peteret aliam, nunquam separaretur anima, indeque seipsâ non efficeret separationem, non aliter, uti (ex vulgi fide) cæli forma est immortalis & *suâ naturâ* perpetuo, in materia, quia illa appetitus omnis expers ad extraneas formas.

20. Merito igitur æstimes fictitium & falsum, quod *separationem animæ à corpore liberam fuisse* antiquitus existimarunt, hoc modo ut è corpore ad lubitum possit exhalare, & post sese illi reunire; Cujus rei narrat fabulam Plinius *l.* 7. *Histor. nat. cap.* 52 *Reperimus*, inquit, *inter exempla, Hermotimi Clazemonij animam relicto corpore errare solitam, vagamq; è longinquo multa annunciare, quæ nisi à præsenti nosci non possent, corpore interim semianimi, donec cremato eo inimici, qui Cantharidæ vocabantur remeanti animæ veluti vaginam ademerint.* Non dissimile narrat exemplum de Presbytero quodam August. *l.* 14. *de Civit. Dei c.* 24. Falsa tamen hæc esse facile colligas inde, Quod separatio animæ à corpore sit privatio perfectionum animæ debitarum: At privationes (si non contra, saltem) præter naturam obtingunt, ideoque aliunde & ab alio principio oriuntur effective, non vero ab illo, cui debebantur oppositæ perfectiones: Faciunt enim illæ ad rei destructionem & imperfectionem: At nihil sui ipsius imperfectionem appetit, ideoque nec effective multo minus libere eam producit: Quî igitur separatio, quæ præter naturam animæ est, ejusq; perfectionum privatio, ab illa fieret effective & liberè?

21. Tertium attributum est *Propensio sive Appetitus ad corpus*: Ubi disquiram, *I. Competatne animæ separatæ aliquis appetitus ad corpus, II. Qualis sit, elicitune, an innatus, III. Quale sit corpus, anne indifferenter quodvis, an vero idem illud, quod informarat antè.*

VI. Obtento hoc, quod anima quævis appetat *suo* corpori reduniri: *Anne naturaliter futura sit resurrectio mortuorum*?

22. Circa primum, *Anne anima habeat appetitum ad corpus*, sententia Platonis fuit, animas in pœnam admissi sceleris addictas corporibus, quæ alias maxime refugerent; ita etiam *Scotus* putabat animam extra corpus locatam in illud usque adeo propensam non esse, eo quod non suo sed corporis bono unita sit isti, imo & cum damno, quod expedita, angelicæque similima intellectio, quæ alias futura esset, in corpore præpediatur. Falsa tamen hæc sunt, ideoque animæ extra corpus locatæ appetitum ad illud ne denegaveris: 1. Quia quodlibet appetit sui perfectionem: At perfectio animæ est ejus unio cum corpore: Appetit igitur illam: Probatur minor: Quia separatio animæ est privatio unionis: At privatio perfectionis debitæ est II. Anima natura sua est pars hominis & forma illius: At pars ordinem dicit & inclinationem ad suum totum quod constituat: Confer Conimbr. *de an. separ. disp. 2. art 3.* Quæ Scotus dicit pro se, facile hinc dissolves.

23. Secundo *Sitne appetitus ille innatus solum, an etiam elicitus*, dubitatur: Illud affirmat hoc vero negat Suar. *p 3. q 53 d. 44. s 7.* sed falso! Quia appetitus naturalis est naturæ inclinatio in bonum conveniens sine *prævio cognitionis & volitionis actu*: Elicitus autem contra nihil aliud est, quam qui prævia cognitione elicit *volitionis actum*, quo velit suum bonum: At quis neget animam *velle* istam unionem, velle, inquam voluntatis actu, eò quod habeat voluntatem in isto statu, & unio illi maxime conveniens sit?

24. Tertio: *An anima appetat suum corpus potius, an aliud sine discrimine*? Francisc. Suar. *d 5. Met. s. 6. num. 6.* Tolet. *lib 3. de an. pag. 18.* disputant animam esse indifferentem ad quamlibet dispositam materiam uti materia est indifferens ad quamlibet formam, & sic non petere certum corpus, quod informet, Unde consequens erit, *Animas, saltem appetitu innato, non magis appetere corpus hoc quam illud*: Quia tamen probabilius dixero, animas rationales certas numero dispositiones, ideoque & certa sibi corpora vendicare, nec informandi munus his absentibus obire posse, naturaliter, (de potentia enim supra naturali sermo non est)

erit

erit quoque dicendum, *Animam non indifferenter quodvis sed solum suum, quod ante informavit, corpus appetere*: Nam in quo corpore potest anima recipere perfectionem sui, h. e. cui potest uniri ad informandum illud & cum illo constituendum compositum, illud etiam appetit, Appetitus enim hic est ad unionem: Atqui non in quovis indiscriminatim, sed in suo sibi proprio corpore cui antea unitum fuit, potest recipere perfectionem sui, illique reuniri: Pendet enim illa in informatione ab hoc suo & non ab alio corpore: Hæc enim numero anima, ab his numero agentibus naturalibus, non nisi interventu & instrumentaria vi horum singularium accidentium potest in hac numero materiâ produci, eidêq; uniri, Et sic etiam non nisi hanc numero materiam potest informare, vide Fonsec. *lib.* 5. *Met cap.* 2. *q* 14. *s* 2. *&* 3. Conimbr. *lib* 1. *phys c.* 9. *q.* 11. *art.* 4. *ad quartum, & lib.* 1 *degener. & corr q* 13 *art* 2. Ergo & anima, non quodvis sine discrimine, sed suum corpus quod ante informavit, appetit.

25. Quartò Hinc ansa est decidendi quæsitum: *Sitne naturaliter possibilis mortuorum resurrectio?* videtur quod sic. 1. Quia anima in statu separato habet appetitum & innatum & elicitum ad hoc numero corpus, ut reduniatur illi, ut patescit per dicta: Ergo aliquando redunietur illi: *Ratio connexionis est*. Quia nullus appetitus, nulla propensio frustra concessa est, sed necesse est illam aliquando impleri: Deus enim & natura nihil faciunt frustra: II. Anima separata est in statu imperfectionis, sive *ratione essentiæ*, quæ partialis, ideoque exigit suam compartem, corpus nempe, cui juncta faciat compositum per se, sive *ratione virtutis*, quæ ratione materialium operationum poscit corpus sibi conjungi, sive *ratione finis*, quæ est constitutio totius, Animæ enim non sunt conditæ, ut essent spiritus completi se solis subsistentes sicut Angeli, sed ut ceu spiritus incompleti aliud, in quo subsisterent, constituerent: At imperfectio illa non potest esse perpetua, Ideoque necessario aliquando abolendâ, quod fiet reduunitione ejus ad corpus, in resurrectione mortuorum. III. Adde, quod resurrectionis istius vestigia reperire liceat in ipsa natura, non solum quod Medica testetur ars *abscissa & emortua membra sæpius restitui*, sed etiam, quod hujus rei exempla exhibeat & typos natura: de *Pelicano*, qui pullos occisos, sive à serpentibus, sive ut alij volunt suo ipsius rostro, super-

superfuso sanguine, quem rostro eliciat è saucíato pectore, vitæ restituit, ut meminit Augustin. *super Psalm. 107.* Ita de *Phœnice* memorabile est quod dicitur, eum, quod unicus existat in toto orbe, ita produci novum de veteri, ut vetus in eo quasi ex seipso videatur reviviscere; Nam, uti ajunt historiæ super hac re, natus annos 660. ut *Manilius*, vel 540. ut *Solinus*, vel 500. ut *Pomponius Mela* æstimat, casiâ, nardo, cinamomo, myrrha thurisque surculis constructo nido se superimponit, & excitato alis ad radium solis incendio, odoribus plenus superemoritur, post ex eodem cinere Phœnix alter quasi idem reviviscit! Alij ex percussi per rostrum pectoris cruore, primò ceu vermiculum nasci, post pullum, priori formâ penitus similem: Alij ex putrefacto parentis carne primo vermem, post avem renasci diversis sententiis referunt: Quo naturæ mirabili opere multi è Patribus adducti sunt ut probarent resurrectionem mortuorum possibilem esse. IV. Huc quoque faciunt Ethnicorum opiniones, qui redunitionem animæ cum corpore non solum possibilem sed & aliquando futuram putaverunt: Ita *Plato* putavit confecto magno anno (qui æstimatur 36000. millibus annorum, quo spatio putavit peragi cursum nonæ sphæræ ab occasu in ortum Ptolomæus) easdem, omnino causas eosdemque effectus redituros, ut v. g. idem ille Plato, qui Athenis docuit discipulos in Academia, & eadem civitas, iidem discipuli, eadem schola, cum aliis circumstantiis post prolixa temporum intervalla essent reditura: Ita & Platonici æstimabant animas post egressionem earundem ad corpora sæpius redire illisque reduniri: Puto tamen hæc omnia illius ponderis non esse, ut articulum fidei, qualis est mortuorum resurrectio, in articulũ rationis transforment, cum constet è sacris à Deo fieri unice, illud, quod fides nostra de hoc mysterio venditat: Dico igitur *Resurrectionem mortuorum, qua eadem numero anima, suo ipsius corpori, quod ante informavit, reduniatur, naturæ viribus non esse possibilem*: Quia, quod semel interiit, per vim naturæ idem omnino redire non potest. Ergo nec per vim naturæ animæ potest restitui corpus idem numero cum eo quod ante habuit eò quod corruptum sit, Connexio firma est: Antecedens habet Aristot.

l. 2. de

l. 2. de gen. & corr. cap. 11. t. 70. & probatur; 1. Quia ad unitatem effectus non solum requiritur unitas agentis & materiæ, & actionis, sed etiam unitas & continuatio temporis à quo agens in sua causalitate pendet; sicuti enim res pendet à loco tanquam mensura extrinseca ita quoque pendet à tempore: Uti itaque non potest eadem res de loco ad locum transire nisi per medium, ita etiam repugnat transire de tempore ad tempus nisi per medium: Ergo semel corruptum non poterit reproduci ab agente quia alias transiret de tempore ad tempus extremum sine medio, quia in illo, eò quod corruptum esset, non duraret. 2. Si eadem res potest reproduci ab agente postquam semel interiit, potiori jure poterit non producta sæpius produci, & sic in multis locis simul existere, quod tamen esse nequit, Confer. Colleg. Conimbr. *l. 2. de gen. & corr. c. 11. q. 1. art. 3.* Dico notanter *de naturæ viribus*, Quia alias certum est ex saniore ratione *potentia supra naturali & absoluta Dei* corruptum idem numero reproduci posse, & sic etiam *divinitus possibilem esse resurrectionem mortuorum*, Quia, (præterquam quod hic pars altera maneat superstes) sicut Deus res omnes ex nihilo creavit, poterit etiam easdem, licet in nihilum redactæ sint reproducere; Neque ulla potest hic monstrari repugnantia cur id fieri non possit: At quæ non repugnantiam habent ut fieri possint à Deo quoque fieri possunt. Et hic se sistit ratio: Unde nihilosecius *Meræ fidei est articulus Resurrectio mortui*; *Esse enim* aliquando *de facto futuram resurrectionem, & cum iis circumstantiis quas fides docet, nemo potest nosse ex ratione, sed ex solâ revelatione*, (quis enim norit Dei consilium & decretum his in reb9?) videt quidem ratio, obscure tamen, non esse impossibile illud Deo, quod dicitur de resurrectione, sed *quid Deus hic velit* facere, nemo hominum nosse potest, nisi revelatione fretus; Solvam & argumenta addita, supra, pro affirmativâ, ut constet Philosophiam & rationem hic nihil posse apodictice suadere:

26. *Ad Primum dico:* Appetitum quidem esse animæ separatæ ad corpus, sed tamen illum ideo frustra non esse, licet nunquam reduniretur illi, Quia ut non dicatur frustra esse, sufficit si aliquando fuerit deductus in actum quod factum est postquam in corpore producta eique unita est.

27. *Ad secundum dico*: 1. Imperfectionem esse aliam à violentiâ: Hanc non posse perpetuari, secus illam: Anima autem in statu violento non est cum separata est, uti visum. 2. Imperfectionem (privativam) non esse perpetuam si naturaliter sit regressus ad oppositam ejus perfectionem: Hoc enim ni sit, neque alias vi divina monstretur regressus, perpetua est, ideoque valet hic illud, quod à privatione ad habitum, ab imperfectione ad perfectionem non sit regressus per vim naturæ.

28. Ad tertium, *quod dicebatur de parte emortua, qua arte Medicâ possit restitui* dicendum: Aliam esse rationem viventis imperfecti quod animam habet divisibilem aliam perfecti & rationalis, quod indivisibilem habet & immortalē, Ibi pars divulsa nō reparabit eandem animæ portiunculam, quam amiserat, sed novam particulam animæ denuo eductam de potentia illius partialis materiæ: Hic vero potest *pars corrupta* si à toto vivente separetur, eandem viventis formam, quam amiserat, recuperare per dispositiones, non quidem numero easdem cum iis, quas ante habuerat, sed similes illis, idoneas tamen ad iteratam ejusdem formæ receptionem: Quæ receptio *in parte* quidem *impossibilis non est* per naturam, quia forma adhuc *superstes* in materiâ facile sese potest extendere ad partem ita unitam, uti etiam in nutritione v. g. sese porrigit ad materiam alimenti, quæ denuo toti accedit illique agglutinatur; *At in toto illam restitutionem* ejusdem numero corrupti per naturam *fieri impossibile est*, eò quod ibi in materia non amplius sit superstes forma, neq; per vim naturalem illi possit reduniri; unde hinc nihil concluditur.

29. *Ad exemplum de Pelecano dico*: Historiam illam fabulosam esse, Quia *ijdem numero pulli* non possunt reviviscere, eò quod semel corruptum non possit redire idem numero per ante dicta, neque *alij ejusdem speciei* possunt ex cadaveribus reproduci, eò quod animalia perfecta, qualia sunt pelecani, nō nisi virtutis seminariæ interventu, animam vitamque accipiant, neque ex tam intacta materia reproduci possint.

30. *Ad illud de Phœnice*, (posito quod res hæc fabulosa non sit, quod facile concesserō eo quod fidem hic faciant non solum antiqui

antiqui scriptores plurimi seu etiam recentiores navigationum observationes narrent visam esse hanc avem) respondeo 1. Modum illum, quo gigni perhiberur esse valde improbabilem: Sive enim ex corrupto aduſtoque ejus corpore nascatur, est tamen tota hæc generatio ex putri materia, sine interventu virtutis seminariæ, quæ necessario virtute corporum cælestium perficienda esset: At perfecta animantia, quæ inter & Phœnix est, talem generationis modum ex putri materia vi cælestium corporum elaborata & sine seminio, non admittunt: *Deinde*: Aliter nasci Phœnicem quam communis opinio est, inde colligas, quod multi affirment, plures aliquando visos esse Phœnices, Ita narrat Genebrard. *l. 3. Chronogr.* anno 800. Urbis conditæ allatum ex Ægypto Phœnicem in urbem, & in comitiis propositum, At si unus fuisset, nec nisi ex demortui cineribus, aut morituri sanguine nova soboles repullulasset, tota species Phœnicum perijsset. 2. Modum licet illum generationis concesseris nil tamen inde pro resurrectione: Neque n. hic idem numero Phœnix qui ante, sed solum speciei similis resurgeret: At in resurrectione idem numero corruptum restituendum est. Platonicum dogma, de restitutione eorundem omnino corporum, temporis, loci, aliarumque circumstantiarum, post evolutum magni anni spatium, corruit seipso, nec indiget refutante.

31. Quartum attributum ἀνευρέτον, est *Præsentia in Ubi*: De qua notandū *I. Eam nonesse physicam aut circumscriptivā*, eo quod hæc dicat *extensionem partium* in ordine ad spatium, & divisionem illarum ad distincta spatia, ita ut una pars non in alia sit, sed extra aliam, indeque pars locati poscat partem loci; At anima non habet partes extensas. *II. Esse definitivam*, uti suum sibi ipsi designet & definiat Ubi, & tota possit esse in toto spatio, totaque simul in quavis particula illius. Unde porro constat: *Eam non requirere certum magnitudinis terminum versus minimum in Ubi*; Potest enim se ad puncti ἀυδενότητα contrahere, propter spiritualitatem suam: Rursum: *Requirere eam terminum intrinsecum magnitudinis versus maximum in Ubi*, ita ut habeat certum & definitum spatium in quo existat, & ultra quod existere non possit, propter finitatem suam, forte non majus, quam est terminus humanæ speciei, Quia cum videas hominem nullis positis impedimentis & abundi

abundanti alimento non excrescere sine termino, signum est animam poscere hoc spatium & non majus.

32. Discrimen etiam potest notari, *quod est inter præsentiam animæ in statu conjuncto & separato*: Hic est definitiva, quæ possit sese ad punctum quasi cõtrahere, Ibi vero nõ (nisi potentiâ) quia ita est in omnibus corporis partibus, ut necessario in illis simul existat, neque sese contrahere possit: Hic est libera, quæ modo hoc modo aliud sibi designet & definiat Ubi: Ibi vero sine libertate eo quod necessario ad hoc Ubi corporis sese determinet, non vero ad aliud, quod est Extra illud &c. Pluscula alia de animarum attributis omitto; Gloria Deo.

CORONIS

De comparatione Animarum sive inter se sive cum Angelis?

I. An Animæ inter se comparatæ omnes naturæ dignitate pares sint? *Affirm. Quia si essent inæqualis perfectionis posteriores animæ semper degenerarent à prioribus, quæ producerent eas; Ideoq; non essent illis* omnino *similes in essentiâ, quod repugnat generationi* univocæ. *Connexio patet: Quia animæ productæ non possent esse majoris perfectionis quã producentes, eo quod in effectu non possit esse perfectio major quam erat in causâ: Essent itaq; minoris perfectionis ideoq; nec similes omnino in essentia, eo quod illa perfectione carerent genitæ animæ ratione cujus dicerentur inæquales generanti: Et sic valde in perfectione distarent animæ posterorum ab animis majorum, anima v. g. infantis recens nati ab animâ Adami, quod tamen dici non potest.*

II. An animæ comparatæ cum Angelis sint naturæ dignitate pares cum iis? *Alij hic agnoscunt æqualẽ perfectionem, quæ opinio* Origeni *tribuitur à Thoma* p. 1. q. 75. art. 7. 2. *Alij in anima majorem conlocant, ut* Gregor. Venet. *apud Colleg. Conimbr.* de an. separ. d 1. art. 7. 3. *Alij minorem, ut Augustl.* 11. de Civ. Dei c. 15. *& plerique: Et hoc asseritur inde: Quia Deus est mensura perfectionis rerum omnium, h. m. ut quo magis res in suo esse assimilatur Deo, eo sit perfectior, quo minus, eo imperfectior: At Angeli magis assimilantur Deo in suo esse; Angeli n. (præter esse substantiale & spirituale quod & habẽt animæ) dicunt esse completũ & prorsus independens ab alio sustentante, & in illo cum Deo conveniunt: Animæ vero dicunt esse incompletum & dependens ab alio, ideoq; hac ratione à Deo recedunt. Ergo.*

COLLEGII PNEUMATICI
DISPUTATIO DUODECIMA
ET ULTIMA

DE VITA ANIMÆ SEPARATÆ, & in specie DE INTELLECTU ET VOLUNTATE EJUSDEM,

Cujus positiones

Favente ter maximi numinis gratia
&
Secundante Amplissimo Philosophorum Senatu
in Inclita Rostochiensi Universitate,

Sub Præsidio

STEPHANI CLOTZ
Philosophiæ Magistri,

Defensum ibit horis locoq; solitis ad diem
7. Augusti,

M. CHRISTOPHORUS SCHELIUS
Rostochiensis Megapolitanus.

Phocylides.
Ψυχὴ δὲ ἀθάνατος καὶ ἄγηρος ζῇ διὰ παντός.

ROSTOCHII
Typis Augustini Ferberi, Anno 1629.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0369
DFG

Σωῖ Θεῷ.

Disputatio Pneumatica Duodecima & ultima,

DE VITA & ACTIBVS VITALIBUS ANIMÆ SEPARATÆ.

RESPONDENTE,

M. CHRISTOPHORO SCHELIO ROSTOCHIENSI.

THESIS I.

TAndem in portum se collocabit præsens de Spiritibus tractatio, modo pauxillum velificata sit cognitioni, quam nunc *de vita animæ separatæ* instituit; Ita scilicet mens desinet in seipsâ, & in vitâ, ardoremq; sibi concitabit, ejus, quam perpetuis suspiriis desiderat, perennis beatæq; vitæ: Absolvet autem se dissertatio hæc, modo viderit I. *An vivat anima in statu separato?* II. *Qua vita vivat*, Inde III. manabit *Distinctio* ejusdem.

2. I. *Animam vivere in statu separato* illis forte prisco seculo non erat probabile, qui insano figmento delirabant, eam postquam corpore suo abjurasset, bibere protinus è Letheo fonte, qui non solum obliteraret res omnes ante actas, sed etiam ab omni operatione vitali prorsus eximeret, veterno inducto tam profundo,

ut non restituatur in vitam nisi tonitru ingenti eam excitarit Deus & remeare jusserit ad corpus: Hæc tamen deliramenta meritò flocci pendas, nec, quod meruit, vitam deroges animæ separatæ: 1. Quia omnia sunt propter operationem tanquam finem sui esse, ex Arist. *lib. 2. de Cœlo, cap. 3. t. 17.* & τῶ εἶναι ἀκολεθᾶ τὸ ἐνεργεῖν, juxta *Plutarch.* Anima igitur, separata licet sit, operabitur nihilo-secius, præcipuè cum tam nobilis sit essentia, quæ tota ferme sit activa: At quænam erit operatio istius, nisi sit vitalis? 2. Quia aliàs anima in illo statu non *posset* esse beata: Beatitudo enim vitam & vitales actiones requirit, & in iis formaliter consistit: Quis verò inter homines sanæ mentis beatitudinem animæ derogabit? Quis igitur & vitam? 3. Quia anima essentia spiritualis est, cujus esse non potest esse nisi sit vivens, uti aliàs dictum *disp. 2. Pneym. th. 68. & alibi.*

3. II. Dubium magis: *Quænam sit vita ista animæ separatæ?* Hanc rem cognosces è vita hominis, quæ te ducet pauxillum ad scopum: Vita, (quæ formaliter nihil est aliud, quàm potentia sese movendi actuandive ab intrinseco) in homine duplici discrimine insignitur: *Alia enim spiritualis est, alia materialis*: Hæc est potentia ab anima in corpore producta, ad eliciendum actus vitales materiales per organon corporeum: Indeq; requirit tria hæc: 1. Principium effectivum sui, quod anima. 2. Principium instrumentale & organicon, quod juvet ad actus, quod corpus est. 3. Subjectum recipiens, quod itidem corpus. Et ita vivit anima per potentias vegetativas, sensitivas, & locomotivas corporis; *Illa* est potentia, quæ elicit actus vitales spirituales, sine concursu & commercio organi corporei, indeq; nec recipitur in corpore, ut subjecto, sed manet in anima: Et ita vivit anima per Intellectum & Voluntatem. Hoc observato dicendum *I. Animam separatam non exercere actus vitales materiales*: Quia illi supponunt unionem animæ & corporis, nec nisi illa salvâ fieri possunt, eò quod fiant ab animâ effectivè, à corpore instrumentaliter & recipiantur in illo subjectivè: *II. Animam separatam non habere, nec retinere potentias vitales materiales*, vegetativam V. g. sensitivam & locomotivam corporis, *formaliter & quoad Entitates ipsarum*: 1. Quia anima, à qua effectivè oriuntur non producit eas, nisi suppositis

partibus organicis, in quibus recipiantur. Indeq; 2. perit subjectum illarum, quod corpus est & organon corporeum. At accidentia, destructo subjecto, à quo suum habent sustentaculum, interire est indubium. Restat igitur *III. Animam separatam vivere vitam spiritualem*: Hæc enim, ideò, quia spiritualis est, fit sine concursu organi, ideoq; non perit in anima per separationem factam ab illo.

4. Est autem *vita hæc attributum animæ separatæ* ἐνεργητικὸν, *quo seipsam per actus vitales intrinsecos cognitionis, volitionis, locutionis, & motionis actuat & perficit.* Innuo hic *I. Principium Vitale*, voce attributi ἐνεργητικὸν, (quod vulgò dicitur vita Actus primi,) *II. Actus Vitales*, (qui vulgò dicti vita actus secundi,) per nomina cognitionis, volitionis, &c.

5. De principio vitali sic statuo: *I. Non est hic ponenda Potentia quædam sive Qualitas accidentalis realiter diversa ab essentia animæ, quæ vel sit principium proximum & immediatum per quod elicit anima actus vitales*, uti volunt pleriq; Thomistarum, *vel conditio prærequisita ab anima ad agendum*, uti asserit Zabarell. *lib. de facult. an. c. 4.* aliiq; sed ipsa anima est principium adæquatum actuum vitalium spiritualium: Assertio hæc exactius contra vulgatum hunc censum delibanda in Physicis: Nunc in transcursu probatur, I. Quia nulla necessitas neq; fundamentum ullum est, quæ cogat ut distinguas vitam istam spiritualem tanquam accidens ab anima: At sine necessitate

Entia Philosophus multiplicanda negat.

II. In ipsa essentia animæ reperias omnes formalitates actuum vitalium eminenter, ut sine alio con-principio produci possint ab illa: Non igitur accidens aliquod, quod sit principium proximũ juvans animam hic fingendum, De antecedente hoc me vidi in simili *disp. 9. Pneumat. th 5.* unde si lubet, recognosce.

6. Observandum tamen: *Aliam longe esse rationem vitæ materialis & spiritualis*: Hæc, ut dixi, non requirit potentiam mediam accidentalem diversam ab anima: Illa verò ab anima perfici non potest nisi mediis potentiis accidentalibus materialibus, non adæquate ab anima, sed à generante productis: Patet autem; Quia anima rationalis (supposito quod una sit in homine, anima)

non verò plures) se solâ & sine addito illius potentiæ non habet omnes formalitates in actu vitali materiali repertas, ideoq; neq; se solâ est sufficiens ad eliciendum istas, sed exigit necessario aliud sibi superadditum con-principium accidentale: Actus enim vitalis materialis dicit in sese *esse materiale & dependens ab organo corporeo*, quod illi largiri anima se sola non potest, quippe quæ hoc modo est independens, indeq; exigit aliam potentiam, quæ quia dependens est ab orgauo, actum similiter dependentem elicere potest. Sed hæc obiter è Physica, plusculum ibi, si Deus volet, degustanda.

7. Statuo *II. Est nihilosecius vita attributum ratione ratiocinata diversum ab anima*: Attributum enim dixi; Non itaq; prorsus idem poterit esse cum essentia animæ, Ea enim quæ non re solum sed & ratione eadem sunt cum iis quibus tribuuntur, minus rectè dices attributa, sed rectius synonima: uti V. g. hac ratione *res & aliquid* non attributa sed synonima Entis æstimantur à Metaphysico: Atqui vita animæ non est realiter diversa ab ipsa: Per rationem itaq; eamq; (ut vulgò, sed barbarè loquuntur) ratiocinatam; Et hoc inde est manifestum. Quod *ex effectibus vitalibus re diversis & respectibus distinctis* evehatur etiam ratio ad concipiendum in anima distincta illorum principia, distinctasq; formalitates, quæ tamen à parte rei non erunt distincta ab illa: Ita procedit in simili, quando V. g. *unum, verum, bonum*, dispescit ab Ente, & concipit, tanquam attributa ejus: Item, quando *misericordiam, justitiam, sapientiam*, distinguit à Deo, & nominat ipsius attributa: Quia scilicet occasionem aliquam in re vel ab effectibus vel à negationibus diversis, vel aliunde sumptam reperit, dispescere, solet *ratio* in plura, quod *in sese est unum & simplex*. Ita & hic una simpliciter res est, quæ anima, & quæ vita sive principium proximum actuum vitalium dicitur: Quia tamen actus isti in se non sunt simpliciter unum quid, sed plura, occasionem hinc habet ratio, principia plura in anima concipiendi, eaq; dispescendi ab illâ, quæ tamen in re aliàs non distinguuntur.

8. *II. Actus vitales* non sunt iidem prorsus cum essentia animæ, indeq; illa non vivit per essentiam sine efficientia alicujus actus, uti V. g. Deus, qui ideò dicitur purissimus actus, & simplicissi-

ciſſimum vivens, quod eſſentia ſui non egeat alio *extrinſeco* actuante, ſed *ſeipsâ* & ſolâ ſit actus, ſeipsâ & ſolâ, ſine actu vitali, ſit vitalis actus; In anima autem actus iſti ſunt accidentia per veram efficientiam manantia ab eſſentia animæ, & recepta in illa: Anima enim hoc modo ſimpliciſſimo non vivit, ſed plures in ſe vitales actus elicit, indeq; illi non ſunt ipſum eſſe animæ, ſed ἕτερόν τι in iſta, accidens nempe productum ab illa, & receptum in illa.

9. III. *Vita animæ ſeparatæ* dividitur *in Intellectum & Voluntatem*: Quæ diviſio non I. eſt *vel generis* in diverſas *ſpecies*, vel *ſubjecti* in re diſtincta *accidentia*: Eo quod Intellectus & Voluntas, uti conſiderantur in actu primo, realiter identificantur cum eſſentia animæ, quia principium vitale, quod nihil aliud eſt, quàm Intellectus & Voluntas, realiter idem eſſe cum illa modo dixi: Indeq; & intellectus & Voluntas in anima inter ſe realiter non differunt, & ſic neq; diverſæ unius generis ſpecies, neq; diverſa unius ſubjecti accidentia eſſe poſſunt: Quæ enim ſunt eadem uni tertio, ſunt & eadem inter ſeſe: Sed II. *unius rei in ratione diverſos & inadæquatos conceptus*; Videt enim ratio noſtra in animâ eſſe diſtinctos actus vitales, alium cognitionis, alium volitionis, indeque, prout ſolet pro re natâ, occaſionem ſumit, ipſam quoq; eſſentiam vitæ, diverſis & inadæquatis conceptibus apprehendendi, & quaſi in plures diſtribuendi, & ſic eam, prout eſt principium intellectionis dicit intellectum, prout volitionis, voluntatem, cum tamen adæquatum & unicum à parte rei ſit principium omnium actuum vitalium, anima nempe noſtra, quam ratio noſtra in plura principia conceptibus ſuis inadæquatis diſpertitur. Vide plura *diſp. 9. Pnevmat. th. 7. & 8.* & huc refer ſi libet.

10. De Intellectu primum ago, ubi inprimis certum, Quod *vũ illa intellectiva comitetur animam ſeparatam*. Eſt enim 1. illa à materiâ ſimpliciter independens, eò quod inorganica eſt, neque cognoſcit per illam, Ergo per ſeparationem à materia deſtrui non poteſt. 2. Vis iſta intellectiva non eſt realiter diſtincta ab eſſentia animæ. E. perpetuò comitabitur illam, Quæ enim realiter eadem ſunt ſeparari non poſſunt. Adde 3. animam extra corpus otioſam non eſſe, ideoq; operari: At non eſt magis intimum & proximum animæ, quam operari per intellectum: Intellectus igitur erit perpetuo in illa.

11. Definitionem ejus ita accipias: *Intellectus est attributum animæ, quo seipsam, & suas affectiones, actionesq; & Deum creatorem, Angelos, animas, aliaq; objecta, prout admittit sphæra virtutis ipsius, sive per essentiam sive per species intelligibiles cognoscit.* Innuo hic I. *Principium intelligens.* II. *Actum.* III. *Objectum.* IV. *Modum intelligendi.*

12. I. *Principium intelligens* potest esse triplex: 1. *Intellectus.* 2. *Habitus*, facilitans intellectum ad prompte & expedite agendū. 3. *Species intelligibilis*, concurrens ex parte objecti & deducens in actum potentiam intellectivam.

13. I. *Intellectus* non est 1. *accidens aut qualitas re diversa ab essentia animæ:* eo quod anima se sola sufficienter possit actū intelligendi attingere sine addito accidentis, continet enim in se eminenter sive virtualiter actum istum, ideoq; etiam illum potest pro lubitu producere, *Repete th. 5.* Anima itaque & vis intellectiva ejusdem à parte rei coincidunt: Est tamen *attributum animæ ratione distinctum ab illa*: Ratio enim, quod essentiam animæ unico conceptu adæquate comprehendere non possit, dispertitur eam in plures, indeq; eam *modo dicit animam* prout absolutè concipitur & in se, *modo intellectum*, prout dicit principium intelligendi: Alia igitur formalitas est animæ alia intellectus, ideoq; ut ratione distincta apprehenduntur.

14. II. *Habitus esse in intellectu animæ separatæ non est dubium;* Nam 1. Habitus superaddūtur potentiis, quando vel non sunt satis propensæ ad actum propter propensionem quam habent ad aliud, vel non sunt satis expeditæ ad agendum: At utrumque est in anima separata: Neq; enim illæ ita *ex sese & suâ naturâ* sunt propensæ in actum, quin possint fieri propensiores per habitum, neq; ita *suâ naturâ* sunt expeditæ, quin fieri possint expeditiores: Fiunt autem in illo statu expeditiores & propensiores ad actus, quam erant in hac vita: Fient igitur expeditiores per habitus. *Porrò 2.* Animæ separatæ sunt scientes rerum & peritæ: Ista autem scientia aut erit realiter eadem cum essentiis ipsarum, aut affectio propria earundem, aut habitus superadditus: Non primum neq; secundum esse potest: Quia scientia inest animis mutabiliter: Poterant enim aliquando esse non scientes, neq; tam perfectè scien-

tes

tes: At quod ita ineſt non poteſt eſſe vel eſſentia vel affectio propria: Habitus itaque erit ſuperadditus. Quæris porrò: *Annè ergò & in altera vitâ actuum exercitio crebro ſint intendendi habitus, uti V. g. hic videas eos ſubinde augeri per crebram repetitionem actuum, indeq; ſemper intenſiores fieri?* Reſp. Intenſionem damus animæ ſeparatæ in habitibus, quia perficietur in illis, ſed eam quæ certum ſibi vendicet terminum: Intenſio enim certum & ſua natura definitum terminum poſcit, ultra quem non excurrit: Unde ridiculum eſt, quod aſſerit *Victoria* animam ſeparatam *immodica habitus intenſione dementem fieri poſſe, quia ad eam habitus intenſionem venire poſſit, quæ animam dejiciat de ſtatu ſuo*: Nam (præterquam quod inſania ſit læſio potentiæ cognoſcētis orta ex *male diſpoſito organo*, quod ibi anima non habet) intenſio fit ad bonum naturæ, ideoq; certum terminum habet, & eouſque progreditur, quouſq; naturæ commodum admittit.

15. Quæritur; *Sumatne ſecum habitus intellectivos anima ſeparata*, quos habuit in hac vita, dum adhuc unita erat corpori? Reſp. *I. Habitus quidam per poſitionem actuum contrariorum* (quæ cauſa eſt corruptionis habituum) *deſtruentur*: Ita in beatis deponentur omnes habitus erroris, quia ſuccedent actus habitusq; cognitionis certæ, itemq; non manebit opinio, quia erit ſcientia, non vitium ullum, quia virtus omnis: E. contra in damnatis non manebunt habitus honeſti, ſi qui fuerunt in hac vitâ, quia ſuccedent habitus vitioſiſſimi: *II. Habitus quidam manebunt, perficientur tamen quoad eſſe & quoad uſum*, illi ſc. qui non expellentur per contrarium, neq; deficient ex defectu objecti: Et ita habitus omnes imperfecti ſeſe habebunt, ſcientiæ V. g. Theologiæ, Philoſophiæ, &c. qui non manebunt ſolum in altera vita, ſed etiam erunt inibi longè perfectiores: Unde *merito literis incumbendum eſſet in hac vita, quia fructus & uſus earum manebunt in alterâ, quibus actibus ignari carebunt*, uti alicubi dicit *Cajetan.*

16. *III. Species intelligibiles* requiri, quæ intellectum animæ ſeparatæ interdum (ſi objectum ſit diſtans) deducant in actum eſt indubium: Nam ſi anima non intelligeret per ſpecies illi datas ex parte objecti diſtantis, non poſſet diſtans objectum cognoſcere: At hoc eſt abſurdum: Nemo enim dicet intellectum ani-

animæ tam cæcum esse, ut nonnisi intimè sibi præsentia videre possit. Ergò & prius: *Connexio est evidens*: Quia ut fiat intellectio objecti cognoscibilis requiritur unio cogniti & cognoscentis: At objectum distans non potest uniri cognoscenti secundum essentiam suam, eo quod absens sit: Ergo necessum est vel hic medias esse species, quæ sese loco objecti uniant intellectui, vel nullam fieri cognitionem, quod absurdum esse modo dixi.

17. Addendum tamen: *Animam separatam quandoq; intelligere sine speciebus, ea sc. objecta*, quæ non distant à potentiâ cognoscente, sed immediatè & seipsis unita sunt illi, & actu sunt intelligibilia: Species enim objectorum duas ob causas natura concessit: I. *Ut distantis objecti loco sese uniant cognoscenti*: Cognitum n. & cognoscens unita esse oportet si actus cognitionis fieri debeat: Eo quod cognitum induat rationem agentis, quod specificet & in actum deducat cognoscens: Hoc vero sit loco patientis: Agens autem & patiens oporteat esse unita: Ideoq; illa quæ semper *per substantiam* suam non possunt esse præsentia cognoscenti, necessario vicarias sui, species nempe, substituunt, quæ sese loco objecti ingerant potentiæ cognoscenti & repræsentent illud: II. *Ut objectum potentiâ intelligibile faciant actu tale*: Et ideò rerum *materialium*, unitarum licet per phantasmata, species nihilominus fabricat intellectus agens, per quas deinceps & commodè easpercipiat intellectus patiens: Materialia itaq; ut cognoscantur ab intellectu hac ratione egent speciebus: Ea igitur quæ per substantiam suam possunt esse præsentia animæ separatæ, ideoq; indistantia ab illa, & alias actu intelligibilia & spiritualia sunt sine specieb' cognosci possunt.

18. Hinc specialius: I. *Anima sese & suas affectiones, Deum item, & alias creaturas spirituales à se indistantes, non intelligit per species, sed per substantiam cogniti*: Patet: Quia hic nulla est necessitas species intelligibiles ponendi: Objecta enim hæc omnia actu sunt intelligibilia, quia sunt spiritualia, & sunt ab animâ cognoscente indistantia: E. non per species sed per suas substantias intelliguntur.

19. II. *Anima creaturas spirituales à se distantes, itemq; res materiales intelligit per species*: Illæ enim sunt distantes à cognoscente,

scente, hæ verò (non actu sed solùm) potestate intelligibiles: Hic igitur speciebus opus est.

20. *Quomodo autem species illas acquirat anima* dubitari potest: Dicendum puto: I. *Species aliquas ab animâ separata ex hac vitâ asportari*, ideoq; per illas commodè intelligi posse ea, quæ hic intellecta habuit: Patet: Quia accidentia non intereunt nisi deficiat vel subjectum, vel conservans, vel ponatur contrarium ejusdem: Ita V. g. deficit primo modo visiva potentia in animâ separata, quia deficit subjectum ejus, quod oculus: Ita secundo modo deficit calor in aqua, quando removetur conservans ignis: Ita tertio modo deficit in pariete albedo, si substituas nigredinem: At species intelligibiles neutro modo perire possunt: Subjectum enim & conservans earum, quod anima est, perpetuo manet, neq; contrarium admittunt. Et sic nec pereunt per separationem animæ à corpore.

21. Hinc patet: *Animam separatam in illo statu recordari quoque rerum hic actarum*: Asportat enim secum species rerum intelligibilium: Indeq; minus commodè differit Julius Pacius *l. 3. de an. cap. 6.* animas post mortem nullius rei recordari, unde & à Poetis fingantur bibere è Letheo fonte, h. e. oblivionis, cit. Clar. Dn. Scheibler. *tr. de an. p. 3. disp. 3. th. 22.* Nec illi, qui sequuntur Thomæ doctrinam, quam habet *l. 2. contr. gent. cap. 74.* rectè asscribunt *soli sensitivæ facultati* memoriam indeq; animæ separatæ quæ illam non habet, memoriam derogant: *Ad memoriam*, inquiunt, *requiritur perceptio determinatæ differentiæ temporis præteriti. Ea verò perceptio non est abjuncta à conditionibus singularibus, indeq; non pertinet ad intellectum, quia illa non percipit singularia, sed ad sensum. E. & non intellectus, sed sensus solum erit memoria: Et quod porrò consequens, non habet anima in statu separato memoriam, sed privata erit illa, quia caret sensu:* Sed omnia hæc supponunt falsam hypothesin: Nam I. in hoc vitæ statu intellectus quoq; haurit species rerum singularium, & cognoscit illas, quod monstratur suo loco contra adversantes, Ergò & deferet illas ex hac vita: E. & memoriam habebit rerum anteactarum ut ante actarum cum determinata ista temporis præteriti differentia. II. Quid aliud est memoria quam facultas conservandi species, & (quod pleriq; ad-

dunt) utens iisdem indeq; deveniens in cognitionem rei ante cognitæ: At in anima separata est facultas conservandi species, per ante dicta, species enim intelligibiles in intellectu recipiuntur, & conservantur in illo, E. etiam est memoria intellectiva. Et sic etiam quia anima separata retinet intellectum, hanc quoq; servabit.

22. Addo tamen & hoc: *Animæ in separationis statu non convenire reminiscentiam*: Hæc enim est rei ante cognitæ, per oblivionem tamen deperditæ, ex alius rei successiva & discursiva cognitione, cognitio: Supponit itaq; illa *oblivionem*: At oblivio fit vel per sopitas, extinctas, aut obliteratas species intelligibiles; Hæ autem sopiri non possunt nisi ex imperfectione organi corporei, cujus crassitudo & defluxus aliique affectus materiales in causa sunt, uti rerum imagines obliterentur, evanescant, aut sopitæ jaceant, ne memorandi actus prodire possint: At anima in illo statu organis corporeis destituta est, ideoq; & species hoc modo obliterari & evanescere non possunt.

23. Dico II. *Species quasdam rerum intelligibilium, produci in anima separata*, earum scilicet, quas in statu conjuncto non cognovit, uti sunt res præcipuè immateriales, Angeli V. g. & animæ: Harum enim species non asportat secum ex hac vitâ, quia hic illas non cognovit: Producentur igitur de novo in alterâ.

24. III. De causa productrice harum specierum dico: *Improbabile esse, quod more proprietatum fluant ab ipsa anima quam primum separata est à corpore, non verò imprimantur objectis*, contra quam dicit Fonseca *lib. 2. Metaph. cap. 1. q. 2. sect. 7. ad 6.* Probatur: 1. Quia sic substantiæ repræsentatæ essent eminenter in anima, si exemplaria & imagines earum fluerent ab ea: Qui enim quæso anima *ex sese* naturaliter posset producere rei imaginem, quam neq; formaliter contineret, neque eminenter? 2. Ad cognoscens non pertinet producere species cogniti, sed ad objectum cognitū: Hoc enim dat cognitioni formalitatem: At formalitas respondet principio activo, Indeq; & species producuntur ab objecto, quia se tenent vice illius: Ergò & anima non potest esse principium activum specierum, sed solum passivum quod recipiat illas.

25. IV. Dico: Probabilius esse, *quod species acquisitæ rerum spiritualium sint productæ ab objectis ipsis*: Hæc enim sunt Entia spiritua-

ritualia, cur non igitur & sui imaginem spiritualem possent ingê-
rere cognoscenti, si distent ab illo, neq; enim hic ulla ratio est,
cur improportionatus sit spiritus creatus ad producendam sui
imaginem spiritualem in potentia cognoscente: Unde non ap-
probo penitus, quod ajunt Eustach. à Sanct. Paul. *tr. ph. de an. se-
parat.* Conimbr. *tr. eod. p. 626.* Mendoz. *d. 18. §. 20.* species omnes
esse à Deo animis infusas.

26. V. Dico: Et hoc probabile esse: *Quod species rerum mate-
rialium à Deo sint infusæ*: Ratio hujus est: Quia ad causam primam
pertinet supplere defectus causarum secundarum, ut, quod hæ
non possunt, suppleat illa: At causæ secundæ non possunt species
istas producere: Si enim ulla esset, quæ produceret, vel objectum
esset cognitum vel cognoscens anima: At *non hæc*: Quia animæ
munus non est species producere, ut modo dictum th. 24. *Neq;
illud*: Quia objectum materiale non potest naturaliter ex sese
producere species spirituales, in anima receptas: Res enim cor-
porea naturâ suâ est improportionata ad elicendum accidens spi-
rituale: Ergo species istæ produci debent à causa prima, quæ
Deus est.

27. II. *Actus* ex hisce principiis ortus *dicitur Intellectio* sive
Cognitio: Et hanc animæ separatæ non derogabis: Nam I. est
principium sufficiens requisitum ex parte animæ, nempe intelle-
ctus, & principium concurrens ex parte objecti, objectum sc.
ipsum vel species loco illius: Ergò & sequitur aliquando intelle-
ctio. II. Quis torpentes adeò credat & otiosas per tot seeula ani-
mas istas, gliriumq; instar immobiles? Operationem igitur istis
vendicabis intellectivam. III. Quæ causa erit quod anima in
corpore quidem intelligere potis, extra illud verò posita ad intel-
ligendum impotens, non aliter ac rusticus in agro quævis moliri
potest, quæ se concernunt, extra illum omnino nihil? At causam
non assignabis: Neq; enim intellectio fit per consortium organi
corporei, sed potius sine illo solius animæ beneficio: Cur igitur
& in statu separato perfici non possit? IV. Animam in statu se-
parato moveri certum est, & inferius confirmabitur, At motio
illa non potest esse sine prævia cognitione. V. Quæ esset animæ fe-
licitas, si actus ipsi intellectionis abesset? Res clara!

28. *Est autem Actus hic accidens* (de prædicamento actionis) *realiter diversum ab anima, & per veram efficientiam productum ab illa & receptum in illa.* Ideoq; 1. causa efficiens & subjectum recipiens hic coincidunt, & 2. diversitas patet inter intellectionem Dei & creaturarum: Ille enim intelligit per essentiam, non verò per efficientiam alicujus accidentalis actus: Et sic intelligendi vis, intellectio, essentia Dei in Deo prorsus idem sunt, uti recognosces *ex disp. 7. Pnevmat.* Anima verò (& aliæ res creatæ intelligentes) efficiunt in sese actus accidentales, qui dicuntur cognitiones beneficio quorum intelligant.

29. III. Objectum Intellectus I. aliud est *formale*, & est ratio sub Qua cognoscit aliquid, diciturq; *Intelligibile*, aliud *Materiale*, & est res Intellecta. II. Aliud est *naturale*, quod sine speciali revelatione suâ natura potest sufficienter cognoscere, aliud *revelatum*, quod habet ex peculiari revelatione: De hoc ex Philosophia differere nefas esto, ex revelatione potius Theologica illius cognitio habenda: Illud igitur hic inquirendum, & quidem non sub ratione formali Intelligibilis, sed sub ratione Materiali Entis.

30. Sit igitur theor. I. Objectum intellectus animæ est sua ipsius essentia, actus & passiones aliæ: Patet: Quia hæc omnia non excedunt capacitatem ejus, cum sint actu intelligibilia & sufficienter unita ipsi: Essentia enim animæ, actusq; & affectiones ejus spirituales sunt, indeq; & actu intelligibiles ab illa: *Deinde:* Essentia cognita facilè cognosces & affectiones ejus: Eo quod illa sit causa harum proxima & necessaria, ideoq; medium quo illæ cognoscuntur, vide Arist. *l. 1. posterior. c. 23.*

31. Theor. II. *Objectum intellectus animæ separatæ est Deus:* Assertum hoc indubium est: Patet autem: Quia anima in illo statu quoq; novit se *Ens productum esse*, indeq; devehitur in causam primam sui productricem quæ Deus.

32. Theor. III. *Objectum intellectus animæ separatæ sunt Angeli & animæ separatæ aliæ:* De Angelis patet: Quia in una degunt civitate, mutuo igitur sese cognoscent Angeli & animæ, nisi velis in isto cœtu fingere animas instar bruti alicujus aut cœci animalis: quod, ubi degat, nesciat. *Dein:* Modus essendi operandi-

tandiq; Angelorum non ita eminet supra modũ essendi operãdiq; animæ separatæ, quin illos saltem indistinctè possit per naturam suam cognoscere: Quod n. specie sit inferior nonobest, alioqui enim si qui essent specie inferiores Angeli non possent naturaliter cognoscere superiores, quod tamen est incredibile: *De animis constat*: Quia in illis debito modo intelligenti animæ applicatis nihil est quod improportionatum sit illi: eò quod spirituales sint, adeoq; & actu intelligibiles, neq; aliâs natura sua inter sese inæquales sunt & eminentiores ad invicem, sed omnes, quoad rationes essentiales æque perfectæ: Ergò ab anima naturaliter cognosci possunt.

33. Theor. IV. *Objectum intellectus animæ separatæ sunt res sensibiles, illæ, quas naturali cognitionis sphæra coercitas habet, ideoq; debito modo approximatas sibi & unitas*: Patet: Quia elevata est in perfectione essendi supra illas, adeoq; etiam cognoscet illas: Eo quod major sit cognoscendi efficacia, quo major est essendi modus. Et 2. in hoc statu illas percipit anima intelligens solius intellectus beneficio: Cur igitur non & in illo? Addo 3. Angelos sensibilia cognoscere, Ergo & animas: Eo quod hic nulla sit, quoad præsens, disparitas.

34. Theor. V. *Objectum intellectus animæ separatæ sunt res sensibiles non solum universales sed & singulares*: Anima, inquam, separata non solum natura novit animal (in communi) sed etiam nosse potest hoc animal, non solum hominem, sed & hunc hominem: *De universalibus non est dubium*: Illa enim intellectus novit, in hoc statu. Cur igitur non & in illo, præcipuè quod intellectio (licet ibi præter naturam sit) non solum ratione sui perficiatur, sed etiam eadem objecta, quæ hic novit cognoscere possit: Quia species illorum (ideoq; & universalium) hinc deportavit: *De singularibus* res magis dubia apud eos è Thomæ Lycæo, qui negant intellectum in statu conjuncto singularia materialia percipere posse: Indeq; illi vel dicent, species horum infundi animis à Deo post separationem, vel illa omnino non cognosci: Sed illi supponunt falsum, dummodo volunt intellectum in statu conjuncto singularia materialia non percipere: Esset enim hoc, si esset, vel quia res singularis esset, vel quia materialis: At neutrum impedit intellectionem: *Non singularitas*: Hæc enim quatenus talis à no-

bis percipi potest, ut V. g. Deum cognoscimus intellectu, tanquam Ens omniũ maximè singulare; *Deinde:* Species intellectui impressa repræsentat rem singularẽ, eò quod eo modo, quo phantasma, quod rem singularem, ut singularis est, exhibet, repræsentet: E. etiam res singularis, ut est singularis, est per speciem cognoscibilis: Singularitas itaq; cognosci potest: *Non materialitas:* Nam 1. cognoscimus *materialia* saltem in communi, uti non diffitentur ipsi adversantes, animal V. g. corpus, hominem, quorum omnium conceptus materialis est: Materialitas igitur *ex se* non impedit cognitionem. 2. Materialitas *ex parte cognoscentis* impedit intellectionem, h. m. ut nulla *potentia materialis* possit intelligere: At non impedit materialitas *ex parte objecti;* Potentia n. assimilatur objecto non physicè sed intentionaliter: Unde sicut naturas communes materiales cognoscimus per intentionalem illarum similitudinem, & non per physicam, ita & singularia materialia per cognitiones spirituales cognoscimus: Hoc igitur supposito dicendum utique: *Et singularia materialia cognosci ab anima separata,* quia eorum, quæ hic novit, species secum asportat, Hic enim novit illa: Illorum verò, quæ hic non novit species aliunde infusas habet.

35. Theor. VI. *Objectum intellectus animæ separatæ non sunt res omnes, quæ in hoc mundo geruntur, in particulari:* Veluti quod nunc V. g. sit pax sancita inter Cæsarem Augustum & Daniæ Regem, quod Gallus bellum paret contra Italum, &c. Inter rem cognitam enim & cognoscens requiritur debita approximatio & unio, si fieri debeat cognitio: At non intercedit ista approximatio inter animas separatas & res eas, quæ hic geruntur, eò quod separatæ sint à conversatione horum viventium, ductęq; ad conversationem spiritualium.

36. Theor. VII. *Objectum intellectus animæ separatæ non sunt ea, quæ excedunt intellectum Angelicum:* Patet: Quia Angelicus intellectus multo est nobilior & perfectior, animæ nostræ intellectu: Non igitur hic attinget ea, quæ non potest ille propter sui imperfectionem: Hinc specialius.

37. Theor. VIII. *Objectum intellectus animæ non sunt cogitata mentis,* per ea quæ in simili dixi ad hanc rem de Angelis *disp. 9. Pneumat. th. 28.*

38. The-

38. Theor. IX. *Objectum intellectus animæ non sunt omnis generis futura*: Itidem hujus asserti limitationem rationemq́; habe *ex th. 19. d. 9. Pnevmat.*

39. *IV. Modus naturalis intelligendi* supereſt, qui I. *est finitus*: Ideoq́; non percipit in infinitum omnia cognoscibilia: Modus n. cognoscendi sequitur modum essendi: At essentia animæ finita est. Igitur & modus cognoscendi.

40. II. fit *vel per substantiam cogniti*, si illud sit spirituale, nec distans à cognoscente, *vel per species intelligibiles*, si vel distans sit objectum, vel materiale, ideoq́; solum potentiâ intelligibile, uti dictum *th. 18. & 19.*

41. III. *Fit per successionem plurium actuum*, adeoq́; non est omnino simplex: Anima enim unico & simplici cognitionis actu non potest omnia objecta attingere, sed pro ratione objectorum & variatione eorundem multiplicat & variat actus, non aliter uti id fieri experimur in statu, quo anima corpori juncta est.

42. *IV. Fit quandoq; per compositionem & discursum*: Certum est animam separatam quandoq; sine discursu intelligere: uti fit V. g. quando (non aliter ut in hoc statu) assentitur principiis naturaliter notis per *simplicem assensum*, itemq; alia multa unico & evidenti cognitionis actu penetrat, indeq́; circa illa discursu non indiget, quippe qui ideò à natura datus est, ut res *minus evidentes* & ignotas ex notis eliceret: *Quandoq; tamen discursu utitur*, circa objecta minus evidenter & solum conjecturaliter nota, V. g. circa futura contingentia, mentis cogitata, hominum actiones, &c. Nam I. unico intellectionis actu omnia hic penetrare nequit: Pluribus igitur cognoscit ista: quorum unus dependeat ab alio, & posterior eliciatur ex priori, qui causa est illius: At ubi plures sunt cognitiones, quarum una dependeat ab alia tanquam à causa, ibi est discursus. II. Discurrendi facultas ab ipsa rationalitatis differentia oritur, quam semper retinet, vide ea quæ dixi *disp. 9. Pnevmat. th. 27.* Non itaq; probandum est, quod Thom. *3. contra gent. c. 48. Animam separatam* dicit *intelligere more Angelorum, quos nec discurrere nec componere* (sed falso uti monstratur *disp. 9. Pnevm.*) *asseruit*, quem etiam sequitur Cajetan. *1. part. quæst. 83. art. 5.* Errat item *Ægid.* qui gradus cognoscendi ita distingvit:

In ne-

In nobis, inquit, *cognitio est cum discursu & compositione*; *In anima separata cum compositione sine discursu*: *In Angelo sine utraq; per varias tamen cognitiones simplices*: *In Deo per actum unicum*. Verum quidem fateor, quod de Deo asseritur, quod intelligat unico simplicissimo actu omnia cognoscibilia, eoq; non distincto, sed realiter eodem cum essentiâ ejusdem: Nostram itidem animam ut in nobis adhuc est cum compositione & discursu intelligere experimur: Angelis tamen, & animis ut extra nos sunt, discursum sine ratione derogat, ut itidem probatum est.

43. *V. Non fit per conversionem ad phantasmata*, uti in statu conjuncto. Hic enim (si verum est, quod dicitur) convertit sese intellectus agens ad phantasmata, & juxta similitudinem illorum effigiat species intelligibiles, ejusdem rei, quam phantasma exhibet, repræsentativas: At illud in statu separato esse nequit, ubi phantasian omnem cum phantasmatis amisit anima: Ideoq; etiam, quod hinc consequēs, *Non datur ibi intellectus agens*, uti in nobis, saltem quoad usum: Huius enim officium erat fabricare species intelligibiles. At non potest fieri illud in illo statu: Ibi enim vel ab ipsis objectis acquiruntur, vel à Deo infunduntur: *Deinde*: Phantasmata desunt à quibus pendet Intellectus agens in facere suo (non aliter ac à formâ picti pictor, han enim si nesciat non facilè pinget) & species intelligibilis in fieri, tanquam ab objecto monstrante: Pingere igitur & fabricare eas in illo statu non potest.

44. *VI. Quandoq; est clarus & distinctus*, in objectis bene proportionatis, quandoque *obscurus & confusus*, in objectis improportionatis: *Quandoq; probabilis & fluctuans* in rebus contingentibus & futuris, uti in simili diximus de Angelis.

45. Quæris: *Sitne animæ intellectio distinctior & clarior in statu separato quam conjuncto?* Resp. I. Probabile est, *Animæ illam intellectionem, quæ est de iisdem rebus & per easdem vel certè æquales species non esse distinctiorem*: Manet enim idem intellectus idem objectum, eadem species, itaq; & eadem cognitio, quæ in se neq; distinctior fit neq; perfectior, Nam si qua esset, illa utiq; per species distinctius repræsentātes indeq; perfectiores contingeret, At suppono species easdem & in se nihil mutatas: Alias nō diffiteor:

Fierī

Fieri posse ut species in illo statu fiant perfectiores, adeoq; distinctius rem repræsentent, quam in statu conjunctionis, Hac autem ratione non manebunt prorsus eædem. *II. Animæ separatæ intellectio quæ est de rebus spiritualibus, & fit per species in illo statu infusas multo distinctior est & perfectior, quam ea quæ hic erat in statu conjuncto*: Patet: Quia hic res spirituales cognoscuntur per species alienas *rerum materialium*, ibi verò cognoscuntur per species infusas *& propriè repræsentativas* essentiæ ipsarum: Hic enim *Angelũ* si cognoscas imaginaris tibi illum ad modum *formosi alicujus juvenis*, alati, &c. *Animum* itidem cognoscis per speciem *alicujus corporis* aut auræ spirantis: *Deum* ad modum *viri* alicujus, &c. At ille modus cognitionis ibi cessabit. Hinc III. identidem probabile est, *Animam separatam substantias immateriales creatas quiditative cognoscere posse*: Species enim istæ sive infusæ sive acquisitæ totam earum essentiam repræsentant, specificas item & individuantes differentias ipsarum, E. etiam eo modo quo repræsentantur cognosci possunt. Addo tamen IV. *Deum quiditative & comprehensivé ab animâ separata intelligi non posse*: Comprehensiva enim cognitio penetrat exactè omnia prædicata quiditativa quæ sunt in cognito, & cognoscit illa: At à finito creatoq; intellectu exhauriri non possunt prædicata essentialia quæ sunt in Deo, eò quod intellectus cognoscens sit finitus, objectum verò cognoscendum sit infinitum, ideoq; nulla inter ea sit proportio.

46. Hinc sume: Longè differre, *Intellectionem animæ in statu Nunc & Tunc, conjuncto & separato*: Nam I. *Hic* intelligit perconversionem ad phantasmata, à quibus pendet, sive *objective*, quatenus illa sese repræsentant intellectui, tanquam objectũ, juxta cujus similitudinem ille effigiat species intelligibiles, sive *instrumẽtaliter*, quatenus disponunt, ut intellectio fieri possit. *Ibi* v. intelligit sine illis. II. *Hic* intelligit omnia sive spiritualia sive materialia, sive Deum sive Angelos, sive corpora, sive seipsam, sive res quascunq; alias per species intelligibiles: Rationem hujus quilibet secum experitur, dummodo omnia cognoscit admodum rei sensibilis & materialis: At quæ ad modum rei materialis cognoscuntur, per species cognoscuntur, qnia modus ille cognoscendi indicio est, res istas non per sui sed per alienas rerum corporearum

imagines intellectui repræsentari, ideoq; nec per sui substantiam cognosci: Et hoc facilè patet inde: Quia intellectus in cognitione sui dependet à ministerio sensuum tanquam à principio ad intellectionem disponente, & à phantasmatis: Quicquid igitur sensus non suppeditant, nec phantasmata repræsentant, illud intellectus non potest cognoscere: At sensus nil nisi materiale suppeditant, neq; aliud repræsentant phantasmata: Ergo & intellectus non nisi ad modum rei materialis concipiet & intelliget sua objecta: *Ibi* verò intelligit quandoq; sine speciebus, Deum præcipuè, Angelos item, & animas à se indistantes. III. *Hic* intelligit confusius, obscurius, imperfectius, res præsertim spirituales: *Ibi* verò distinctius, clarius, perfectius, &c.

47. Deniq; *VII. Erit intellectio perennis & sine intermissione:* Poterit equidem anima à cognitione hujus vel illius objecti aliquando feriari, nunquam tamen ab omni prorsus intelligendi actu cessabit, sed in aliquam cognitionem incumbet: Quia enim in illo statu erit vivens, actum aliquem vitæ exhibebit, qui non poterit esse alius præter intellectionem: Sisto me in Intellectu.

48. Sequitur *Voluntas*: Ubi videbo I. *An maneat in animâ à corpore separatâ? II. Quid sit? III. Qui sint consequentes habitus? IV. Qui affectus? V. Qui actus imperati.*

49. I. Inprimis certum est, *Animam in statu separato retinere voluntatem.* 1. Quia Voluntas est potentia spiritualis, ideoq; independens ab organo corporeo, & sic neq; destrui potest per separationem ab illo. 2. Manet in animâ intellectus, Ergò & Voluntas: Quia illa hanc necessario coinfert.

50. II. Quiditas ejus ita exprimitur: *Voluntas animæ est attributum ejus, quo res à se cognitas modo sibi debito vel vult, vel non vult.* Ubi innuo *I. Principium volitionis. II. Actum. III. Objectum. & IV. Modum volendi.*

51. *I. Principium volitionis immediatum & proximum non est potentia aliqua accidentalis realiter diversa ab essentiâ animæ*: Quia anima ex sese & sine medio accidente sufficiens est, ut possit sese determinare ad volendum, ideoq; & elicere actum volitionis. Continet enim illum in sese *eminenter & virtualiter*: Est itaq; illa principium immediatum proximum & adæquatum volitionis, uti fusius delibatur alibi.

52. *II. A-*

52. II. *Actus volendi* est actio accidentalis (de prædicamento actionis) realiter diversa ab essentia animæ & producta ab illa & recepta in illa: Et hanc (non minus uti in hac vitâ) *separat æ quoq; animæ competere* colligas inde: Quod in illo statu sit objectum voluntatis congruum & benè proportionatum, ipsiq; apprime conveniens, rerum nempe bonitas, sit itidem principium efficiens potensq; attingendi objectum, nempe voluntas: Aliquando igitur & insequetur actualis volitio: Positis enim principiis sufficientibus & non impeditis sequi potest effectus.

53. *III. Objectum voluntatis* animæ separatæ sub ratione formali est *Bonitas* rerum: Quicquid enim vult & appetit sub ratione boni vult & appetit: Sub Materiali verò sunt *res bonæ*, & quidem (non omnes, sed) eæ quæ ab intellectu sunt præcognitæ: Quicquid igitur intellectus cognoscit sub ratione veri & positivi Entis illud voluntas vult & appetit sub ratione Boni: Et sic *Deum, Angelos animas aliriq; objecta in illo statu cognita* potest & velle, prout rationem boni in iis deprehendit. Unde hic nihil addo.

54. *IV. Modus volendi* in anima *I. non est omnino simplex & unicus, & sine multiplicatione plurium actuum*: Nam in statu separationis (non aliter ac in hoc statu conjunctionis) pro ratione plurium objectorum pluribus quoq; actibus attingit objecta: Neq; enim unico volitionis actu diversa objecta attingere potest ulla creatura, sed solus Deus hunc simplicissimum volendi modum possidet.

55. *II. Est necessarius quoad specificationem* (ut loquuntur) h. e. talis qui non possit objecta à se volita *odisse*: Patet: Quia odium est ex displicentia *malitiæ* repertæ in objecto: At Entia quatenus *Entia* sunt non involvunt malitiam, sed dicunt bonitatem, ideoq; & appetibilitatem. E. Entia quatenus Entia sunt, non potest odisse. Addendum tamen: *In Entibus* aliquid reperiri posse, quod odio habeant animæ, quatenus illud sibi malum aut disconveniens deprehendunt.

56. *III. Est liber quoad exercitium*, h. m. ut possit aliquando actum volitionis suspendere circa objecta: Manet enim in illo statu radix libertatis nempe intellectus, manet quoq; principium illius efficiens nempe voluntas: Cur igitur non esset ibi libertas?

57. III. *Habitus esse in anima separata*, certum est inde? Quia dicitur illa vel bona vel mala: Bonitas igitur & malitia ista aut erit transcendentalis, aut naturalis, aut moralis: Non primum neq; secundum: Quia non convenit ex æquo omnibus animis & ex naturæ convenientiæ; uti alias solet bonitas sive naturalis sive transcendentalis, sed ex superveniente confirmatione animæ fiunt vel bonæ vel malæ: Erit itaq; *moralis*, indeq; habitus superadditus. *Adde* 2. Habitus morales animam habuisse in hac vita: Itaq; & retinere in statu separato, Quia habitus isti deperdi non possunt, (nisi succedat ibi contrarium uti mox innuo) quia manet idem subjectum & conservans, quod anima.

58. Quæris: *Qui ergò habitus morales sint maneantq; in anima separata?* Resp. 1. *Habitus illos perire, & quoad entitatem, & quoad usum, quorum actus contrarij exercebuntur*: Ita omnes habitus vitiosi discedent à piis, habitus omnes virtutis ab impiis: Ita etiam *fides & spes destruentur* in altera vita: 1. Quia præsentissima rei possessio & Dei fruitio excutiet τὸ *sperare* & evidentissima rei cognitio τὸ credere. Ideoq; 2. non manebit objectum spei quod est res futura & possidenda, non verò præsens & possessa: Ibi verò omnia præsentissimè possidebimus: nec objectum fidei erit quod τὸ πιστὸν, quod assensum admittit obscurum & minus evidentem (licet certum) Ibi verò omnia evidentissimè cognita erunt. II. *Habitus morales directos ad passiones materiales in homine, aut ad societatem humanam, manere quoad entitatem non verò quoad usum*: Ita V. g. est in anima separata, beata, habitus temperantiæ, castitatis, &c. actus tamen esse non possunt: *Patet prius*: Quia retinent subjectum & conservans, quod anima rationalis est, neq; admittunt contrarios actus; Manet igitur Entitas ipsorum: *Posterius constat*: Quia actus illi non solum habent objectum corporeum, sed etiam per membra corporea perficiuntur, ideoq; destructis illis effici nequeunt. III. *Habitus morales directos ad actiones circa alium, ita tamen ut absolvant à respectu commercioq; materiæ, manere & quoad entitatem & quoad usum*: Ita religio V. g. cultus, obedientia manebunt. Hi enim habitus quia sine concursu organi corporei perficiuntur sine habitu eorum actus præstari possunt.

59. IV. *Qui maneant affectus in anima separata*, dubitari potest?

est: Dico: Affectus *vel esse materiales*, qui cum vehementi *motu cordis* oriuntur ex notitiâ objecti vel boni vel mali: Et illorum subjectum pleriq; statuunt *Cor*, vel *spirituales*, qui sunt nihil aliud, quam peculiares quædam propensiones & inclinationes voluntatis ad actum aliquem: Prioris generis affectus, quia materiales sunt & organon corporeum pro subjecto agnoscunt, non manet: Posteriores iterum sunt vel circa Bonum vel Malum objectum, illudq; vel præsens vel futurum: De quibus dico distinctè: *I. Inclinationes ad malum proprium sive præsens sive futurum non manere in animis piorum*: Erunt enim illi in statu bonitatis confirmati; Ideoq; nec erit *odium* alicujus mali quod removeri velint à sese, nec *tristitia* ob malum præsens illudq; disconveniens nec *timor* ob malum futurum, &c. Dico notanter: *Circa malum proprium*: Nam *odium revera erit in animis piorum*, sive displicentiæ, quâ abominabuntur mala peccatorum & damnatorum, sive inimicitiæ, qua personis damnatis male volent. *II. Inclinationes ad bonum præsens & futurum cujus possessionem expectabunt esse, in animis piorum*: Est itaq; in illis *Amor* Dei & sanctorum, *Gaudium* perpetuum, in bono apprehenso & possesso: Desiderium item boni futuri, redunitionis sc. ejus cum corpore, &c. Porrò *III. Inclinationes ad malum & præsens & futurum esse in animis impiorum*: Erit ibi *tristitia* ob malum præsens tanquam disconveniens, V. g. damnationem, *timor* ob malum futurum, *desperatio* ob impossibilitatem boni futuri apprehendendi, vitæ sc. beatæ. *IV. Non esse in iis inclinationes ad bonum*. ideoq; nec amorem, nec gaudium, &c.

60. V. Ultimum est ut agam *de Actibus Imperatis*, animæ separatæ, *quos voco* (uti in simili dixi circa actus imperatos Angelicos *d. 9. th. 46.*) non eos qui per inferiores materiales potentias jussu voluntatis perficiuntur, uti in statu conjuncto actus imperatos dicimus, sed (propter similitudinem & proportionem ad illos) *eos, qui à voluntate imperari, perfici tamen intelliguntur per aliud conprincipium*, Et sunt duo: *Locutio & Motio*.

61. De Locutione primò: Ubi certum est: *Animas separatas loqui sive ad invicem sive cum Angelis*: Quia in Republicâ ista intellectuali, una anima alterius vel animæ vel Angeli cogitata nosse non potest sine edito signo locutionis. E. ut sciat, tenetur com-

municare alia huic per locutionem: Communio enim & civitas ista spiritualis hoc requirit, ut hæc anima quandoq; sciat cogitata alterius.

62. *Quomodo autem fiat locutio ista* magis ambigitur: Dicendum I. *non fieri illam per voces externas articulatas per organa corporea ad id operis deputata, uti homo loquitur in hoc statu:* Ista n. locutio uti patet commercium corporis requirit, ideoq; non redibit nisi post redunitionem animæ cum corpore, ubi, quod verosimile multi putant, *præter Hebræum sermo alius non usurpabitur.* Ideoq; II. potius fieri *per internum voluntatis actum quo velit animæ emitti species cogitationum mentis & imprimi alteri sive Angelo sive animæ,* ut ita possit percipere eas, indeq; locutio isthæc requirit, 1. voluntatis consensum ut causam. 2. Speciei impressionem in alia sive animâ sive Angelo, ut formalem rationem locutionis: Indeq; similis erit locutio animæ, quæ & Angeli, de cujus locutione quæ dixi, huc applica, *ex disp. 9. th. 50. & seqq.*

63. Colligo etiam I. *Animam non necessario loqui omnibus, quando loquitur uni:* Quia locutio illa fit per prævium voluntatis consensum: At voluntas potest velle, ut huic animæ fiat locutio illi verò non. II. *Animam non necessario loqui de omnibus, quando de uno:* Potest enim, prout volet, vel communicare hoc cogitatum mentis vel omittere pro arbitrio. III. *Animã separatam non posse mentiri:* Mendacium enim est difformitas mentis & sermonis, ideoq; ibi locutio repræsentat aliud, mens vult aliud: At animæ separatæ locutio non potest à mente ipsius difformis esse. Quia fit per species, quæ *naturaliter* repræsentant cogitata mentis ideoq; sunt conformes istis & sic non possunt aliter illa repræsentare ac sunt in sese: Anima igitur neq; potest in illo statu mentiri.

64. *Alter Actus Imperatus Motio est:* Ubi non iveris inficias, puto, contra quam fecere Durand. & Mirandulan. (qui animas immobiles putavére ex ineptitudine & imperfectione sui quâ moveri neutiquam possint) *quod moveantur animæ separatæ de spatio ad spatium:* Nam 1. in re creata, quia non est immensa & omnipræsens, magna est perfectio quod de spatio ad spatium mobilis sit, ideoq; & creaturæ mobiles perfectiores longe sunt immobilibus: Quis igitur ex anima nostrâ quando à corpore separata

parata est, statuam immobilem efficeret, quæ perpetuo unico loco fixa maneret? Adde 2. animam separatam à corpore migrare mutando ubi: Igitur & moveriab ubi illo in quo erat eum corpore. Et 3. ad digressiones & conventus necessario requiri motiones, nec sine his facile perfici posse.

65. *Motus autem ille* animæ separatæ *1. non est á virtute alienâ Dei vel Angelorum, sed etiam ab insita*: Patet 1. Quia omne vivens locorum spatiorumq; *distantias* cognoscens mobile est, quod adeò verum est, ut nullo exemplo probari possit ejus contrariū: At anima separata novit distantias locorum. 2. Anima ex sese est indifferens ad varia spatia, neq; ulli *naturâ suâ* affixa: Ergo mobilis est à sese: Quicquid enim naturâ sua non petit certum locū cui affixum sit, illud utiq; ad varia moveri potest, hinc enim natura hanc indifferentiam concessit ipsi: 3. Aliis viventibus ignobilioribus competit virtus locomotiva, Cur igitur non & animæ? Et 4. in anima sunt principia dirigentia & applicantia motionis, Intellectus nempe & voluntas. E. & exequens, potentia, sc. loco-Motiva.

66. Quæris: *Sitne potentia ista motiva diversa ab organica ista, qua anima corpus movet in statu conjuncto?* Resp. Sic puto: Organica enim est illa qua corpus movetur, perficiturq; per organon corporeum, quod vulgo putant Musculos: Hæc verò quâ anima seipsam movet, spiritualis est, & inorganica. Ideoq; 2. illa ex defectu subjecti & conservantis per separationem animæ à corpore interit: Hæc verò, eò quod à corpore non dependeat residua manet.

67. Quæris porrò: *Sitne igitur diversa ab intellectu & voluntate animæ realiter?* Conimbr. *l. 2. de Cœlo, cap. 5. q. 7. a. 2.* & Svaretz *d. 35. Metaph. sect. 6. n. 22.* probabiliorem reputant sententiam, quæ in Angelo vim motricem ab intellectu & voluntate re distinctam asserit, eò quod distinctissimi actus sint intellectio volito & motio: Et idem asserunt in anima separata ex eodem fundamine, Conimbr. *tr. de an. separat. d. 6. art. 2.* Dicendum tamen 1. *Motivam ab intellectu & voluntate animæ non differre realiter:* Quia si quod indicium esset realis distinctionis, illud sumeretur ex distinctis formalitatibus, & actibus, quod sc. alia esset formalitas

litas intellectus, alia voluntatis alia motivæ, alius item actus intellectus, alius voluntatis alius motivæ, eò quod alia indicia non sint, unde illa distingui possint: Sed hæc non sunt sufficientia: Nam diversæ formalitates non necessario diversificant res ipsas, eo quod in una re simplicissima plures sæpè formalitates faciat intellectus: *Dein*: Nec diversi actus diversas realiter faciunt potentias, cum ab unâ eademq; potentiâ plures & *diversi* actus possint oriri: Ita V. g. una eademq; virtus in sole est, quæ exsiccat, indurat, liquefacit, una anima quæ vult & intelligit. Nullum igitur indicium realis distinctionis inde petes: *Porro*: Potentia motiva realiter eadem est cum essentia animæ: Non enim est ratio quæ necessitet ut multiplices potentias in animâ nostrâ, cum illa se solâ possit esse principium motionis sine accidente alio, & in se contineat eminenter actum istum: E. nec differt ab intellectu & voluntate, quæ itidem realiter eadem sunt cum essentia animæ: Quæ enim in uno tertio conveniunt, inter se conveniunt. Dicendum II. *Motivam ab intellectu & voluntate animæ ratione ratiocinata differre*: Et hanc solam non vero majorem probant *Conimbr. & Syaretz cit l.* Habet enim hic ratio fundamen distingvendi I. *à diversis formalitatibus*: Intellectus enim concipitur ut dirigens & præcognoscens, voluntas ut imperans, motiva, ut exequens motum II. *á diversis actibus*: Alia enim est operatio quæ intellectio, alia quæ volitio, alia quæ motio dicitur: At ubi distincti sunt actus, ibi etiam (si non re saltem ratione) distinctæ sunt potentiæ: Est enim ibi occasio ut pro diversitate actuum ratio etiam diversa possit facere principia, quæ tamen à parte rei multa non sunt sed unum.

68. II. *Motio animæ separatæ non est Physica & materialis*, qualis fuit ejus cum in corpore corpus moveret: Patet facile: Quia in illo statu à corporis commercio, à subjecto quanto & partibili, à loco physico, aliisq; conditionibus ad motum physicum requisitis libera est. Colligo hinc: *Animam movendo defatigari non non posse*: Defatigatio enim est ex operatione materiali, quæ fit cum dispendio spirituum & caloris vitalis: At nullum est spirituum apud eam dispendium, nulla materialis actio.

69. III. Probabile est: *Motionem animæ separatæ instantaneam*

taneam esse: Successivus enim motus est vel ex resistentia mobilis, vel medij: At neutrum animam impedit: *Non mobile*: Hoc enim tum demum prohibet motum instantaneum, si quantum sit & partibile in plures partes, quæ impediunt ne simul & in instanti moveri possit: *Non medium*: Hoc enim nisi corpori quanto potest resistere, illudq; propter sui impenetrabilitatem crassitiemq; præpedire ne in instanti moveatur.

70. Quæris: *Possitne & anima separata movere corpora*? Negat Svaretz. *d. 36. Metaph. s. 6. n. 23*, sed falsò: Quia anima potest alteri corpori localiter uniri, saltem per modum formæ assistentis ideoq; & esse in illo. E. & operari in illo. E. & movere illud. *Porro*: Anima habet virtutem sese movendi. E. & alia corpora: Quia motiva illa non solam sese exerere potis erga suum subjectum sed & erga alia modo unita sint illi.

71. Adde tamen: *Habere potentiam illam suos limites*: Ideoq; non posse quodlibet corpus aut quamlibet molem ciere, neq; in quavis distantia & celeritate, sed certam requirere distantiam, certumq; corpus quod moveat. *Anne autem cum impulsu cieat corpora vel sine illo, sume ex disp. 10. Pneomat. th. 25.* Ego hic finio cum Deo. *Finio*, inquam, *& tibi, ô Deus maxime, tu finis es laborum, qui eras & initium, & finis desideriorum, mea cum finies desideria, & sine fine videbere, sine fastigio amabere, sine fatigatione laudabere.* ita me meamq; vitam fini ô Domine.

Præstantissimo Dn. Magistro
RESPONDENTI.

Coelestes discurris agros, & vivida Tempe,
Quæq; sit abjunctæ, vita, doces, animæ;
Altius, ac vulgus, discurris, & altius ibis,
Pro meritoq; tuo gloria perpes erit.

L. M. Q.

M. Stephan. Clotz
Præses.

Præstantissimo ac Literatissimo
Dn. M. CHRISTOPHORO SCHELIO, Amico & Favitori suo colendo de Operationibus animæ separatæ disputanti.

Segregans à se bona cuncta *Virtus*
Atq; contemnens pretiosa quæq;
Nititur *Famæ decus inq; Lucem*
Nescia sordis.
Ecce! dictorum clueat meorum
Hic dies testis. tua publico qua
Cætui *Virtus* posita est Magister
culte Minerva.

Quan-

Quando nunc altâ renuis caduca
Fronte, nec non res futiles relinquis,
Separatæ vimq́; animæ potentem
corpore monſtras.
Laudé condignum ſtudium! Magiſter
Quod capis. magnum eſt ſpecies creatas
Noſſe: ſed majus animam beatam
cognitam habere.
Omnium rerum ſiquidem ſtupor nos
occupat. ſed quis potis eſt ſtupere
Hanc ſatis? cujus regimen ſtupendum,
Miraq́; origo.
Non tuos *Scheli* melius honores
Poſſe proferri ſtatuis, politis
Illius quam vim theſibus probando
Præſide docto.

Honoris & amicitiæ ergò
gratulatur
HUBERTUS Koen Lubec.
Philoſophiæ Studioſus.

CORONIS COLLEGII PNEUMATICI
quæ exhibet
Dissertationem Dæmonologicam, ubi quænam
DE
DÆMONIBUS PLATONICIS, SIVE DIIS SOCRATICIS, ANTIQUITUS SENTENTIA FUERIT, ET QUID DE ILLIS VERE SENTIENDUM SIT, DISSERITUR;

Annexa & exhibita

Secundante summi Jehovæ ter maxima εὐδαιμονίᾳ
&
Permittente venerando Philosophorum consessu in inclyta Universitate Rostochiensi
à

STEPHANO CLOTZ
Philosophiæ Magistro,

Respondente ad diem 2. Maij horâ locoq; solitis

Michaele Freyhub
Regiom-Borusso.

Ludovicus Vives in comment. super. August. l. 9. de Civ. Dei c. 11. l. a.

In istis de Diis deq; Dæmonibus sententiis, mirum quam inter se discrepent homines ejusdem hæresis: Alia sentit Apuleius quam Plato, alia Plotinus quam Apuleius, diversa ab iis Porphyrius, nec cum Jamblicho aut quoquam alio in omnibus convenit Proclo, nimirum dæmonibus ipsis pro natura sua varia illis & fallacia dictitantibus.

ROSTOCHI
Literis Joachimi Pedani, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0401
DFG

Literatißimo,

DN. RESPONDENTI:

MIrum! Quam priſco Platonia tempore proles,
Olim Socraticos Deos,
Nec Dîs nec ſimiles homini: medias ſed utrique
Miro dogmate finxerit;
Corporis indutos miſerando carcere, venis,
Nervis, ſanguine, viſcere;
Quîs nec cura Deûm vigilantia ſenſa negarit,
Nec viſus ſua lumina;
(Sed tamen ut noſtris non objiciatur ocellis
Corpus quale δαίμονες;)
Provida quîs dederit rationis munera plaſtes,
Cautæ mentis acumina;
Supplicia ut referant miſerantis vota Jehovæ,
Et fletus lacrymantium;
Æthereus parens quæ mittit ab æthere, poſcant;
Et reddant Charitum bona;
Cuſtodes hominis qui ſint, animæque miniſtri
Omni tempore vitæ;
Poſt vitamque choris ſuperûm cœleſtibus addant,
Quidque actum ſiet, inquiant;
Quique ſecuturos docti portendere caſus
Inſtigent Pythias loqui;
Fatidicosque hominum Bacchantûm ſæpe furores
Et præſagia dulcia;
Unde Sibylla ſuo celebretur carmine vates
Et dicat nova monſtra;
Quique Deos faciant niveâ ſuppliciter arâ
Multo thure placari;

Quique

Quicq; Aegea ſuis edocti carmina verbis
Orco convocitent Deos;
Ore tonentcq; Deos, tercentum, Erebvmcq;, Chaoscq;,
Tercentumcq; Dianas;
Illacq; perficiant, hominum quæ ferre labores
Non poſſunt ſibi redditi;
Mirum! Quod priſco Platonia tempore Proles
Hos finxit κακοδαίμονας;
Nil niſi præſtigias infandi Dæmonis eſſe
Dico Socraticos Deos;
Hoſce Deos non eſſe Deos ait orbis & orcus;
Monſtrum eſt Socraticus Deus;
Quem nec terra ſuo, gremio nec ſuſcipit æther,
Nec vaſtus fovet aer;
Nec tenet immenſi, quæ condita machina mundi eſt,
Nilcq; eſt, δαίμονα quod ſciat;
Hoc monſtras; Nitidum quis non Heliconis alumnum
FREYHUB te celebraverit?
Atcq; coruſcanti vigilantia tempora ſerto
Nunc quis non redimiverit?

Curſim
ſed
L. M. Q.

M. Stephanus Clotz.

Σῳ Θεῷ.

Dissertatio Dæmonologica
DE
DÆMONIBUS PLATONICIS.

Thesis I.

IN præsenti tractatione me duobus absolvam I. Platonicam de hisce Dæmonibus sententiam explicabo & confirmabo: II. Decisione eandem refutato.

SENTENTIA PLATONICORUM.

2. Circa prius procedam ordine præpostero: I. videbo *Essentiam* sive definitionem, *II. Affectiones. III. Divisionem:* Et demum *IV. Existentiam* An sint, Neque enim commodè probaveris Dæmonas existere, nisi prius (confuse saltem) quænam eorundem essentia & natura sit, expresseris.

3. *I. Definitionem* in limine colloco, ut videas, quos qualesve Dæmonas suos existimaverint Platonici, eamque invenio talem: *Dæmones* (Platonici) *sunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiva, corpore aëria, tempore æterna,* apud Apuleium *in libr. de Deo Socrat. pag. 88.* & Augustin. (qui refert ex eo) *l. 8. de Civit. Dei cap. 16. & lib. 9. c. 8.*

4. Explico in hac definitione *I. Notationem nominis, II. Æquivocationem, III. Synonimiam, IV. Naturam* genericam, *V. Differentiam* specificam.

5. *I. Notatio* sive ἔτυμος λόγος nominis sumptus est 1. ab

antiquo verbo Græco δαίμω, quod idem fuit quod ἐπίσταμαι καὶ γινώσκω, inde δαίμων quasi πάντα ἐπιστάμενος καὶ γινώσκων. Ita Ludovic. vives *in comment. super August. l. 9. de Civit. Dei cap. 20. lit. a.* 2. Huic congrua est significatio quam habet Plato *in Cratylo*, ubi δαίμονες vult dici quasi δαήμονες h. e. intelligentes à verbo δαείω vel δαίω disco doceor, &c. Eo quod Dæmonum magna peritia & sapientia est. Hinc δαιμόνιος dicitur qui sciens est & peritus; Quod *Aristoteli* adhæsit epitheton, quia rerum naturalium scientiam, quorum ratio imprimis sublunari mundi parte, quâ Dæmonibus loca descripta putaverant antiqui, continetur, complexus est, uti innuit Ludovic. Cœlius Rhodigin. *lib. 2. lection. antiq. cap. 2.* Specialiter tamen Plato *in sympos. fol. 175* eos qui scientiæ dæmoniæ periti sunt, δαιμονίους h. e. felices & sapientes appellari censet. 3. Alij δαίμονες dici volunt ἀπὸ τοῦ δάσασθαι, quod sint διαιτηταὶ καὶ διοικηταὶ τῶν ἀνθρώπων, arbitri & administratores hominum, cuilibet assignantes suam in omni re portionem &c.

6. II. Vox Dæmonis *æquivoca* est: *Sumitur enim vel in bonam vel in malam partem:* Si in bonam partem, significat 1. *animam rationalem* corpori adhuc conjunctam, *quæ similitudine quadam ad genus dæmonicum, mirabiliores quam secundum hominem actiones edit, totamq; vitam suam suspendit ex Dæmone, uti* ex Proclo loquitur Cœl. Rhodigin. *lib. 2. lect. antiq. c. 9.* Unde nonnulli arbitrantur εὐδαίμονες dici, qui bonum habent Dæmonem, h. e. animum virtute perfectum, apud Apuleium. *l. de Deo Socrat. pag. 90.* Hæc tamen acceptio displicet *Proclo*, uti ex illo notat Ludov. Vives *super August. l. 9. de civit. Dei cap. 11. lit. a. 11. Animam separatam*, quæ emerita stipendiis vitæ corpore suo abiurat, Apul. *de Deo socr. cit. l.* ita tamen ut posterorum suorum curam non abjiciat: In quam sententiam Plutarch. *in l.* περὶ τοῦ Σωκράτους δαιμονίου *p.* 1053. αἱ δὲ (inquit) ἀπηλλαγμέναι γενέσεως ψυχαὶ καὶ σχολάζουσαι τὸ λοιπὸν ἀπὸ σώματος, οἱ ἐλεύθεραι πάμπαν ἀφιέμεναι, δαίμονές εἰσιν ἀνθρώπων ἐπιμελεῖς, κατ' ἡσίοδον. ὡς γὰρ ἀθλητὰς καταλύσαντας ἄσκησιν ὑπὸ γήρως, οὐ τελέως ἀπολείπει

τὸ

τὸ φιλότιμον καὶ φιλοσώματον, ἀλλ' ἑτέρους ἀσκοῦντας ὁρῶντες ἥδονται, καὶ παρακαλοῦσι, καὶ συμπαραθέουσιν: οὕτως οἱ πεπαυμένοι τῶν περὶ τὸν βίον ἀγώνων, δι' ἀρετὴν ψυχῆς γενόμενοι δαίμονες, οὐ παντελῶς ἀτιμάζουσι, τὰ ἐν ταῦθα, καὶ λόγους καὶ σπουδὰς, ἀλλὰ τοῖς ἐπὶ ταυτὸ γυμναζομένοις τέλος εὐμενεῖς ὄντες, καὶ συμφιλοτιμούμενοι πρὸς τὴν ἀρετὴν, ἐγκελεύονται καὶ συνεξορμῶσιν ὅταν ἐγγὺς ἤδη τῆς ἐλπίδος ἀμιλλωμένους καὶ ψαυοντας ὁρῶσιν. Quæ verba integrè transscribo, quia puto ea facere ad declarationem hujus significationis. *III. Animæ facultatem*, quatenus illa à corpore separata (ex sententia Platonis) alteri corpori *jungitur* & assistit, ita ut per illud ex defectu organi operationes exerere nequeat, Ita enim Plotin. *Ennead. 3. lib 4 cap 3. Si*, inquit, *tanquam sensuales agimus & vivimus, ipsa ratio nostra est Dæmon; sin autem ratione vivamus, dæmon est, quod est ratione superius, dæmon inquam præsidens, negotiosum alteri concedens officium, &c.* Quam Plotini mentem uberius explanat Marsil. Ficin. *in argument. super hunc libr. Anima*, inquit, *cum sit omnia, motumq; habeat naturaliter liberum, nimirum potest & intra se in proprias omniũ similitudines formare seipsam, atq; subinde sibi talia animalium & plantarum corpora conformare: Si igitur more plantæ vixerit format post hanc vitam plantæ corpus, in quo vegetalis potentia tantum agit: Sensus autem ejusmodi vitæ præsidet tanquam Dæmon non ut agens sed ut assidens speculator: Similiter si anima vivens ut bestia fiat deniq; bestia, sensum cum vegetali duntaxat exercens, rationalis huic potestas imminet otiosa & tanquam Dæmon aliquis observator: Qui vero ratione unâ cum sensu vivit, mentem habet more Dæmonis assistentem, qui deniq; vivit mente, Deum pro Dæmone videtur habere præfectum.* Ex quibus verbis patet, Plotini sententiam esse, quod Anima hominis separata à corpore denuo sibi vel corpus fingat, vel in aliud corpus transeat, prout sc. mores ante viventis poposcerint, ita tamen ut illa facultas animæ, quæ in corpore recens assumpto est ἀνενέργητος dicatur Dæmon. Hanc tamen sententiam ut absurdam in πνευματολογία rejeci. *III. Homines aureos* sive Saturnios in aureo seculo viventes juxta figmenta Poetarum, Confer Natal. Comit.

l. 2. Mytholog. c. 2. Hos enim Dæmones vocat Hesiod. in lib. περὶ ἔργ. καὶ ἡμερ.

τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων
οἱ ῥα φυλάσσουσι τε δίκας καὶ σχέτλια ἔργα
ἠέρα ἐσσάμενοι πάντη, φοιτῶντες ἐπ' αἶαν
πλουτοδόται καὶ τοῦτο γέρας βεισιλήϊον ἔσχον.

IV. Deos gentiles, (à quibus tamen alias Dæmones distingui solent)) Quos Homerus, qui teste Plutarcho *in l. Quod cessarint oracula*, inter Deos & Dæmones parum observavit discriminis, dæmones vocat *l. 1. Iliad.* quando ita ait:

Δωματ' ἐν Αἰγιόχοιο διὸς μετὰ δαίμονας ἄλλους.

Ad quem versum vulgatus interpres ex editione *Jacob. Mycill. & Joachimi Camer.* ita scribit: οὕτως δὲ δαίμονας καλεῖ τοὺς θεοὺς ἤτοι δαήμονας. ἔμπεροι γὰρ καὶ ἴδριες πάντων αὐτοί εἰσιν ἢ ὅτι διαιτηταί εἰσι καὶ διοικηταὶ τῶν ἀνθρώπων. Sic etiam Plato *in l. de Republ.* meminit alicujus maximi Dæmonis quod de maximo Deorum plerique intelligunt, satius tamen de principe Dæmonum quam de Deo universorum intelligi debere existimat Proclus *in libr. de an. & Dæm. V. Dæmones Platonicos*, qui quid sint apertius constabit ex dicendis: Eos enim præcipuè hoc loco intendo. Porro: *Si in malam partem vox Dæmonis accipiatur* denotat spiritus illos malignos, quos ab ejectione sive lapsu διαβόλους vocat Ecclesia. Unde etiam hoc tempore in Christiana religione Dæmonis nomen odiosum est & infestum: *Nam*, inquit August. *lib. 8. de Civit. Dei c. 14. omnes vel pene omnes per sanam doctrinam quæ humanis rebus illuxit, Dæmonum nomen abhorrent.* Et lib. 9. de Civit. Dei c. 19. *Ubicunq;* (inquit) *in sacra scriptura hoc nomen positum reperitur non nisi maligni significantur spiritus. Et hanc loquendi consuetudinem in tantum populi usquequaq; secuti sint, ut eorum & qui pagani appellantur, & Deos multos ac dæmones colendos esse contendunt, nullus fere sit tam literatus vel doctus, qui audeat in laude vel servo suo dicere, dæmonem habes, sed quilibet hoc dicere voluerit non se aliter accipi,*

eipi, quam maledicere voluisse dubitare non posit. Et in hoc sensu apud Plutarch. *in Pericl.* ὥσπερ τὰ θεῖα δαιμονῶσι, qui in rebus divinis furore corripiuntur.

7. *III. Synonimia* Varia est: Nam Dæmones vocantur *i: Dij:* Est equidem discrimen inter Deos & Dæmonas, quos non solum locorum intercapedine sed etiam naturæ dignitate interpunctos sejunctosque esse volunt, quæ verba sunt Apulei *l. de Deo socrat. pag. 75.* hos tamen nonnunquam appellant Deos, juxta Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead. 2. lib. 1. cap. 6.* præsertim præstantissimi quique Dæmones Deorum nomine nuncupari solent, uti & infimi Dij appellatione Dæmonum quandoque designari. Sic etiam Plotin. *Ennead. 3. lib. 5. c. 6 Consideremus* inquit, *quomodo Deos à Dæmonibus distinguamus, Quamvis enim* dæmones sæpe etiam Deos *esse dicamus in præsentia tamen sic accipiamus &c.* Hinc *Apuleius* librum qui est de Dæmone Socratis, inscripsit de *Deo* Socratis (conf. Augustin. *lib. 8. de Civit. Dei cap 14.*) Hinc *triplex ille Deorum ordo,* quem passim apud Platonis sectatores reperies, natus est: de quo vide Platon. *l. 4. de leg. & in Epin.* Apulei. *de Deo socrat. in init.* Cœl. Rhodigin. *lect. Antiq. l. 2. cap. 3.* Augustin. *lib. 9. de Civit. Dei c. 14. &* Ludov. viv. *in comm. ad h. l. & lib. 10. c. 1. l. a.* Summus scilicet, Medius & Infimus: Ubi in Medio collocantur Dæmones.

8. *II. Angeli* Ita enim Dæmones nuncupari posse putat Marsil. Ficin. *in comment. super Conviv. Platon. c. 3. &* quidem præcipuè eos qui boni sunt mundi gubernatores. Quod equidem (in illorum sententia) fieri potest si nomen Angeli generatim accipias, Angelus enim nuncius est, Quo sensu Xen. *Pæd. 2.* ait: τὸν μὲν δὴ ἄγγελον ὑπηρέτας ταῦτα ἔπεμψε *vide disp. præc. pneum.* &c. Imo speciali ratione Dæmones hi erunt Angeli quia *nuncij* atque interpretes *Deorum* esse perhibentur, sicuti ab eodem munere Mercurius Angelus est, Confer Ludov. viv. *super August. l. 9. de Civit. Dei cap. 19.* Proprie tamen nomen Angeli, spiritibus creatis completis (quales Dæmones non sunt) competere supra visum.

9. *III Lares* dicuntur apud Cœl. Rhodigin. *l. 2. lect. antiq. cap. 3. p. 37.* Quid Lares fuerint non æquè constat apud omnes: 1. Apuleius *lib. de Deo socrat. p. 91.* Lares vult dici animos separatos, qui

qui posterorum suorum curam sortiti pacato numine domum possideant, speciali nomine *Lares familiares* dictos; sicut contra *Larvas* dici putat qui ob adversa vitæ merita nullis bonis sedibus incerta vagatione seu quodam exilio puniuntur, & inane terriculamentum bonis sunt, noxium vero malis hominibus Confer Ludov. viv. *super August. l. 9. de Civit. Dei cap.* 11. *lit. b.* 2. Aliter Lares sunt Dæmones (è furtivo Mercurij Laræque Almonis filiæ concubitu geniti apud Ovid. *l.* 2. *Fastor.*) qui credebantur ab antiquis curam habere compitorum & civitatum, Ideoque etiam iis canes, non aliter ac Dianæ, erant dicati, quia communes familiarum custodes putabantur, Conf. Natal. Comit. *Mythol. l.* 4. *c.* 4. *pag.* 298. Taubmann. *in Bacchid. Plaut. act.* 2. *scen.* 1. imo lares non solum urbium sed & aliarum rerum curam gerere videbantur: Hinc enim tot Larium genera: Erant enim 1. *Lares familiares*, quibus cura erat foci & familiæ: Taubmann. *cit. loc.* 2. *lares publici* qui urbi præerant, ideoque colebantur ab illa, apud Hadrian. Turneb. *lib.* 28. *adversar. cap.* 47. *p.* 1097. 3. *Lares Hostilij* qui Romæ colebantur, quod ab iis hostes arceri crederentur, apud Fest. *l.* 8. & Hadrian. Turneb. *l.* 7. *c.* 15. Taubm. *in Plaut. Bacch. act.* 2. *scen.* 1. Hinc Plaut. *in Mercat. act.* 5. *scen.* 2. Invoco

vos Lares viales ut me bene tutetis.

5. *Lares Marini*, qui & Dij marini de quibus apud Livium *lib.* 40. 6. *Lares querquetulani* apud Adrian. Turneb. *lib.* 20. *adversar. cap.* 35. *&c.*

10. *IV. Penates* dicuntur Dæmones, qui regionum administrationi præsidere censebantur apud Wier. *l.* 1. *de præstig. Dæmon. c.* 20. Aliter tamen Penates dicuntur ij proprie Dij per quos nati esse, vivere & spirare homines putabantur, Confer Natal. Comit. *Mythol. l.* 4. *cap.* 2. Sic etiam Penates dicuntur esse Dij patrij, à patribus nobis relicti, qui præsunt pietati liberorum erga parentes & charitari patrum erga liberos, apud Hadrian. Turneb. *lib.* 25. *adversar. cap.* 5.

11. *V. Genij* dicuntur ab *Apuleio* teste Cæl. Rhodigin. *lib.* 2. *lect. antiq. c.* 3. ideo præsertim quod dæmonibus cura à generatione commissa sit: Hinc enim antiqui crediderunt singulos homines statim atque nati fuissent, dæmones duos habere, alterum bonum,

bonum, alterum malum, quorum sub tutelâ essent, eosque dixere Genios, & putarunt esse nobiscum natos, clam nunc suadentes, nunc dissuadentes, & universam vitam nostram gubernantes, uti refert Natal. Com. *l.* 4 *Mythol. c.* 3. Hinc alio nomine *Dij natales* dicti sunt, qua natali die eorum solemnia celebrabantur, (à viris, Nam viri genium habere censebantur, non fœminæ, sicut contra mulieres venerabantur Junonem, non yiri) apud Hadrian. Turneb. *lib.* 16. *adversar. c.* 17. Alij tamen Genios non solum hominum, sed & urbium locorum & coloniarum fuisse memorant, uti monstrat Hadr. Turneb *l.* 13. *adverf. c.* 12. Imo & plantarum & ædificiorum, ut innuit virgil. *l.* 7. *Æneid.*

Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, & *genium*q; loci, primamque Deorum,
Tellurem, Nymphasque & adhuc ignota precatur
Flumina.

Apuleius *libr. de Deo socrat. pag.* 90. aliter usurpat genium: *Animum nostrum*, ait ille *virtute perfectum nostrâ linguâ ut ego interpretor, haud sciam an bono certe quidem meo periculo poteris genium vocare, quod is Deus, qui est animus cuiq; quanquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur &c.* Ideoque hoc sensu animus noster genius dicitur.

12. *IV. Medioxumi* sunt dicti dæmones à Romanis veteribus, quod interstiti, ex sui ratione, & loco Diis summis sint minores, hominum naturâ, velut complacitum antiquis est, utiq; majores, uti inquit Ludov. Cœl. Rhodigin. *lib.* 2. *lect. antiq. cap.* 3. Hinc Plaut. in Cistellar. *act.* 2. *scen.* 1.

At ita me dî, deæq; superi atq; inferi, & medioxumi, &c.

13. *VII. Semones* credebantur esse Dæmones illi, qui ab aeris meditullio quicquid interpatet ad terram usque habere credebantur: *Fulgent.* tamen Deos esse opinatur qui cœlo digni non censerentur, ob meriti paupertatem, nec tamen Deos putarent ob gratiæ venerationem, ut sunt *Priapus, Hippo, vertumus* &c. vide Cœl. Rhodigin. *l.* 2. *lect. Antiq. cap.* 3.

14. *VIII. Heroes* dicuntur Dæmones venerei apud Marsil. Ficin. *in Platon Sympos. c.* 5. *fol.* 160. quia amorem conciliant. Inde enim Heroës dicti sunt quasi ἐρῶντας amantes & amorem conciliantes

liantes &c. Aliter tamen Heroes dicti sunt apud veteres ij qui ex utroque mortali parente sati, meritis feliciorem quandam nacti sunt sortem quam vulgus generis humani, juxta Ludov. viv. in comment. *super Augusti. l. 2. de Civit. Dei cap.* 14. 3. Heroes illos alij vocant qui altero parente Deo, altero mortali sati, neque homines sunt, neque dæmones, sed plus quam homines & minus quam dæmones, cujus sententiæ est Jamblychus Pytagoricus: Ludov. viv. *super Augusti. l. 10. de civ. Dei c.* 21. 4. Hesiod. in ἔργοις quartum genus hominum pejus quidem illo aureo, sed tertio tamen præstantius Heroas nominavit, & cum addito ἡμιθέους:

Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἱ καλέονται
ἡμίθεοι &c.

15. IX. Cum addito à recentioribus dicuntur *Dæmones Platonici* à Platone qui (non quidem inventor & autor primus, sed) figmenti hujus acerrimus extitit defensor: Alias enim longe etiam ante tempora Platonis Dæmones istos creditos fuisse conjectura est: Unde etiam incertum, quis primò omnium Dæmones esse putaverit: Plutarch. equidem *in libr. Quod oracula defecerunt, Hesiodum* putat primò naturæ rationalis quatuor ordines distinxisse, 1. Deos, 2. Dæmones, 3. Heroas & 4. Homines, Mox tamen Dæmonum inventionem tribuit Orpheo cuidam, aut Phrygi, aut Ægyptio: Sed illa scrupulosè non inquiro. Hactenus de Definito.

16. In definitione porro IV. exprimitur *Natura generica* Dæmonum, in quâ cum aliis rebus essentialem dicunt convenientiam, cum dicitur quod genere sint *Animalia*: Sunt igitur Dæmones illi, *I. non spiritus sed corpora*: Cui enim competit genus illi etiam competit genus generis: Et quicquid tribuitur generi illud etiam competit speciei Porphyr. *Isag. c.* 7. Arist. *lib. Categor. cap.* 3. Atqui animali competit esse corpus: Ergo etiam animalis speciei nempe Dæmoni: Estque hæc res satis in confesso apud curatores Dæmonicos, ut dubitatione nos egeat. *Unde patet*: Dæmones hic neutiquam intelligi eos quos nos Dæmones sive malos Angelos vocamus: Illi enim spiritus sunt, non vero corpora, ideoque ab his maximè distincti.

17. Sunt *II. Corpora* (non simplicia sed) *è quatuor elementis compositæ* sive mixta: uti statuit Marsil. Ficin. *super Plotin. Ennead. 3. lib.*

3. *lib. 5. cap. 5. Possumus*, inquit, *ratione forsan magis physica dicere, corpora Dæmonum sublunarium plurimum esse composita: Nam & elementa in globum unum undiq; commiscentur, erit igitur necessario ignis in eis, per hunc enim vita motusq; viget; Erit & aer ignis pabulum, nec solus cum solo, ne subito dissolvantur: Esto in super aqua tenuis, nec sine terrâ subtili alioqui minimam habebit sub igne stabilitatem: Oportet sane spiritalia dæmonum corpora, sicut & spiritus nostri, admodum esse temperata, ut sint illius vitæ nobilis susceptacula: Oportet igitur in eis tyrannicam ignis voracitatem ita domari ut & trium numero & horum quidem quantitate majore unius tyranni rapacitas refrenetur: Non potest autem terra illic esse multa, nec etiam aqua plurima, sit ergo quam plurimus aer: secundo loco humor aqueus tenuissimus: Tertio ignis, sed admodum rarus ne forte sit edax: Quartum teneat subtilissima terra locum: Et quamvis dæmones omnes sint propemodum temperati, aliqui tamen temperatissimi sunt: In cæteris autem elementum hoc aut illud paulo magis excellit, Erunt igitur complexiones eorum quinq; fere sicut & nostræ, temperata videlicet, & quatuor non adeo temperatæ, stellis quidem subditæ consimilibus, & præsidentes instinctu quopiam naturali hominibus complexionis ejusdem.* Hucusq; verba *Marsil.* Unde quomodo Dæmones mixti & temperati sint cognosces. Et hinc pro diversa in corporibus illis elementorum mixtura diversi quoque putantur esse Dæmones: Nam *1.* alij sunt *ignei, ætherei, & cœlestes*, qui ex purissimâ sive cœli sive ignis materia sunt conflati. Illosque alij collocant supra Lunam, & unicuique orbium cœlestium suos sibi agnatos adscribunt, Satutno Saturnios, Jovi Jovios, Marti Martiales, cæterisque suos similiter, uti facit Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead 3. l. 4. in sum. libr. fol. 159.* Psellus tamen *in libr. de Dæmon.* Omne dæmonium ex Lunaribus regionibus velut ex templo prophanum aliquid exterminari vult, Indeque *Igneos* ille vocat Dæmones, qui circa sublimiorem aera (forte in vulgo hactenus approbata Sphera ignis) collocantur sive pervagantur: Quod etiam alibi (sibi sc contradicens) ipse Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead. 5. lib. 5. pag. 168.* non diffitetur, quando Dæmonis appellationem ad eos proprie transferri vult, qui sunt sub luna. Scilicet in re dubiâ semper fluctuat animus! II. Alij sunt *aerei* qui ex ignis aerisque nexu temperati sunt, definiente sic Ludov. Cœl.

Rhodigin. *l. 2. lect. antiquar. cap. 5.* sive, qui, ut *Psell.* definit, in aere nobis propinquo obversantur. III. Alij sunt *aquei* quibus aqueum quiddam velut tenuius ferrumen ad ignis aerisque temperaturam accedit, Quo referri putat Poetarum *Najades, Nereides, Dryades*, Cœl. Rhodigin. *cit. l. cap. 5. & 6.* Et hinc libenter hoc dæmonum genus circa lacus & fluvios habitare, multosque aquis perimere tempestates excitare, navigia viris onusta submergere, multaque alia in aquis incommoda gignere creditur. IV. Alij sunt *terreni* quibus terrei aliquid sed non adeo crassum spissumque superadditur, Et hinc virunculi illi, nani, itemque Dæmones subterranei, qui in metallicis fodinis terræque hiatibus versari dicuntur, de quibus infra, Confer Marsil. Ficin. *In Plotin. Ennead. 3. l. 5. cap. 6.* Ludov. viv. *comm. super August. lib. 10. de Civitat. Dei cap. 9.*

18. Sunt *III. Corpora animata sive viventia*: Quod patet non solum ex officio & munere quod iis attribuitur, sed etiam accidentibus, *potentia sc. generandi, nutriendi* &c. quæ his Dæmonibus inesse creduntur, ideoque in iis vitam *vegetativam* arguunt, de quibus infra.

19. Sunt IV. *Corpora sentientia:* Indicat illud sufficienter assertio Platonicorum, quæ iis sensitivos actus itemque motus & affectus assignat, qui sine *sensitiva vita* esse nequeunt, uti itidem mox videbo.

20. Sunt V. *Corpora rationalia*, sive ut *Apuleius* loquitur in supra data definitione, *ingenio rationabilia*: Putantur enim esse Dæmones *homine superiores*, Diis inferiores: At illud non esset si ratione destituti essent: Et insuper officiorum tot munera ab iliis administrari non possent, si ultra bestiarum consortium non essent sublimati. *An vero Esse illud rationale Dæmonum essentialiter sive specificè ab esse rationali hominum sit diversum an vero solum accidentaliter*, non video speciatim apud Platonicos disquiri, Inde tamen colligitur, quia *diversam* omnino essentiam habere credūtur. Et hæc sunt, quæ naturam genericam sive convenientiam essentialem Dæmonum cum aliis rebus exprimere videantur.

21. Porro V. In definitione *Differentiam specificam* exprimit Apuleius quando eos dicit *Tempore æternos sive immortales*: Non equidem

equidem video, quomodo hæc differentia legitima esse possit: Est enim illius officium rem non solum in esse constituere, sed etiam ab omnibus aliis dispescere: Dicit enim differentia principium non conveniendi sed differendi: Atqui *per immortale esse* Dæmones non distinguuntur à superis, uti etiam fatetur ipse Apuleius *l. de Deo socrat pag. 88. Sunt enim*, inquit, *inter homines & Deos ut loco regionis ita & ingenio mentis interiti, habentes communem cum* superis immortalitatem, *cum inferis passionem &c.* Ergo etiam Immortale esse non potest esse Dæmonum differentia.

22. *Quæ igitur erit*, inquis *Dæmonem constituens differentia, eumq; ab omni re alia dispescens? Neq; enim supererit in definitione posita Apulei quod differentiæ loco esse possit*: Resp. Differentiam difficulter assignant Platonici eo quod in re tam dubia & falsa nihil illis certo constiterit: Quantum tamen conjicio *ab accidentibus* illam desumunt, soli Dæmoni propriis, & ab officiis ejus, quod v. g. sit *interpres Deorum & hominum, medius inter illos, providens immediatè hominibus &c.* Nec mirum! Quia si quæ tales naturæ essent, illa tamen à priori incognitæ & occultæ, à posteriori solum, & ab accidentibus aut effectibus eorum cognosci possent: Unde *Differentia essentialis* neutiquam assignari potest, sed solum si quæ est *Accidentalis*: Quam ex dicendis uberius cognosces. Ideoque.

23. *II. Affectiones & proprietates Dæmonum sunt quæ essentiam illorum consequi putantur*, Et sunt *triplices*: vel enim sunt ex communi ratione *corporis*, ortæ, vel ex ratione *viventis*, vel ex ratione specifica *Dæmonis*.

24. *I. Affectiones ex communi ratione corporis ortæ* sunt: *Quantitas*: Quia enim corpora sunt utique materiæ perpetuum comitem (imo materiam ipsam) quantitatem scilicet, secum habebunt. Et hinc etiam est, quod Dæmones alij sint *Majores* alij *Minores*, qui *virunculi, nani, Deunculi* dicuntur, De quibus in seqq. me videbo.

25. *II. Tempus*: sive duratio: Ubi video, Dæmonibus non assignari tempus proprie dictum, quod *sua naturâ* petit incipere & aliquando desinere, Et proprie est rerum corruptibilium: Sed improprie sumtum, quod in genere durationem significat, (sive

defectibilis illa sit sive non sit:) Cum addito tamen illis vendicatur ab *Apuleio tempus æternum, sive ut alij dicunt, ævum*, quia putantur esse corpora incorruptibilia quæ licet cæperunt aliquando, non tamen desitura sint.

28. *III. Locus*: Ubi non intelligo locum *generalius acceptum* pro πȣ́ sive Ubi rei creatæ, qua laxâ dicendi παρρησία etiam Angelos in loco esse parum cautè quidam asserunt, sed *specialiter*, pro affectione corporis naturalis corruptibilis, sensibilis mobilis, ex Aristot. *l.* 4. *Φ. c.* 1. *& c.* 5. *l.* 2. *de Cœlo cap.* 4. *& l.* 1. *Metaph. cap.* 4. quæ est superficies corporis continentis locatum *lib.* 4. *Φ. t.* 39. Et hoc modo Dæmones in loco esse adseret Platonicus qui ait eos *corpora* esse, Quia inseparabile corporis naturalis accidens locus esse dicitur *l.* 4. *Φ. t.* 1. *Quis* & ubi autem *in particulari Dæmonum locus sit*, diversimode sententia est: Nam 1. Alij illis solum aera tribuunt, indeque aereos sine discrimine dæmones omnes nuncupant, ut Apulei. *lib. cit. p.* 83. 84. 2. Alij præter aera eos quoq; supra Lunam intra orbes cœlestes collocant, ut Marsil. Ficin. in *Plotin. Ennead* 3. *l.* 4. *p.* 159. 3. Alij alios etiam ad terræ pavimentum deprimunt, imò & sub terrâ in cavernis & hiatibus latitare volunt, ut *Porphyr.* citante Ludov. vive *super l.* 10. *August. de Civit. Dei cap.* 9. Alij aquæ insuper immergunt alios, ut Psellus in *libr. de Dæmonib.*

27. *IV. Numerus*: Quem certum hactenus non determinarunt: Neque id facile poterunt Platonici: Quia Dæmones unâ acie coacetvatos non sunt intuiti: Et alias individua (generabilia) infinita sunt saltem potentiâ ut illorum certus numerus non possit exhiberi: Omnium tamen illorum Dæmonum qui à terrâ & ab aquâ omnem regionem usq; ad locum stellarum supremum gubernant, 30000. numerat Heriodus *l.* περὶ εργ.

τρὲς γὰρ μύριοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
ἀθάνατοι ζηνὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,
οἳ ῥὰ φυλάσσουσίν τε δίκας καὶ σχέτλια ἔργα,
ἠέρα ἐσσάμενοι, πάντῃ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν.

Alij tamen numerum certum non definire audent: Unde συνεκδοχικῶς

Χιλιῶς etiam ab Hesiodo numerum certum pro incerto eoq; magno indicando positum esse fortè dici poterit.

28. *V. Qualitates*, eæque 1. *Primæ*: Quia enim Dæmonibus assignatur corpus è quatuor elementorum misturâ conflatum, hinc etiam istis elementorum Qualitates *calorem frigus, humorem siccitatem* assignari necesse est: Idque pro varietate mixtionis diversimodè: Si enim in quibus ignea vis prædominatur erunt magis calidi, & sicci, remissius humidi, remisse frigidi: *Porrò*: Si In quibus aeris elementum præponderat, erunt æquabiliter calidi & humidi, remissius sicci & frigidi: *Item:* In quibus aquæ natura dominatur, erit æquabilis proportio humoris & frigoris, eâque prædominans, minor vero caloris & siccitatis: *Denique:* Quibus terra præsidet, erunt magis frigidi, & sicci, remissè vero calidi & humidi: 2. *Secundæ*: hæ enim ex primis immediatè oriuntur: Et sic illis competit 1. *Levitas*, orta à calore, iis præcipue qui ad ignis & aeris naturam maxime accedunt: 2. *Gravitas* orta à frigore, iis maximè, qui ad aquæ terræque indolem appropinquant, Ubi tamen Apuleius *l. de Deo Socrat. p.* 85. Dæmonum corporibus (generatim) & modicum ponderis ne ad superna accedant, & quid levitatis ne ad inferna præcipitentur adsignari cupit. 3. *Tenuitas & diaphaneitas*, quæ propria est in aereis, participant enim illam ab aeris natura. Et hanc etiam rationem assignant authores Dæmonum, si quæras, *Cur si sint Dæmones, videri tamen non possint*, nisi peculiaris hic accedat dispensatio: *Non enim* inquit Apuleius *loco cit pag.* 86. *sunt ex hac faculentâ nubeculâ, tumidâ caligine conglobata, sicuti nubium genus est, sed ex illo purissimo aeris liquido & sereno elemento coalita, eoq; nulli hominum temerè visibilia, nisi divinitus speciem sui offerant, quod nulla in iis terrena soliditas locum occuparit, quæ nostris oculis possit obsistere, quâ soliditate necessario offensa acies immoraretur sed fila corporum possident rara & splendida & tenuia, usq; adeo ut radios omnes nostri tuoris & raritate transmittant, & splendore reverberent, & subtilitate frustrentur.* Hæc autem Apulei verba quia de Dæmonibus aereis præcipue intelligi possunt, sine discrimine omnibus non applicantur: Ex discrimine enim corporum Dæmonicorum est, ut alia præ aliis videri possint; Aquea namque & terrea quia densius paulo subactum corpus habent, visu quandoque percipi

possunt, ait Cœl. Rhodigin. *lib. 2. lect. antiq. c. 5.* Ludov. vives *comm. super August. l. 10. de Civit. Dei cap. 9. lit. g.* Quomodo autem & aerei Dæmones visibiles fieri possint innuit Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead. 3. l. 4. in argum. 159. Agunt*, inquit, *in nos Dæmones radiis suis, quamvis occultis, tamen admodum efficacibus; Quos quidem Magus qui congregare sciverit, poterit & videre cæterisq; monstrare, sicut & solis radij è vestigio post ruboris vel palloris forma videntur: Et flamma nonnunquam in meridie accensa procul in ligno non cernitur adhibitis vero lignis apparet; videtur itaq; sacerdos Ægyptius dæmonis Plotinici radios congregasse, atq; (ut Porphyrius testis est) præsentium oculis ostendisse, sive colens Dæmones hoc eorum munere tunc impetraverit, sive vaporem certum Dæmonibusq; cognatum infuderit aeri, quo certo modo radij dæmonis congregati paruerint.* Scilicet satis maturè indicat Marsil. à quo dæmone hic dæmonum partus sit expositus, omnium sc. in cantantionum & præstigiarum fœcundo institore, Diabolo.

29. *VI. Figura:* Et hanc Dæmoni competere non negaverit, qui modo materiam & quantitatem illi assignarit. Est enim figura nihil aliud quam quantitatis terminatio, indeque ipsa quantitas realiter, Ut poni quantitas non possit, quin & figura ponatur: *Qua autem illa sit non constat* apud authores: Sunt enim alij qui volunt *Dæmonum corpora nulla certa figura prædita esse*, sed ad omnem configurationem apta, eo quod ductu flexuque sunt facilia: Ut enim nubes nunc hominum nunc cujusque alterius formam repræsentant, ita consimiliter Dæmonum cotpora ut collibuerit, varias concipiunt figuras, qua ratione virum modo præferunt, modo & fœminam. Ita Cœl. Rhodigin. *l. 2. lect. ant. cap. 6.* Hinc teste Plinio *l. 8. Epist. ad Suram*, dæmon sub mulieris forma comparuit *Curtio Rufo* illique honores, Africumque imperium prædixit: Sic *Athenodoro* Philosopho in forma senis macie & squalore confecti, promissa barba horrenti capillo, cruribus compedes, manibusq; catenas gerentis, visus est, apud Sabell. *l. 10. exempl. c. 3.* Et eodem fere habitu se exhibuit *Cassio Parmensi* apud Valer. Max. *l. 1. c. 5.* Imo Protei instar in omnes formas variabilis, mox hâc mox illa specie indutus visus est, cujus rei exempla passim obvia. Alij tamen *figuram rotundam iis asscribunt* ut Marsil. Ficin.

in argum.

in argum. super Plotin. Enn. 3. lib. 4. Figura inquit, *Dæmonum rotunda est qualem figura aeris hæc exigit.* Et *in Ennead. 2. l. 1. c. 6. fol. 157. Sunt,* inquit *supra nos Dæmones in sua quiq; sphæra quasi stellæ, quamvis plurimum nobis occultæ, figuramq; naturaliter orbicularem, per inferiorem mentis orbem, conferente ad idem affectu, locoq;, in suis corporibus exprimunt, quamvis quascunq; libet, figuras sæpe nobis ostendunt, dum vel materiam sui corporis agilem modis facile variis transfigurant, & mox in priorem formam facilimè refigurant, vel per imaginationis affectuq; vehementiam prægnantum instar in teneriore corpore quaslibet formas effingunt.*

30. *VII. Motus sive mutatio:* Competit enim Dæmonibus *I. Generatio*: Quia corpora mixta sunt è quatuor elementis, indeq; non ex nihilo sed ex materiâ producta sunt (si modo producta sunt. Huc refer *historiam* quam narrat Hyeron. Cardan. *l. 19. subtil. p. 963.* & patri suo *Facio Cardano* accidisse scribit: *Quod scilicet patri suo de more apparuerint septem viri, sericeis vestibus induti, pallio quasi Græco, caliginis (ut videbatur) purpureis, subuculâ thoracibus splendentibus & rubentibus, ut è chermesino esse viderentur, forma augustiore quam communi, & conspicuâ admodum; Nec tamen omnes sic vestiti erant, sed duo, quos constabat esse nobiliores inter ipsos, &c. Ætas illis juxta quadragesimum annum, sed quæ nec trigesimum præferret: Interrogati quinam essent, responderunt,* homines sc. esse quasi aerios qui & ipsi nascerentur ac interirent, verum vitam illorum nostrâ longe esse diuturniorem, ut quæ ad annos 300 extenderetur &c: *Item: Ipsos Divis esse conjunctiores multo humano genere, sed tamen ab illis infinito pene distare intervallo: Nec secus illos nobis esse beatiores, aut miseriores, ac nos ipsis sumus belluis: Nihil latere illis abditarum rerum, ut nec libros nec pecuniam, infimamq; illorum colluviem esse genios virorum clarissimorum* &c. Prolixius vide eam rem apud ipsum Cardanum. *Adde & hoc*: Quod Dæmonibus potentia generandi sibi simile competat: At illud quî esse posset si Dæmon generari non posset: Antecedens mox demonstrabo. Hic tamen notat Cæl. Rhodigin. *l. 2. lect. antiq. c. 4.* generationem non omnibus sed solum aqueis, terrenis & in infimo aere sitis dæmonibus competere, Quia hi materiæ corruptibili immersi sint, cæliqui vero incorruptibile corpus sortiti.

31. *III. Cor-*

31. *II. Corruptio* illis denegatur pene ab omnibus Platonicis: Immortalitatem enim cum Diis communem habere creduntur: sed tamen id falsum est si supponant illos esse è quatuor elementis compositos, Hæc enim Quia sunt radices primarum qualitatum, primæ vero Qualitates, propter mutuam pugnam quam habent ad invicem, sunt principia corruptionis, esse non potest quin corruptioni obnoxios dicas: Nisi aliunde fingas eos è creationis generationisq; peculiari beneficio ita æquabilem & proportionatam qualitatum mixturam sortitos, & tam nobili formâ dotatos, appetitum materiæ quam habet ad alias formas supplente, ut interire non possint. Sed quis fingenti credat? Imo credito potius ipsis Dæmonibus Cardano visis, qui se corruptibiles esse ingenue fassi sunt. (si aliàs non sunt mentiti) Observat tamen hic Cæl. Rhodigin. *l. 2. lect. antiq. c. 4.* superiores mediosque Dæmones esse solùm immortales, infimos vero *longævos*, Quia ex terræ vicinia, terrenâ etiam titillentur libidine & nimiam habeant cum sylva communionem.

32. *III. Alteratio* illis competit eo quod Qualitatibus primis quæ illius origo sunt, gravantur: Imo etiam speciatim illis τὰ παθη animi competere post monstrabo. Et hæ sunt affectiones quas potissimum Dæmonibus ex ratione corporis assignari reperio.

33. *II. Affectiones ex ratione corporis viventis, sentientis & rationalis ortæ*, Dæmonibus hæ tribuuntur: *I. Potentiæ vegetativæ* eis competunt: Habent enim 1. *Potentiam generandi sibi simile*: Quia multo semine fœcundi esse, organa item genitalia (neutiquam tamen nostris similia) habere, & sic generare dicuntur, apud Cæl. Rhodigin. *l. 2. lect. Antiq. cap. 6.* At quæso, cur illis semen concederet natura, cur generandi potentiam, cur organa, nisi id ad similis Dæmonis generationem fieret? Unde etiam Augustin. *l. 15. de Civitat. Dei cap. 23.* asserit creberrimam famam fuisse, multorumque experientiâ firmatam, quod Sylvani & Fauni improbi sæpe extiterint mulieribus & earum appetierint & peregerint concubitus & quod quidam Dæmones quos Drusios Galli nuncupant, hanc assidue immunditiem & tentent & perficiant. *Addendum tamen* ex Cæl. Rhodigin. *l. 2. lect. antiquar. c. 4.* Dæmonibus inferioribus

rioribus aqueis & terreis potentiam hanc generativam præcipuè competere reliquos verò superiores eâ non indigere.

34. Habent 2. Dæmones *potentiam nutriendi*: Hoc etiam sequitur ex primo: Quia enim excrementum effundunt seminiumque è puro genitoris alimento promptum, alimenta assumant, & partem deperditam restaurent, necesse erit. *Hinc* (*Porphyr.* ita sentiente,) *Dæmones nos induxere ad animalia devoranda, ut ipse penes nos atq; è visceribus nostris haurirent sugerentq; sæpe concoctum sibiq; competens ab animalibus alimentum, per insitam quandam attrahendi sugendiq; facultatem, qualis membris inest animalium, radicibusq; plantarum, ideoq; nidore nostro Dæmones quasi allicimus*, uti refert Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead. 3. lib 5. c. 5. in comment.* Materia tamen nutritionis diversa esse putatur: Nam alios Dæmones inspiratione solâ, alios humore sustentari asserit Ludov. Cœl. Rhodigin. *l. 2. lect. antiq. cap. 6.* Alios (eos sc. in quibus nil terrei est) solo odore sacrificiorum sive coctarum carnium vivere putat Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead. 3. l. 5. c. 5.* Unde Dæmones malos libaminibus & carnium nidore plurimum oblectari quia spiritale eorundem corpus inde crassescat, obesiusque evadat, asserit ex Platone Cæl. Rhodigin. *cit. l c 13.* Alios denique vapores crassiores è corporibus hominum exsugere testis est Marsil. Ficin. cit. l. *Modum nutriendi* exprimit *Cœl. cit. l. cap. 6* quod sc. is longe à nostro diversus, non fiat ore, sed eò fere more, quo spongiæ & ostrea alimenta assugunt. *Hoc etiam hic addendum*: Ea quæ de nutritione dicta sunt limitari solum ad Dæmones aqueos, & terreos à Marsil. Ficin. *cit. l. quia illis cum aliquid effluat, restaurare idem necesse habent: E prioribus vero* (*aereis & cœlestibus*) *quia nihil effluit unquam, nec opus iis est nutrimento, sed duntaxat cantibus & figuris, luminibusq; delectantur, coluntur q; & ita nobis conciliantur. Verba sunt Marsilij.*

25. *II. Potentiæ sensitivæ* Dæmonibus vendicantur: Sic Plotin. *Ennead. 4. l. 4. cap. 43. Memoriam* (inquit) *& sensus his* (*Dæmonibus*) *attribuere non erit absurdum.* Et Marsil. Ficin. *in Plotin Ennead. 3. l. 4. in argum. libr. sensus*, ait, *est in toto corpore* (*Dæmonum*) *totus & pro natura aeris acutissimus.* Et Cœl. Rhodigin. *l. 2. lect. antiq. c. 8. Spiritale Dæmonum corpus magna parte ubiq; sensile est naturâ, &*

absq; medio tangit, videt, audit. Hinc *tactum acutissimum*, magnosq; fæpe dolores, quia corpora eorundem dissecari posse opinio est, sentire dicuntur: Unde ferri aciem reformidant, reclinantq; quantum possunt maximè: Enses enim & tela prætendunt, qui Dæmones exagitare moliuntur, uti antiqua fuit priscis sententia. Hinc Virgil. lib. 6. Æneid.

—Procul, ô procul, este profani,
Conclamat vates totoq; abstistite luco,
Tuq; invade viam, vaginaq; eripe ferrum.

Et, quod magis est, igne admoto exuri eos posse, cinere admodum conspicuo, testis est Cœl. Rhodigin. *l. 2. lect. antiq. cap. 5.* quod in Thuscia quandoq; factum esse (non sine clamore & dolore Dæmonis) prodidit memoria.

36. *III. Potentia locomotiva*: Ita enim Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead. 3. l. 4. in argum. Motus* inquit, *simili ratione velocissimus est in Dæmone &c.* Patetque illud satis ex negotio, quod Dæmonibus impositum est inter Deos hominesque transigendum, quod sine motu locali (posito quod corpora sint) fieri nequit. Motionis *ordo & Modus* mirus admodum illis tribuitur à Marsil. Ficin. cit. l. *Motionis ordo* inquit, *forme est qualis in stellis: Dæmones igitur stellæ sunt aerei cœli, circuitus stellarum cœlestium pro viribus imitantes ab ortu ad occasum, atq; vicissim, statutis ubiq; temporibus progredientes, regredientesq;, ac tum ad septentrionem vergentes, tum ad meridiem, tum etiam velut in augem adscendentes ordine certo, præsertim Dæmones super aerem turbulentum.*

37. *IV. Potentiæ rationales*: Intellectus & voluntas: Hinc enim Dæmones dicuntur ingenio rationabiles apud Apul. *lib. de Deo Socrat.* Et alia insuper officia illis dedicantur, (quæ modo recensebo) non nisi magnam rationis prudentiam exigentia. *Discrimen* tamen *intellectualis potentiæ* in illis volunt reperiri, ita ut ætherei, ignei & aerei ratione dicantur superare inferiores, imo & ipsos homines, propter puritatem corporis exactiorem, quæ eo minus impedit intelligendi acumen: Quo enim corpus à materiæ crassitie & opacitate magis est elongatum, eo fortius est cognoscitivum: Unde Marsil. Ficin. *in argum. super Plotin. Ennead. 3. l. 4. fol. 158. Esse quidem*, dicit, *in aere Dæmonas in Theologia satis asseve-*

asseveramus, ut & ubiq; animalia sunt prædita ratione & in aere potius quam in terra, tanto præstantiora simul & grandiora, quanto aerius ipse globus est amplior atq; præstantior & vitæ præsertim rationali cognatior. Quod enim prius eminentiusq; vivit in nobis, cogitationiq; obsequitur, spiritus est aerius: Ingentia igitur, rationaliaq; in aere animalia degunt &c.

38. *V. Affectus* sive πάθη: Quo sensu omnes Dæmones affectu passivos asserit Apuleius *cit. loc.* Item p. 97. inquit: *Ex hoc Dæmonum numero Poetæ solent haud quaquam procul à veritate osores & amatores quorundam hominum Deos fingere, hos prosperare & evehere, illos contra aversari & affligere: Igitur & miserers & indignari, & angi & lætari omnemq; humani animi faciem pati, ac simili motu cordis & salo mentis ad omnes cogitationum æstus fluctuare.* Et paulo post pag. 88. *Perinde ut nos* (Dæmones) *pati possunt omnia animarum placamenta vel incitamenta & irâ incitantur & misericordiâ flectuntur, & donis invitantur, & precibus leniuntur, & contumeliis exasperantur, & honoribus mulcentur, aliisq; omnibus ad similem nobis modum variant.* Sic Plotin. *Ennead. 3. l. 4. c. 6. Deorum genus esse passionis expers dicimus & putamus, Dæmonibus autem passiones adjungimus.* Et Ennead. 4. l. 4. c. 43. *Dæmones vero neq; ipsi quidem in parte sua irrationali sunt passionibus liberi.* Et Cœl. Rhodigin. lib. 2. lect. antiq. c. 6. ex *Marco quodam Cheronensi* (à Dæmonibus bene instructo) asserit, Dæmones non solum pati sed valde utique pati, &c. Et hæc sunt accidentia quæ Dæmones sive nobiscum sive cum aliis corporibus communia habere putantur: sequuntur illa quæ ut ἴδια πάθη illis tribui solent.

39. III. Affectiones ex ratione specifica Dæmonum ortæ, potissimum à posteriori per *effectus officiaq;* illorum exprimuntur, sunt a. hæ potissimum: *I. Est Medietas naturæ, dignitatis, loci, inter Deos & homines:* Tres enim sunt naturæ rationalis gradus, dignitatis naturæque majestate non solum interpuncti sed etiam locorum intercapedine, juxta vulgare Platonicæ sectæ statutum, vide Apul. *lib. de Deo Socrat. p. 75. in init.* Platon. *l. 4. de legib. & in Epin.* Plotin. *Ennead 3. l. 5. cap. 6.* Marsil. Ficin. *comment. super Platon. Ennead. 3. l 4. c. 5.* Augustin. *lib. 8. de Civit. Dei c. 14* & Ludov. viv. *in comm. ad b. l. & in libr. 10. c. 1. lit. 4.* Cæl. Rhodigin. *l. 2. lect. antiq.*

antiq. c. 3. Primus est *summus* sive maximus *Deorum*, qui summatem quoque sedem, cœlicam sc. sibi vendicant: Et horum alij sunt immortales & *invisibiles*, ij sc. *qui ab omni materiæ contubernio sunt remoti, quorum parentem & principem dicunt, quem nos rerum conditorem opificemq; veneramur, majestate ultramundana amplitudine sanctum & humano sermone inenarrabilem, ac ne mente quidem facile apprehensibilem*: verba sunt Cœlij Rhodigin. *cit. l.* Alij vero sunt *visibiles*, & sunt cœlestia corpora, *radiantes illi Dij, quibus cœli chorum comptum & coronatum sudâ tempestate visimus pictis noctibus, severâ gratia, torvo decore, suspicientes in hoc perfectissimo mundi, ut ait Ennius, clypeo, miris fulgoribus variata cælamina* verbis Apulei *l. de Deo Socrat. p. 77.* Secundus sive *medius* ordo est Dæmonum, à Lunæ collimitio ad nos usque expansorum, quos interpretes sive salutigerulos hominum & Deorũ vulgo creditum est apud Cœl. Rhodigin. cit. l. Tertius deniq; & *infimus* ordo est hominum &c. Et hinc sequitur.

40. *II. Interpretatio inter Deum hominesq; mutua*: Deum enim sive summum principem Deorum Platonici talem esse volunt, qui rebus humanis (immediatione suppositi) non interveniat; *Quod equidem*, ut inquit Apuleius *cit. l pag. 80. mirari super Diis immortalibus nequaquam congruerit, cum alioquin & inter homines, qui fortunæ munere opulentiâ elatus, & usq; ad regni mutabilem suggestum & pendulum tribunal evectus est, raro aditur, longè remotis arbitris in quibusdam dignitatis suæ penetralius degens: Parit enim conversatio contemptum, raritas conciliat rebus admirationem.* Si igitur Platonis hæc opinio vera est, quod Deus homini non misceatur, necessario videntur ponendæ mediæ quædam naturæ inter summum æthera & infimas terras in isto interstiti aeris spatio per quas desideria nostra & merita ad Deos commeent, qui ultroq; citroque portent, hinc preces inde suppetias Conf. Cœl. Rhodig. *l. 2. lect. antiq. c. 10.* Ludov. viv. *comm. super l 8. de Civit. Dei cap. 18. lit. a.* Appono his verba Platonis *in sympos. fol. 175. Omnis natura Dæmonum* inquit, *inter Deos hominesq; est media: Quam vim habet? Interpretatur & trajicit humana ad Deos, divina ad homines, horum quidem preces & sacrificia, illorum præcepta, sacrasq; solemnes institutiones & ordines &c.*

41. *III. Ho-*

41. *III. Hominum custodia, præsidium, defensio*: Esse enim fe-
suntur Dæmones *I. In vita ingressu* nativitatis præsides & auxilia-
tores, speciali nomine *Genij* sive *Dij natales* dicti, uti vidi *thesi* II.
Imo his asscribendum putavit Plato, quod homines post diluvium
terræ gremio sint recommodati *Siquidem*, quæ verba sunt Marsil.
Ficin, *in Platon. Crit. fol.* 302. *Post ingentes terreni urbi illuviones*
Plato homines arbitratur ejusmodi Deorum (Dæmonum) operâ ex ipsâ
terra velut matre divinitus generari, Posse enim illos gignere per ideam
sc. humanam, quasi semen, Posse & terram parere novo abundantegs
humore perfusam & accidente calore fœcundam, sive post aquarum
illuviones sequantur tepidi soles, sive post vasta quædam incendia plu-
viæ uberius affluant. II. In vitæ progressu animarum corporumq; cu-
stodes, actionum inspectores & exploratores, Cœl. Rhodigin.
l. 2. *lect. antiq. c.* 10. Et omnium factorum judices: In hac rem ita
Apulei. *sæpe cit. l. p.* 92. *Hic, quem dico* (Dæmon) *prorsus custos, sin-*
gularis præfectus, domesticus speculator, proprius curator, intimus cogni-
tor, assiduus observator, individuus arbiter, inseparabilis testis, malo-
rum improbator, bonorum probator, si rite animadvertatur, sedulo co-
gnoscatur, religiosè colatur, ita ut à Socrate justitia & innocentia cul-
tus est, in rebus incertis prospector, dubiis præmonitor, periculosis tu-
tator, egenis opitulator, qui tibi queat tum in somnis tum in signis, tum
etiam fortasse coram, cum usus postulat, mala averruncare, bona pro-
sperare, humilia sublimare, nutantia fulcire, obscura clarare, secunda re-
gere, adversa corrigere. Hinc speciali nomine eos *Gubernatores* vocat
Plato in *Critia* & *Pastores* in Protagora: Imo etiam *Providentia*
aliqua (non quidem Universalis, hanc enim Diis putant compe-
tere sed) *particularis* hujus & illius provinciæ, regionis, hominis,
pro diversitate dignitatis dæmonicæ assignatur, sive latior, sive
angustior: *Quidam enim* (majorum forte gentium Dij) *latissima*
procurant terrarum spatia, alios detinent angustiora, quidam urbibus
integris præponuntur, quidam ex hominibus singulos tantum amplexan-
tur, uti super hac re pronunciat sententiam Cœl. Rhodigin. *l.* 2.
lect. antiq. c. 4. Confer Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead* 3. *lib.* 5. *c.* 5.
Hinc etiam unumquemque nostrum suo credunt Dæmoni man-
cipari, ita ut Saturnij Saturnios, Jovij Jovios, & ita deinceps quili-
bet pro sui temperamenti exigentia proprium, nanciscantur.

42. Unde etiam existimarunt *esse Dæmonas bonorum largitores, & averruncatores malorum:* qui ἀλεξίκακοι dicebantur à veteribus, & *Apopompæi, Apotropæi, Lysij, Phyxij:* juxta Cœl. Rhodigin. *lib. 2. lect. antiq. c. 10.* Sic *Pythagorici* concinentes Jovem precari solebant, ut vel ipse à malis abduceret, vel à quo Dæmonum id posset præstari monstraret: Ita *Jamblychus* arbitratur à Dæmone nos dirigi donec sacris expiati Deum subeamus ducem pro Dæmone, cui posthac Dæmon ita cedat, ut vel vacet, eo præsente, vel ad idem conducat, Cœl. Rhodig. cit. l. Et ejusmodi Dæmona familiarem fuisse *Socrati & Plotino* qui omnia bona concesserit, mala truncaverit testantur Apul. & Plutarch. *pecul. libb. de hoc Dæmon*, Cœl. Rhodigin. Marsil. Ficin *cit. l* Plato *in sympos. Phædone* & alibi; Exemplū hujꝰ rei cit. Plutarch. *cit. l. p 241.* quod ridiculum præbet tutelæ dæmonicæ argumentum: Narrat *quod Socrates aliquando via ambulans civica, jocoq; agitans socios, subito restiterit, & regressus alia, amicos qui præcesserant revocari jusserit: Horū pars (quos inter & ipse Plutarchus) reversi, pars contra Socratis dæmonium redarguturi recta abeunt, incidunt præter opinionem in sues confertos & cæno plenos, & propter multitudinem se mutuo impellentes: Et cum diverticulum non esset incursu pars subvertuntur, pars inquinantur.*

43. Et ex hac sedula Dæmonum providentia oriri putatur, *quod sæpè*, ut inquit Cœl. Rhodigin. *l. 2. lect. antiquar. c. 11. doctore nullo res excogitentur miræ, perducanturq; ad exitum feliciter præter opinionem, quæ nostrarum virium excedere videbantur mensum.* Ita & Marsil. Ficin. in Plotin. Ennead. 3. l. 4. fol. 159. *Sequitur insuper*, inquit, *ut qui ad certum opus singulariter nati sunt, plurima etiam super ætatem sine præceptoribus, sine ministris excogitent mirabiliter atq; peragant, suis videlicet in structi Dæmonibus, Tum vero præter spem suam & aliorum opinionem oportunè incidant in tempora, in regiones, in personas, in materias, in instrumenta, in facultates quibus rite suppeditantibus opus ipsum expleant naturaliter destinatum. Quorum sane inter se diversorum confluxum non naturalis causa sed dæmonica ad unum connectit eventum, ad præcognitum sibi finem singula dirigens, interea cælo ministrans atq; suppeditans, ministrans inquam media semper ad finem intelligentiæ cælesti præcognitum, suppeditans insuper propriam efficaciam ad id peragendum.*

44. Quari

44. Quæri autem & dubitari video à Dd. Platonicis: 1. *Anne mutato loco, & regione mutetur & Dæmon, providentiam uniuscujusq; gerens?* Hic multis absurdum est Dæmonem, si regionem aut aera mutes, unicum nihilominus tibi manere, & ne latum quidem unguem revelli, multa licet terrarum spatia obiveris: Ideoque illi in hoc statu hominem, non unum numero sed specie Dæmonem retinere asseverant: Unde v. g. Solares homines Solaribus subjiciuntur dæmonibus, Et licet alio migraverint nihilominus in ejusdem ordinis Dæmones incidunt Et ita est quoque in reliquis. Quia tamen in qualibet Dæmonis decuria plura sunt dignitatis, virtutum, nobilitatis discernicula, ut unus Dæmon sit alio præstantior, hinc esse dicitur *ut mutato loco aut regione sæpe mutetur fortuna*, sintque tam ambigui rerum nostrarum eventus: Fieri enim potest ut aliquis commodiorem & præstantiorem alibi nanciscatur Dæmonem, vel è converso ignobiliorem unde mutato loco vel fortunæ favores vel injuriam cogitur experiri: Confer Cœl. Rhodigin. *l. 2. lect. Antiquar. c. 11.* Marsil. Ficin. *in argum. super Plotin. Ennead. 3. l. 4.* Alij tamen cum Jamblicho homini etiam locum mutanti unum numero assignant Dæmonem, *Quilibet enim Dæmon ut* ait Marsil. Ficin. *cit. l. amplissimam implet regionem, ideoq; etiamsi non mutet locum, tamen multis in locis potest oberrantem hominem observare, atq; more stellæ, ubiq; attingere radiis.*

45. *Q. II. An mutato vitæ genere mutetur Dæmon*, Respondeo verbis Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead. 3. l. 4. c. 4. Anima* inquit *non mutat dæmonem, quamdiu vitæ speciem omnino non mutat; Quatenus igitur vitam agit veneream, Dæmonem tenet venereum, Ac si abstineat quandoq; lascivis amoribus, tamen quamdiu facile peragit amare, quamvis honeste, speciem Dæmonis non permutat, adhuc enim venereum habet, sed præstantioris inter venereos ordinis: Similiter si à mercaturâ conferat se ad literas, dæmonem servat Mercurialem, quamvis superiorem, si à religione ad militiam, genus dæmonicum mutat & ordinem, nam à Joviali transit in Martium, ex quo animus tunc primum infortunatus evadit: Contra vero si à militiâ ad religionem veniat, subit ex Martio Jovium, nisi pergat ibi quoq; contentiosus esse, unde neq; est admodum fortunatus &c. Quamobrem non mutatur Dæmon, neq; differt propter corporum fortunarumq; differentias, quatenus ipse*

mos

nos animæ speciem servat antiquam, quo prorsus in oppositum mutato mutatur & Dæmon, & cum demone revera fortuna, fortuita enim nobis ipse disponit.

46. Tandem *In exitu vitæ* Dæmones illi hominum (aut potius animarum) dicuntur judices & custodes: Ita enim Apuleius *l. de Deo socrat. pag. 91. ubi è vita remeandum est*, (*Plato autumat*) *eundem illum Dæmona qui nobis præditus fuit, raptare & trahere veluti custodiam suam ad judicum, atq; illic in causa dicenda assistere, si qua commentiatur, redarguere, si qua vera dicat, asseverare, prorsus illius testimonio ferri sententiam.* Et Cœl. Rhodigin. *l. 2. lect. antiquar. cap. 10. Platonis sententia est, animis contribui Dæmonem, qui corporeo exolutis nexu assistat semper, raptetq; ad judicem protinus singula testimonio approbans suo vel diluens.*

46. *Artium & rerum artificiosarum inventio:* Creditum enim est, hominum ingenia se ipsis sine auxilio desuper per Dæmonas delato ad artium fabricas concinnandas evehi non potuisse: Sic *Astrologia* dicitur inventum Dæmonum apud Cœl. Rhodigin. l. 2. lect. antiq. cap. 12. Inventio item *Astroromiæ, Geometriæ, numeri & computationis numerorum, talorum, alearum, literarum* asscribitur Dæmoni qui *Theuth* dicitur à Platone *in Phædro fol. 188. (in Philebo* vero sive Deus sive homo divinus fuisse putatur *fol. 33.*) & regi Ægyptio *Thamo* eã cõmunicasse, unde postea in alias gentes manaverit, existimatur.

48. *V. Magiæ, origo:* Sic Plato *in sympos. fol. 175. Per hanc*, inquit, *Dæmonum naturam vaticinium omne procedit, sacerdotumque diligentia circa sacrificia expiationesq; & incantationes & divinationem omnem, atq; magicam.* Et Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead. 4. l. 4. cap. 43. Mitto* inquit, *quantam dæmones veneficiis magicisq; operibus adhibeant potestatem, quod sane in sympostio Plato confirmat: Hos etiam Magus cultorq; diligens demulcendo sibi conciliare potest, quemadmodum & abjectus mimus, musicusq; puer regem illaqueat generosum, Et bestiæ quædam hominem quandoq; fascinant: Sicut enim se habet ad hominem bestia, ad virum puer ita vir Magus ad inferiores dæmonas nobisq; propinquos.* Et in comment. super Conviv. Platon. cap. 10. fol. 162. *Hanc artem (magicam) veteres Dæmonibus tribuerunt, quia intelligunt qualis sit rerum naturalium societas, quid cuiq; congruat, quomo-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0428
DFG

quomodo concordia rerum ſicubi deſit, inſtauretur: His nonnulli vel naturæ ſimilitudine quadam amici ut Zoroaſter, & Socrates, vel cultu dilecti, ut Apollonius Thianeus, & Porphyrius fuiſſe traduntur, Qui amicitia Dæmonum magi evaſiſſe videntur, quemadmodum Dæmones Magi ſunt, rerum ipſarum amicitiam cognoſcentes, & natura omnis ex amore mutuo maga cognominatur. Sic Apul. l. cit. pag. *82. Per hos* (Dæmones) *Magorum varia miracula reguntur.*

49. *VI. Divinationum directio*: Hinc enim Plato *in Sympoſ.* per Dæmones omne vaticinium & divinationes procedere aſſerit. Et Apul. *l. de Deo Socrat. p. 94. Ad eundem modum*, inquit, *Socrates, ſicubi locorum alienis ſapientiæ officiis conſultatio ingruerat, ibi ſui Dæmonis præſagio regebatur.* Unde etiam tot & tam varia divinationum genera ex Dæmonum inſtinctu apud antiquos oriebantur: Erat enim ibi I. ἀνθρωπομαντεία ex mactatorum hominum viſceribus, qua *Heliogobalum* Imperatorem ex Dæmonis inſpiratione uſum fuiſſe teſtis eſt Wierus *de præſtig. Dæmon. lib. 1. c 6. p. 51.* II. ὑδρομαντεία ex inſpectione aquæ, in quâ ludificationibus Dæmonũ inſtructi audiverunt, quid in ſacris obſervare, quid conſtituere licitũ eſſet, quâ uſum eſſe *Numam Pompiliũ ſecundũ à Romulo Romanorum Regem, & Pythagoram Philoſophum* aſſerit Auguſtin. *l. 7. de Civit. Dei cap. 35.* Hujus ſpecies erat λεκανομαντία ex pelvibus aqua plenis, Unde *Lecanomantici* apud Strabon. *lib. 5.* ij dicuntur qui vaticinantes pelvim accipiebant, aqua plenam, & dæmonibus in profundo repentibus, congruam: Ubi cum dæmon illapſus eſſet, confeſtim aqua motum aliquem fatidicum reddebat. &c. III. γεομαντία ex terrâ. IV. πυρομαντία ex igne cujus autor fuit Amphiaraus ut teſtatur Plinius *lib. 7. hiſtor. natur. cap. 56.* V. καπνομαντία ex fumo aræ, (ſive victima in ara accenſæ,) è cujus motu futura prædicebant Unde *Capnomantæ.* VII. οἰωνοσκοπία ſive auſpicium ex avibus, quod primo à *Cara* rege illius Aſiæ partis, quæ ab illo Caria dicta eſt, repertum eſt, teſte Plinio *cit. loc.* Erant autem tria auſpicij genera (pro diverſitate avicularum): Aliæ enim ex volatu, oportuno, patulo, porrecto, futura prædicebant feliciter, vel ex contrario motu infeliciter, & dicebantur *præpetes*, (Homero οἰωνοὶ παπταίνουσες) Aliæ ex cantu, & erant

Oscines, cujus generis divinationes speciali nomine *Auguria* dicit *Plinius*: Aliæ denique ex pastu vel avido felicem rei gerundæ successum, vel tardo & omnino nullo infelicem portendebant, VIII. σφαγχνοσκοπία sive haruspicina (ita dicta ab *haruga* sive hostia in ara concisa & servata) ex extis, in qua multum *Etrusci* valuerunt, & Janus apud Helios Apollinis filius & post eum Thrasibulus, qui canem inspexerunt sectum jecur ostendentem vide Cicer. *l.* 2. *de Divinat.* Autorem ejus divinationis primum fuisse *Delphum* quendam putat Plinius *l.* 7. *c.* 56. IX. κοσκινομαντία ex cribro suspenso circum actoq; quo genere adhuc aliquot in Galliâ mulieres ad investigandas res furto ablatas uti putantur: X. ἀξινομαντία è securibus dolabelliscq;: Meminit ejus Plinius, *l.* 36. *histor. natur. c.* 19. *Hoc*, inquit, *gagate lapide, dicuntur uti Magi, in ea quam Axiomantiam vocant, & peruri negant, si eventurum sit, quod aliquis optet.* XI. βοξινομαντία ex herbis, quâ Circen, & Medeam excelluisse testes sunt Poetæ, vide prolixè *l.* 7. *Metamorph. Ovid.* XII. ἀστρολογία ex astris, in qua *Eudoxum* facile principem fuisse asserit Cicero *l.* 3. *de Divinat.* & peritissimi omnium fuere Chaldæi & Persæ. XIII. ἰχθυομαντία ex piscibus XIV. κληδομαντία ex sortibus, XV. χειρομαντία ex hominum manibus, XVI. φυσιογνωμία ex facie & filo totius corporis, XVII. ὀνειρομαντία ex somniis, XVIII. νεκρομαντία ex mortuis sive cadaveribus, revocatis sc. ad illa (ut putabatur,) spiritibus vel Dæmonibus: Talis erat apud *Homerum* evocatio manium ab *Ulysse*, apud *Silium* à *Scipione*, apud *Valer.* ab *Aesone*, apud *Papinian.* à *Tiresia* apud Horat. à veneficis mulieribus facta: Hujus species erant νεκυομάντια καὶ σκιομαντία: Illa erat, quando ad recens cadaver calido sanguine oppletum umbra vel dæmon magicis carminibus evocatus, per os cadaveris futura prædicebat, uti artificio maleficæ cujusdam revocatus ad vitam miles, recenter occisus, *Pompeio* eventum belli Pharsalici prædixit, apud Lucan. lib. 6. de Bello civil. p. 182. Hæc vero erat, quando evocatâ solum umbra futura prædicebantur. Omnia hæc & si quæ erant alia divinationum genera opera & ministerio Dæmonum perfici arbitrabantur: Ita enim Apul. *p.* 82. *Eorum (Dæmonum) de numero præditi curât singula præsagiorum munia, proinde ut est cuiq;*

cuiq; tributa provincia, vel extis ſifficulandis, vel præpetibus gubernandis vel oſcinibus erudiendis, vel vatibus inſpirandis, vel fulminibus jaculandis, vel nubibus coruſcandis cæterùq; adeo per que futura dignoſcimus: Quæ cuncta cœleſtium voluntate, & numine & authoritate, ſed Dæmonum obſequio & opera & miniſterio fieri arbitrandum eſt &c. Et paulo poſt: *Non eſt operæ Diis ſuperis ad hæc deſcendere. Mediorum iſta ſortitio eſt, qui in aeriis plagis terræ conterminis nec minus confinibus cœlo, perinde verſantur &c.* Taceo jam Sybyllarum vaticinia, Oraculorum reſponſa, Pythiarum præſagia, quæ omnia ex Dæmonum miniſterio facta eſſe putabantur.

50. *Sacrificiorum diſpenſatio*: Dæmones enim curam habent circa ſacerdotes, ſacrificia, expiationes, ut ait Plato *in ſympoſ.* Unde etiam eos *ſacrificiis placari & lætari* vulgo aſſeritur: Non tamen uno ſacrificij genere, ritu, & more placantur omnes eò quod diverſa eorum natura ſit: *Nam*, ut ait Apul. cit. l. p. 89. *Nonnulli ſunt ex hoc Divorum numero, qui nocturnis vel diurnis, promptis vel occultis, lectioribus vel triſtioribus, hoſtiis, vel ceremoniis, vel ritibus gaudeant, uti Ægyptia numina ferme plangoribus, Græca plerumq; choreis, Barbara autem ſtrepitu cymbaliſtarum & tympaniſtarum & & choraularum.* Unde etiam Porphyrius civitatibus interdum eſſe opus ſubindicat, malis dæmonibus ſacra facere, ne frugibus, ne divitiis, ne urbi ipſi noceant, *Nam rata eſt apud omnes fides, eos læſuros genus humanum ſi iraſcantur, propterea quod negligantur, neq; cultum legitimum nanciſcantur, nec id ſolum docet ex vulgari eſſe opinione ſed quoq; theologorum, qui malis dæmonibus mactari permittunt victimam, guſtari ex ea vetant.* uti refert ex eo Ludov. vives *in comm. ſuper Auguſtin. l 8. d. de Civit. Dei cap. 13.* Et hæc ſunt quæ *de Affectionibus Dæmonum Platonicorum* in medium proferre nunc allubeſcit.

51. III. Sequitur *Diviſio Dæmonum*, quæ varia eſt apud authores: Nam 1. *Ratione materiæ* ſunt vel Ætherei, vel Ignei vel Aerei vel Aquei vel Terrei vel ſubterranei &c. de quibus ſupra, *II. Ratione Accidentis* ſunt vel Boni vel Mali: Illi ſunt à quibus bona in homines derivantur, & utplurimum reperiri putantur Meridiem verſus: Hi vero ſunt à quibus mala oriuntur, quique nos

ad superbiam, contentiones, bella illicita & alia vitia irritare creduntur, ut plurimum siti versus Septemtrionem, vide Marsil. Ficin. *in Plotin. Ennead. 3. lib. 5. cap. 5. fol. 167. III. Ratione Loci*, sunt vel supra Lunares, vel infra Lunares: Illi rursum sunt vel Saturnij qui orbi Saturni affixi, vel Joviales, vel Martiales, vel Solares &c. Confer Cœl. Rhodigin. *l. 2. cap. 4.* Conf. *thes. 17.* Deinde: Sunt vel *provinciales*, qui plures paucioresve provincias & *familiares*, qui unam alteramve familiam gubernare dicuntur &c. Et hæc ex Platonis sententia de natura & affectionibus Dæmonum breviter proponere libuit, Nunc porro, videbo, quâ ratione existentia eorundem confimari videatur. Viso enim Quid sint melius, nunc cognosces rationes quæ confirmant An sint.

5e. *IV. Existere sive esse Dæmones ejusmodi* speciosè confirmari non reperias: Ideoque res ista magis traditioni innixa est quam rationi: Præcipuas tamen quibus utuntur nunc profero: Argumentum sumunt *I. Ab absurdo*: h. m. Si non essent Dæmones, ingens ista moles aeris, à supremo cœlo usque ad terram animalibus destitueretur: Hoc autem est absurdum: quod sc. in aere isto non sint animalia, Ergo & prius: *Majoris cõnexio probatur:* Quia nõ possunt alia aeri animalia assignari, qui totũ illud spatiũ à cœlo terram adusque compleant, nisi credamus esse Dæmonas: *Si regeras aves aeri tribuendas*, audito respondentem Apuleium *l. de Deo Socrat. p. 84 Nam*, inquit, *qui aeri aves attribuat falsum sententiæ meritissimo dixeris quippe cum nulla earum ultra Olympi verticem sublimatur, qui cum excelsissimus omnium perhibeatur, tamen altitudinem perpendiculo si metiare, ut geometrâ autumant, stadia (deest aliquid) altitudo fastigij non æquiparat, cum sit aeris agmen immensum, usq; ad citima Lunæ, helicemq;, porro ætheris sursum versus exordium est, Quid igitur tanta vis aeris, quæ ab humillimis Lunæ anfractibus, usq; ad summum Olympi verticem interjacet? Quid tandem? vacabitne animalibus suis atq; erit ista naturæ pars mortua ac debilis? Imo enim si sedulo advertas, ipsæ quoq; aves terrestre quoq; animal non aerium rectius perhibeantur: Est enim semper illis omnis victus in terrâ, ibidem pabulum, ibidem cubile; tantum quod aera proximum terræ volitando transverberant, Cæterum cum illis fessa sunt remigia pennarum, terra ceu portus est. Quod si manifestum flagitat ratio, debere propria*

tiam

etiam animalia in aere intelligi Hucusque Apuleius. *Minor probatur*: Quia quodlibet elementum sua sibi propria suaq; naturæ congrua habet animalia: Aquam enim & terram sua habere non est dubitatio: Et ignem quoq; sua viventia sibi propria alere demonstrant historiæ: Nam Arist. *lib. 5. de Hist. animal. cap.* 19. & Plinius *l.* 11. *natur. histor. cap.* 36. testantur, quod in ærariis fornacibus Cypri insulæ pennatæ bestiolæ, paulo muscis grandioribus majores, in medio igne nascantur, per illum saliant & ambulent Et quamdiu in igne sunt, vivant, cum vero evaserint paulo longiore volatu moriantur, Præterea tot vaga sydera sursum in æthere h est in ipso liquidissimo ignis ardore comparent; *Cur igitur* verba sunt Apul. l. cit. p. 84. *hoc solum quartum elementum aeris, quod tanto spatio interpositum est, cassum ab omnibus, desertumq; a cultoribus suis natura pateretur, quin in eo quoq; aere animalia gignerentur, ut in igne flammida, in unda fluxa, in terra glebulenta?* Confer Marsil. Ficin. *in sympos. Platon. fol.* 159. Aera igitur, quia alia animalia in se continere hactenus non est à quopiam expressum, Dæmones in se continere dicendum est. Et hoc argumentum aliquo modo probabile existimat Cardan. *l.* 19. *de subtil. p.* 978.

53. II. Argumentum sumunt *ab officio & effectibus* Dæmonum: Multa vera & admiranda videas in rebus creatis effecta, quæ non nisi à Dæmonica quadam, eaq; tali, qualem hactenus exhibuimus, natura oriri posse videntur: Quorum aliquam partem è præcedentibus recognosce: sic v. g. *Deum hominumq;*, quæ gerunt *commercia*, illinc suppetiæ, hinc preces, non nisi per mediatores illos Dæmonicos deferuntur: *Hominum cura, directio, præsidium* unice ab illis tanquam Dei ministris derivari creditur: *Artium inventio, præstigiorum, præsagiorum, incantationum*, divinationum, exacta repetitio, & aliorum operum recta dispensatio non nisi à Dæmonibus perfici putatur: Ergo tales Dæmonias naturas existere inter res creatas omnino credendum erit.

54. III. Argumentum sumi potest *Ab exemplis*, quæ existentiam Dæmonum abunde videntur confirmare: sic *notissimum fuit* suo seculo *Socratis δαιμόνιον quod* uti loquitur Apul. in libr. quem conscripsit de hoc Dæmone sive Deo p. 92. *illi custodiæ loco fuit, & prope ut ita dicam par contubernio & familiare, & cuncta*

quæ arcenda erant, arcuit, quæ cavenda, prætavit, & præmonenda præmonuit, sicubi tamen interfectis sapientiæ officijs non consilio sed præsagio indigebat, ut ubi dubitatione claudicaret, divinatione consisteret. Imò hunc suum Dæmonem Socrates auribus oculisq; usurpavit ut idem significat author *cit. l. p. 95. Nam si fortè conatibus ejus periculum suberat &c. Vocem quampiam divinitus exortam dicebat se audire: &c.* &c. *Imò frequentius non vocem sed signum, divinitus sibi oblatum præse ferebat: Et paulo post p. 96. Id signum potest ipsius Dæmonis species fuisse, quam Socrates solus cerneret ita ut Homericus Achilles Minervam &c.* Confer Marsil. Ficin. *In comment. super Sympos. Platon. orat. 7. cap. 3.* qui & amicos & accusatores Socratis fassos prodit, quod Dæmon ipsi fuerit familiaris. Et ejusmodi Dæmonem etiam *Plotinum*, Philosophiæ Platonicæ sectatorem exactissimum, habuisse testatur Marsil. Ficin. *in com. super Plot. Ennead. passim. Porro. Facius Cardanus* per trignita annos Dæmonē talem familiarem sibi habuisse fassus est, uti testatur ipsius filius Hieronymus Cardan. *l. 19. subtilit. p. 963.* Adde historiam quam retuli de eodem homine th. *30.*

Th. *55.* Huc refer ea, quæ nostro adhuc seculo accidere videmus *de terreis* istis *virunculis* (quos communiter *nanos aut Trullos* appellamus) nunc tamen quam olim detectis nonnihil Dæmonum inposturis, infrequentioribus: Horum non unum Genus: I. *Alij enim sunt domestici*, (quos forte dixeris non inepte Lares familiares) qui in domibus noctu potissimum versari, ministrorum munia peragere, per gradus ascendere & descendere, ostia aperire, ignem struere, aquam haurire, cibum & alia domui consueta præparare (cum tamen sepè nihil horum agāt) audiuntur: Imò etiam ut futurarum rerum conscij ea quæ futura prope sunt, administrare, non aliter ac si jam reipsa præsto essent, Quod in ædibus parentum se puerum observasse scribit Johann. Wierus *l. 1. de præstig. Dæmon. cap. 20. ubi cum in tabulato ingens lupuli asservaretur copia, si quando venturi essent emptores, precedenti nocte per gradus dejici eo modo audiebantur sacci, quo subsequens veritatem ostendebat Dies: Omen id ut faustum plausu semper excipiebatur &c.* Amare etiam dicuntur loca in ædibus puriora, quæ illis etiam sæpe solent repurgari, ne discedant: Unde etiam familia-

cui

cui hi virunculi domestici sunt (peculiariter enim illos vel huic vel illi familiarum audias addictos,) cibos illis lautos apponere, aliaq; necessaria dare: Illi contra large reposita pecunia redhostimentum promis condis exhibere dicuntur: Concubitum etiam aliquando (Imo & conjugij speciem) cum fœminis, virginibus, aut ancillis, forma, præter solitum, lætioribus appetere audent: Cujus rei exemplum aliquando accidisse ipsi mihi constat. *Alij sunt tetrici* & implacabiles qui familiam terrent & turbant, tumultus, spectra visiones & alia id genus incommoda parturiunt. III. *Alij sunt subterranei* qui in fodinis metallicis plerunque videri & horum indagatoribus in festi esse solent qui *Talchines* dæmones dicuntur à Cardano l. 19. subtilit. pag. 965. Uti *Annebergius quidam Dæmon* fuit, qui duodecim operarios flatu intempestivo & insolito in specu, qui *Corona rosacea* appellatur, enecavit, eo nomine relictus, licet alias argento dives esset: Itemque *Snebergius* quidam, qui nigro cucullo vestitus in fodina Georgiana operarium è solo sustulit, & in superiori loco maximæ illius concavitatis, quondam argento fertilis, non sine corporis attritu collocavit, teste Joan. Wiero *l. 1. de præstig. Dæm. c. 20. IV. Alij vero virunculi subterranei* in fodinis metallicis apparent, & more metallicorum vestiti minus noxij: Neque enim (nisi prius lacessiti) damnũ inferunt, & in illis præcipue specubus, ubi copiosa metalli effodiundi spes apparet, instar metallicorum laborant, modo venas fodiendo, modo quod effossum est, in vasa fundendo, modo machinam tractoriam versando: Unde etiam bonum omen capiunt hujus rei periti metallorum indagatores, & alacriori semper studio laborant. Hæc & plura alia exempla, Dæmonicam quandam, qualem hic intendimus, naturam, arguere videntur, præcipue cum illa à Spiritibus sive bonis sive malis singula oriri non sit probabile. Hactenus sententia Platonica; sequitur.

DECISIO ET REFUTATIO.

56. Brevissime me expediam, & eo, quo hactenus, ordine, dicam *I. Essentiam* talem Dæmonicam, qualis à Platonicis conficta est nullibi locorum reperiri: *Nec II. Affectiones* aut accidentia ejusmodi,

modi, ut volunt alij, iis tribui, Unde sponte fluet & sine opera *Dæmones istos nullibi existere:* Hæc autem imprimis suppono: *I. Dæmones Platonicos non esse eos quos nos dicimus Angelos* (sive bonos sive malos,) quod etiam tetigi obiter *th. 16. Patet*: Quia Angelos Platonici (si modo norint eos) Deos appellant, Hos peculiari nomine δαίμονας 2. Illos spiritus hos corpora, 3. Illos immortales, hos longævos, 4. Illos impassibiles, hos passionibus obnoxios: 5. Illos in cælo, hos in aere degentes putant: Quæ ex præcedentibus latius dignosci possunt: *II. Dæmones non esse animas sive conjunctas sive à corpore separatas*: Quia naturam animæ partialem & incompletam, hanc completã, illam purè incorpoream, hãc corporeã indigetant: Unde Procl. *l. de an. & Dæm. Nec animæ sunt Dæmones, nec erratici Dij ut putabat Amelius, sed medius est eorum inter Deos mortalesq; ordo.* Hoc supposito propono certa theoremata.

57. Theor. I. *Dæmones non sunt corpora:* Essent enim vel simplicia, vel è Quatuor elementorum συζυγίας mista: *Non simplicia:* 1. Quia receptissima hactenus fuit sententia, nec sine veritatis dictatura: Esse solum Quinque vel (si Ignem è numero simplicium demas) Quatuor corpora simplicia: Cœlum, Aera, Aquam & Terram: Neque sine evidenti necessitate numerus ille debet augeri. At non est è numero illorum Dæmonica (Platonis) natura. Ergo. 2. Repugnat *ratio corporis* quam Dæmonibus istis tribuunt, Debet enim illud esse organisatum, & aptum ut per illud exerat Dæmon vitales operationes, quem putant esse viventem: At corpus simplex ex se est in organisatum & ineptum ut per id exerantur vitæ operationes: 3. Repugnat *ratio motus:* Unius corporis simplicis unicus tantum simplex est motus, Arist. *l.* 1. *de Cæl. c.* 2. & 7. At Dæmones hi non habent unicum motum simplicem ut plerique volunt Quia *natura* ascendere & descendere finguntur Ergo. *Non è Quatuor elementis composita*, uti voluit *Marsil. Ficin. & alij cit. th.* 17. Hoc enim non admittit 1. *Incorruptibilitas* illorum, quam itidem plerique tribuunt illis: Nam: *Omne corpus mistum est corruptibile*: Mistio enim secum vehit omnes, quæ corruptionem introducere possunt, rationes: Supponit enim illa 1. *Materiam primam*, unâ cum connexâ sibi *privatione:* quâ perpetuo appetit novum alius formæ conjugium, Nam πᾶσα ὕλη ὥσπερ ἂν ἐ

θέλω

ἧλυ ἄῤῥενος καὶ αἰσχρὸν καλοῦ *Arist. l. 1. Physic. c. 9 t.* 81. ita, ut appetitum illius unius formæ conjunctione vix expleas: Et 2. Infert *Qualitates primas* elementares naturaliter ad invicem agentes & re-agentes, ut tandem una vincat, & vincatur altera, & introducatur corruptio: *Dæmones autem dicuntur esse incorruptibiles: Ergo non sunt corpora mista*: 2. *Invisibilitas eorum: Omne corpus mistum est visibile.* Quia coloratum; veri enim & reales colores ex quatuor qualitatum primarum συζυγίᾳ (in corpore misto) oriuntur vide Cœl. Rhodigin. *l. 17. lect. antiq. c. 7.* Conimbr. *lib. 1. de an. c. 7. q. 3. art. 1. &c.* At color est objectum visus ex Arist. *l. 2. de an. c. 7. t. 67. Dæmones vero non sunt visibiles*: Uti non solum ipsa Platonicorum assertio, sed & experientia testis est, quâ illos visui neutiquam obvios esse scimus. Ergo. Quæ hic regerit *Apuleius th. 28.* non faciunt ad rem neque merentur refutationem ideoque omitto: 3. *Motus eorum*: Omne corpus mistum movetur successivè: Oritur n. ille non solũ ex resistentia medij cujus partes scindi debent, sed etiam ex resistentia mobilis, quod partes habet inter se distantes ex quatuor elementorum mistione compactas, quæ plura simul loca occupare neqneunt: Franc. Murt. deLLalana *disp. 2. super* 4. *Φ. q.* 2. At Dæmones non moventur successive, neque illud fieri potest, si illis designes officium interpretandi Deos, hominesq; quod requirit mutationem plusquam instantaneam. Uti mox videbo. Ergo. *Hinc Collige:* Neque esse tot variorum Dæmonum genera, quorum alij ignei sint, alij aerei, cæteri aquei aut terrei: Quia non est in iis quatuor elementorum συζυγία ideoque nec unius præ alio dominium, ut inde aerei ignei, aquei &c. dici mereantur.

58. Theor. *II. Dæmones non sunt viventia, ideoq; nec animalia* rationalia; uti illos describit Apuleius *ex th. 3. conf th.* 18. 19. Patet: I. Quia non possunt esse *corpora*: E. nec *corpora viventia*: Negato enim genere tollitur & quævis subjecta species: ἀναιρεθέντος τοῦ γένους συναναιρεῖται τὰ ὑπ' αὐτοῦ inquit Porphyr. *c. 7. Isag. §. 3. & cap. 9. §. 8.* 2. Animalia requirunt organa vitalia per quæ exerant operationes vitales: Ideoque etiam corpus organisatum quod habeat partes dissimilares ex rebus diversis & contrariis compactas,

ctas, ideoque corruptibiles. At illud non est in Dæmonibus quibus corpus negatur &c. Res est manifesta.

59. Theor. III. *Dæmonibus non competunt accidentia sive corporis ut sic & præcisè sumpti, sive corporis viventis:* Patet 1 In *Genere*: Negato subjecto necesse est negari ἴδια πάθη ejusdem: At Dæmones non habent corpus. E. nec corporis accidentia. 2. In specie: *Dæmones non sunt Quanti*: Quia quantitas est materiæ propria affectio, eamque perpetuo consequitur: At Dæmones non sunt materiales, Ergo. 2 *Dæmones non sunt in tempore:* Tempus enim proprie est duratio rerum corruptibilium, quæ *naturâ suâ* incipiunt & desinunt: At Dæmones non sunt corruptibiles: neque enim sunt corpora. Imo non sunt in ulla duratione: Quia (cum in tempore non sint,) vel in ævo vivent vel in æternitate: Tria enim solum agnovit durationis genera Metaphysicus: At *non in ævo*: Quia hoc proprie spiritum suâ *naturâ non deficientium*: At Dæmones non sunt spiritus: *Dicis*: Potuisse Dæmona à Deo creari corpore immortali ideoque durantem in ævo: *Resp*: Potuit esse, sed unde probas factum esse. Sane nullum hujus rei est indicium, esse aliquod corpus in mundo sublunari, dæmonium & naturâ immortale, uti patebit ulterius &c. *Nec in æternitate*: Æternitas enim est duratio sine fine & initio, perpetuùm manens: ideoque soli omnium entium creatori competens: At Dæmones utiq; si sunt, habent initium. Ergo 3. *Dæmones non sunt in loco*: Quia ille corporis naturalis affectio est inseparabilis: Unde etiam neque in aere neque in terra neque alibi locorum possunt esse *modo adessendi locali & circumscriptivo:* Si regeras *eos ibi esse non tamen circumscriptivo sed alio sublimiori v. g. definitivo* adessendi modo, jam eos ultra corporum consortium elevas, illisq; aliam & *spiritualem* tribuis, quod tamen hypothesis tua non admittit. 4. *Dæmones neq; Qualitatibus primis neq; secundis præditi sunt*: Quia radix & principium earundem elementaris sc. natura in iis non reperitur: Unde *nec calidi nec frigidi nec humidi, nec sicci, nec graves nec leves, nec visibiles &c.* dici possunt. 5. *Dæmones nullam habent figuram*: Est enim figura Quantitatis terminatio & realiter quantitas ipsa: At Quantitatem illi nullam habent; Unde illa quæ afferuntur de figura Dæmonum rotundâ *à Marsil. Ficin. th.* 29. ridicula sunt. 6. *Dæmones*

non

non mutantur : Mutatio enim est in subjecto *sensili*, quod Dæmones non habent, ideoq; 7. *Non generari, nec corrumpi, nec alterari possunt* : Requirunt enim mutationes illæ materiam primam pro subjecto, in quo perficiantur, & unâ concomitantes Qualitates materiales : At neutrum illorum est in Dæmone. &c. Pergo : Neque enim specialiter rem omnem possum diducere. 8. *Dæmones non moventur localiter* : Nam: 1. Impossibile est motum localem sine loco esse Arist. *l. 3. Phys. cap. 1. tex. 2.* At illi non sunt in loco. 2. Motus localis principium est natura, hoc est, materia & forma : Arist. *l. 2. Ph. c. 1. text 3.* At neutrum est in Dæmone. 3. Motus localis repugnat *officio Dæmonum* : Dicuntur enim esse mediæ naturæ inter Deum & homines, qui è terrâ ad cœlum & hinc vicissim ad terram commeent, & hominum preces, Deûm munera, portent & reportent! At cogita quæso, quot annorum spatium absumere necesse habeant si motu locali (celerrimo licet) ultra sublunare hæmisphærium ad Deum (quem ibi esse autumant) evehantur, nobisque restituantur : Nonnullorum opinio est tam altum esse cælum, *ut si plumbeam molam è cœlo stellato mittas terram aduq;, vix tamen quingentis annis illam suum cursum confitere deprehendas* : Dæmones itaque (quos in ascensu ocius moveri, quam in descensu plumbum non credidero) mille annos in itinere absument antequam pro precibus munera à Deo reportent : Anne sic sero sapient phryges? & post festum hymnos mihi cantitabit Dæmon ille, dudum sc. & ferme ante mille annos in cineres redacto? sed concedamus illi adhuc gradus grandiores, & quolibet die naturali pro itinere 2400. milliaria, non tamen iter conficiet nisi post 24. annos & 222. dies (si sc. cœli à terra distantiam æstimes juxta Ptolomei computationem 65 25 7500. milliar.) vel si adhuc ociori motu (quem tamen à corpore naturali confici posse naturaliter, est incredibile,) quovis die illũ absolvere velis 19200. milliaria, non tamẽ nisi exactis tribus annis & 27. diebus ferè iter suum conficiet : Quis autem putaverit, etsi lumine scripturæ sit destitutus, Deum non exaudire nisi ille post elapsum hoc temporis intervallum preces afferat & referat responsa? Adde: Si Dæmones corporei sunt & misti, moventur ad motum elementi prædominantis: Indeq; non potest illis simul naturalis esse ascensus & descensus : sed si ille sit

naturalis hic aliquo modo est violentus & vicissim: Ergone igitur Dæmon sive in ascensu sive in descensu violenter movebitur? sed rem futilem non moror 9. *Dæmones non nutriuntur*: Quia nutritio fit ad resarciendum *id partis, quod deperditum erat*, & ad conservandum in suo esse individuum, quod alias periret: Partes igitur nutriti sunt corruptibiles: Et sic una solubilis ab altera. At Dæmones corrumpi nequeunt: *Dein*: Ubi nutrimentum, ibi excrementum. Non enim tota alimenti natura est utilis, quæ convertatur in aliti substantiam, ideoque pars inutilis secernitur in excrementum: At ubi excrementorum in Dæmone organa? ubi indicia? &c. 10. *Dæmones non generant*: Generatio enim fit *decisione* seminis ex reliquiis melioris alimenti geniti: At quæ decisionem admittunt, illa & corruptionem: Hæc autem non est in Dæmone: 11. *Dæmones non sentiunt, indeq; nec vident, audiunt &c.* Habebunt enim sic corpora organisata: Sensus enim absq; organo fieri nequit: 12. *Dæmones non sunt rationales*: Quia principio rationalis alicujus potentiæ prædíti non sunt; Neque enim ullo indicio sive sacræ scripturæ sive rationis potest confirmari, esse plures creaturas rationales præter hominem & Angelos; Quæ igitur me coget temeritas, dicenti præter rationem ut fidem adhibeam?

60. Theor. IV. *Dæmones non sunt mediæ naturæ inter Deum & homines*: Adverte autem: Medium quantum ad præsens, posse esse quadruplex 1. *Negatione* extremorum, qua ratione inter calidum & frigidum medium est *non calidum*, 2. *Participatione* extremorum, quod de utriusque extremi essentia aliquid participat uti v. g. inter calorem & frigus medius est tepor. 3. *Positione loci* inter extrema qua ratione aer est medius cœlum inter & terram: 4. *Actione* inter extrema, Qua ratione inter principem subditosque medius est *consiliarius* hinc supplicia vota, illinc referens supperias. Hoc supposito dico: Dæmones neutro modo esse medios inter Deos sive spiritus, hominesque: Non enim 1. sunt medij *negatione extremorum*, sic enim essentiâ eorum esset neque corporea qualis hominis est, neque spiritualis, qualis Deorum sive Angelorum, & termaximi Dei est; At talis essentia media esse nequit: Corporeum enim & incorporeum sive spirituale opponuntur contradictoriè, ideoque nullum admittunt medium. Non 2. Sunt medij *participatione*

tione extremorum, quasi partim ex spirituali, partim ex corporea essentia sint conflati: Nam (omissis absurdis aliis, quæ inde magno proventu oriuntur) substantia nulla ratione misceri potest cu alia, salva manente eadem: Est enim illa velut numerus Aristot. *l.* 8. *Met. c.* 3. neque ulla ratione suscipit magis & minus *l. categ. c.* 1. Ideoque, ubicunque est, tota est, & indivisibilis: Et sic etiam, si Dæmon habet essentiam spiritus, totam habet, si essentiam corporis, pariter totam: Et sic simul (ejusdem ratione & respectu) eadem essentia erit corporea & incorporea, quod manifestè contradictorium est. Non 3. sunt medij *positione loci* inter extrema, Deum sc. hominesque occupando spatium immensum orbis aerei expansi à terrâ usque ad cœlum, uti quidem contendit speciatim *Apuleius*: 1. Quia id non admittit *Dei immensitas & omnipræsentia*: Ubiq; Deus est & nullibi sejunctus: Ideoque inter illum & creaturam ratione loci nihil est medium. 2. Nec dum probavit Apuleius in Aere esse Dæmonas, neq; ullum est indicium: Dicit Quidem *Cuilibet elemento sua deberi corpora, At nõ posse alia aeria ζῶα assignari nisi ponas dæmonas; verum* Resp. 1. Antecedens fallit: Finis enim ille elementorum est ἀμότιος, vel saltem secundarius, quo putatur elementa esse creata ideo ut sua sibi habeant corpora: Ideo potius creata sunt ut essent partes cum cœlo hoc universum perficientes, ornantes absolventes: 2. Ut essent mixtionis materia & origo: At aer universum hoc perficere potest, itemque mixtionis causa esse licet Dæmones non sint in illo. 2. Ignem corpora habere ignea v. g. pyraustas illas de quibus est apud *Arist. & Plin.* negant Conimbr. *l.* 1. *de gen. & corr. c.* 5. *q.* 7. *art.* 2. *& in probl. de igne, annexis libb. de Cœl. f.* 4. *p.* 547. Quia nullum animal in igne vivere posse idem asserit Arist. *l.* 5. *de hist. animal. c.* 19. Requiritur enim ad vitam certa temperies primarum Qualitatum, (sine qua tactus esse nequit & sic neque vita) Quam ignis acrimonia & efficacia dissolvit. Unde Aristotelem non asserendo sed referendo id pronunciasse volunt: Hoc si verum est de igne quod is non admittat ignea animantia & tamen ideo frustra creatus non sit, sed suos habeat usus, cur non & idem liceat de aere asserere, eum ideo frustra non esse, licet non habeat aeria animantia in suprema ipsius regione præcipue degentia: Ideoq; 3. *licet aer non habeat animalia aeria purè*, quod facile

 concedo

concedo (ideoq; expirat occupatio quam ipse habet de avibus quas non aereas sed terreas ultro fateor) *non tamen ideo frustra est creatus:* Quia 1. perficit totum hoc universum, 2. est mixti principium, 3. sedes variorum meteororum (ideoque omnino cassus non est) 4. Medium per quod virtus cœlestis deferatur ad hæc inferiora: Imo 5. Omnibus animantibus necessarius, quorum vita in calido & humido consistit & sic ad aeris naturam quadantenus accedit: Ideoque beneficio illius respirant, spiritus generant &c. Sit licet igitur aer à Dæmone cassus, non tamen ideo ab omni fine & usu. *Cur autem tam immensa aeris regio suprema sc. vidua sit animalibus aut corporibus tu noli quærere,* neque etiam id certo asseverare: Cur enim tam immensa amplitudine sit creata & non arctiore limite clausa, imputa creatoris arbitrio, Quid autem ibi geratur noli, qui ibi non adfuisti disquirere: sufficiat illum non frustra esse. Unde 4. Alius licet aeri non esset usus, creatoris voluntas, qui eum ita & non aliter creari voluit, nobis sufficeret. Pergo. Non 4. *Sunt medij actione sive officio inter Deum & homines:* Deus enim non potest admittere tales interpretes, qui à Deo dona & ab hominibus preces, vota, gratias referant: 1. *Ob omniscientiam,* quâ intimè novit omnes cordis gemitus & suspiria: Ideoq; si qui essent frustra essent Quia Deus, illi etsi non referrent, sciret omnia: 2. *Ob providentiam*: Deus providet sedulo omnibus, & quidem immediatè sine alterius adminiculo: Creatura enim remota omni alia essentia creata indiget nihilominus Dei conservatione & influxu; Cur igitur in illis actionibus, quæ Dæmoni asscribunt de precum v. g. exauditione, donorum largitione Deus immediate non ageret? 3. *Ob impotentiam Dæmonis:* Non possunt Dæmones omnia cordis suspiria, gemitusve, aut alia, quæ tacitè homo Deo offert (nisi accedant indicia externa) cognoscere: Non enim sunt scrutatores cordium, quod quia infinitæ perfectionis argumentum est, solius Dei est: E. saltem illa Deus exaudiet: Et sic officio suo Dæmones non satisfacient. Quia omnes preces offerre non valent.

61. Theor. V. *Dæmonibus non competunt officia, qualia illis tribuunt Platonici:* Neq; n. 1. *Sunt interpretes Dei hominumq;* ut modo vidi. Neq; 2. *Hominum custodes:* Edocti equidem è sacris literis novimus accuratè, Angelorum Sanctorum custodiæ committi gressus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0442
DFG

sus viasq; nostras, verum tutores tales Dæmonicos ignoramus? Sunt enim (si ex illorum sententia sunt) corpora corruptibilia: Qui igitur tutores nostri? Sunt visibilia sensuum objecta, si modo sunt, qui igitur non deprehendimus? 3. *Non sunt artium inventores, non largitores ullius boni:* Quia sufficientissimè illa derivamus è summo bono, fonte omnis boni, Deo nostro clementissimo. Et 4. si quæ sunt alia, ut *magiæ traditio, divinationum administratio, dispensatio sacrificiorum*, illa certum est à mali fonte & origine, summo malo Cacodemone in gentis humanæ indolem impressa fortiter propagari Ideoq; morus ego si diutius his immorer. Finē intendo.

62. Theor. VI. *Dæmones actu non dantur* naturæ sc. tales; quæ (in relatione sententiæ Platonis) descriptæ sunt: Assertio illa summatim complectitur priores ideoq; nullo negotio probatur: 1. Essent illæ naturæ vel spiritus vel corpora: Inter istas enim essentias ut contradictoriè oppositas non licet reperire medium. At Dæmones neq; spiritus sunt neq; corpora: Utrumq; abunde probatum est. 2. Non est ullum indicium à posteriori, effectu aut actionibus desumptum, unde illos existere cognoscas: Partim enim fictitia, partim Ethnica & impia sunt quæ de officiis Dæmonum dicunt Platonici, uti similiter monstratum est. 3. Absurditates & contradictiones in hac sententiâ sufficienter evertunt illam: Alius enim dicit corpora mista, negat alius, hic dicit longæva, ille immortalia, hic aerea ille etiam terrea, hic adstruit, ille destruit, quemadmodum illarum absurditatum magnam partem ex dictis ipse recognosce: Ut merito illa opinio seipsà & sine refutatione corruat, apud eruditos, & parum vel nihil sibi vendicet probabilitatis, ut ait Cardan. *l.* 19. *subtilit. de Dæmon.* 4. Exemplorum probata copia deficit ad confirmandam illam: Neq; hactenus fuit à quopiam, nisi ab uno alterove, ejus rei visa species: At hæc non sufficit: Neq; enim quod Socrates aut Plotinus Dæmonium, vel Cardanus ejusdem farinæ genium, 30. annos familiarem habuit, vel vidit sub specie humana Dæmones, vel familiæ quædam suos possident Trullos, vel montes suos virunculos sive Deunculos montanos, quicquam confirmationis addit existentiæ Dæmonum: Nam: si horum est talis Dæmonica natura, cur illi (quia corpora esse debebant) non apparent perpetuò? cur non corporeis passionibus

sunt

sunt obnoxij &c. Et quid vetat illa quæcunque aliquando contingunt cõferre in aliam naturam Angelicam, præcipue cum videam⁹ à corporea natura effectus, illi ut alienos perfici non posse? 5. scripturarũ sacras pãdectas nõ affero, quæ ne χὺ quidem de Dæmonia hac natura attingunt, aut de existentia illius, Potius contrarium illa suppeditat, unde hanc rem omnem evertere possis, Ideoque Christiano homini hæc sententia Platonis merito debet esse improbata: Non, inquam, affero, Quia φιλοσοφικωτέρως rem ago, & θεολογικωτερον διαλέγεσθαι aliis relinquo.

63. Theor. VII. Addo tamen & hoc: *Dæmones* hoc est, naturas rationales, homine perfectiores, corporeas tamen & in aere degentes *dari posse non est improbabile*: Quia hic nullum est repugnantiæ indicium, (aut si videas, demonstra) cur illæ naturæ existere non possint? At quæ repugnantiam non involvunt à Deo fieri possunt, quia esse possunt, de quo me vidi *disput 7. Pneumat.* prolixius. Non tamen illa natura esset media ratione ϰσίας aut aliis ejus farinæ mantisis quales illi appendunt Platonis discipuli, predita.

64. Theor. VIII. *Tractatio harum naturarum pertineret ad Physicam:* Essent enim species corporis naturalis: At unius scientiæ est objecti sui species contemplari ex Aristot. *l. 7. Met. c.* 3. Ideoque neque ad *Metaphysicam*, quæ Ens speculatur ejusque naturam & affectiones in genere, sina descensu ad species, neque ad πνευματολογίαν quæ spirituum naturam & affectiones investigat, deleganda esset. Finio hic!

Rex homo-dive, tibi, cœlesti σύνθρονε Patri
Sit laus palmaris, gloria, & omnis honos.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0444
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729949087/phys_0448
DFG

neſtici ſunt (peculiariter enim illos vel huic
udias addictos,) cibos illis lautos apponere,
e: Illi contra large repoſita pecunia redhoſt-
ndis exhibere dicuntur: Concubitum etiam
conjugij ſpeciem) cum fœminis, virginibus,
præter ſolitum, lætioribus appetere audent:
aliquando accidiſſe ipſi mihi conſtat. *Alij*
abiles qui familiam terrent & turbant, tumul-
es & alia id genus incommoda parturiunt.
nei qui in fodinis metallicis plerunque videri
ibus in feſti eſſe ſolent qui *Talchines* dæmones
l. 19. ſubtilit. pag. 965. Uti *Annebergius*
, qui duodecim operarios flatu intempeſtivo
qui *Corona roſacea* appellatur, enecavit, eo no-
alias argento dives eſſet: Itemque *Snebergius*
cucullo veſtitus in fodina Georgiana opera-
& in ſuperiori loco maximæ illius concavita-
to fertilis, non ſine corporis attritu colloca-
ro *l. 1. de præſtig. Dæm. c. 20. IV. Alij vero virun-*
dinis metallicis apparent, & more metallico
oxij: Neque enim (niſi prius laceſſiti) damnũ
præcipue ſpecubus, ubi copioſa metalli effo-
, inſtar metallicorum laborant, modo venas
od effoſſum eſt, in vaſa fundendo, modo ma-
verſando: Unde etiam bonum omen capiunt
allorum indagatores, & alacriori ſemper ſtu-
plura alia exempla, Dæmonicam quandam,
nus, naturam, arguere videntur, præcipue cum
bonis ſive malis ſingula oriri non ſit probabi-
tia Platonica; ſequitur.

O ET REFUTATIO.

me me expediam, & eo, quo hactenus, ordine,
alem Dæmonicam, qualis à Platonicis confict
reperiri: *Nec II. Affectiones* aut accidentia ejus-
modi,